Brugis, typis Houdmont Fratrum

Periodica de re morali, canonica, liturgica

ARTHUR VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, LOVANII IN COLL. MAX. S. I. PROFESSOR
THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

DE RELIGIOSIS

ET MISSIONARIIS

SUPPLEMENTA ET MONUMENTA

PERIODICA

TOMUS QUARTUS

(continuans De Religiosis II, ed. alteram)

Editio altera, recognita

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT

ROMAE & RATISBONAE
F. PUSTET

FRIBURGI-BRISGOVIAE
B. HERDER.

1913

10223

v. 4

IMPRIMI POTEST

Aemilius Thibaut, S. I. *Praepositus provinciae belgicae.*

NIHIL OBSTAT

Brugis, 28 aprilis 1913.

H. Lahousse, *can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 28 aprilis 1913.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

MONUMENTA

228. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE ENCYCLICAE, 8 SEPT. 1907

De Modernistarum doctrinis [1]

I. **Introductio.** *Munere custodiendi depositi Pontifex silere prohibetur.*

Pascendi Dominici gregis mandatum Nobis divinitus officium id munus in primis a Christo assignatum habet, ut traditae sanctis fidei depositum [2] vigilantissime custodiat, repudiatis profanis vocum novitatibus atque oppositionibus falsi nominis scientiae. Quae quidem supremi providentia pastoris nullo plane non tempore catholico agmini necessaria fuit: etenim, auctore humani generis hoste, numquam defuere *viri loquentes perversa* [3], *vaniloqui et seductores* [4], *errantes et in errorem mittentes* [5]. Verumtatem inimicorum crucis Christi, postrema hac aetate, numerum crevisse admodum fatendum est; qui, artibus omnino novis astuque plenis, vitalem Ecclesiae vim elidere, ipsumque, si queant, Christi regnum evertere funditus nituntur. Quare silere Nobis diutius haud licet, ne muneri sanctissimo deesse videamur, et benignitas, qua, spe sanioris consilii, huc usque usi sumus, officii oblivio reputetur.

Latentes denuntiantur hostes, Ecclesiae pseudo-renovatores.

Qua in re ut moram ne interponamus illud in primis exigit, quod fautores errorum iam non inter apertos hostes quaerendi sunt modo; verum, quod dolendum maxime verendumque est, in ipso latent sinu gremioque Ecclesiae, eo sane nocentiores, quo minus perspicui. — Loquimur, Venerabiles Fratres, de multis e catholicorum laicorum numero, quin, quod longe miserabilius, ex ipso sacerdotum coetu, qui, fucoso quodam Ecclesiae amore, nullo solido philosophiae ac theologiae praesidio, immo adeo venenatis imbuti penitus doctrinis quae ab Ecclesiae osoribus traduntur, Ecclesiae eiusdem renovatores, omni posthabita modestia animi, se iactitant; factoque audacius agmine, quidquid sanctius est in Christi opere impetunt, ipsa haud incolumi divini Reparatoris persona, quam ausu sacrilego, ad purum putumque hominem extenuant.

---

[1] Quia utraque versio, gallica et italica, authentice probata est, visum est in notis apponere quaedam ex utraque versione excerpta, quae utiliter comparari inter se et cum textu latino posse arbitrabamur.

[2] Versio gallica habet: *Le dépôt traditionnel de la foi;* italica vero: *il deposito della fede trasmessa ai santi.*

[3] *Act.* 20, 30.

[4] *Tit.* 1, 10.

[5] *II Tim.* 3, 13.

Hostes esse demonstrantur callidi ac pervicacis generis.

Homines huiusmodi Ecclesiae Nos hostibus ascribere, etsi mirantur ipsi, nemo tamen mirabitur iure qui, mente animi seposita cuius penes Deum arbitrium est [1], illorum doctrinas et loquendi agendique rationes cognorit. Enimvero non is a veritate discedat, qui eos Ecclesiae adversarios quovis alio perniciosiores habeat. — Nam non hi extra Ecclesiam, sed intra, ut diximus, de illius pernicie consilia agitant sua : quam ob rem in ipsis fere Ecclesiae venis atque in visceribus periculum residet, eo securiore damno, quo illi intimius Ecclesiam norunt. Adde quod securim non ad ramos surculosque ponunt, sed ad radicem ipsam, fidem nimirum fideique fibras altissimas. Icta autem radice hac immortalitatis, virus per omnem arborem sic propagare pergunt, ut catholicae veritatis nulla sit pars unde manus abstineant, nulla quam corrumpere non elaborent. Porro, mille nocendi artes dum adhibent, nihil illis callidius, nihil insidiosius : nam et rationalistam et catholicum promiscue agunt, idque adeo simulatissime, ut incautum quemque facile in errorem pertrahant ; cumque temeritate maxime valeant, nullum est consecutionum genus quod horreant aut non obfirmate secureque obtrudant. Accedit praeterea in illis, aptissime ad fallendos animos, genus vitae cum maxime actuosum, assidua ac vehemens ad omnem eruditionem occupatio, moribus plerumque austeris quaesita laus [2]. Demum, quod fere medicinae fiduciam tollit, disciplinis ipsi suis sic animo sunt comparati, ut dominationem omnem spernant nullaque recipiant frena ; et freti mendaci quadam conscientia animi, nituntur veritatis studio tribuere quod uni reapse superbiae ac pervicacae tribuendum est. — Equidem speravimus huiusmodi quandoque homines ad meliora revocare : quo in genere suavitate primum tamquam cum filiis, tum vero severitate, demum, quamquam inviti, animadversione publica usi sumus. Nostis tamen, Venerabiles Fratres, quam haec fecerimus inaniter : cervicem, ad horam deflexam, mox extulerunt superbius. Iam si illorum solummodo res ageretur, dissimulare forsitan possemus : sed catholici nominis e contra securitas agitur. Quapropter silentium, quod habere diutius piaculum foret, intercipere necesse est ; ut personatos male homines, quales reapse sunt, universae Ecclesiae demonstremus.

Frustra tentata mitiora consilia.

Modernistae merito appellantur. Eorum sparsas doctrinas simul proponere intendit Pontifex, et conjunctas ostendere.

Quia vero modernistarum (sic enim iure in vulgus audiunt) [3] callidissimum artificium est, ut doctrinas suas non ordine digestas proponant atque in unum collectas, sed sparsas veluti atque invicem seiunctas, ut nimirum ancipites et quasi vagi videantur, cum e contra firmi sint et constantes ; praestat, Venerabiles Fratres, doctrinas easdem uno heic conspectu exhibere primum, nexumque indicare quo invicem coalescunt, ut deinde errorum causas scrutemur, ac remedia ad averruncandam perniciem praescribamus.

II. **Modernismi expositionis**

Ut autem in abstrusiore re ordinatim procedamus, illud ante omnia notandum est, modernistarum quemlibet plures agere personas ac veluti in se commiscere ; philosophum nimirum, credentem, theologum, histo-

---

[1] Vers. gall. : *Mettant à part leurs intentions, dont le jugement est réservé à Dieu ;* italica : *Posta da banda le intenzioni di cui Dio solo è giudice.*

[2] Vers. gall. : *Des mœurs recommandables d'ordinaire pour leur sévérité ;* italica : *e, il più sovente, la fama di una condotta austera.*

[3] Vers. gall. : *Ainsi les appelle-t-on communément, avec beaucoup de raison ;* italica : *Chè con siffato nome son chiamati costoro a ragione comunemente.*

ricum, criticum, apologetam, instauratorem : quas singulatim omnes distinguere oportet, qui eorum systema rite cognoscere et doctrinarum antecessiones consecutionesque pervidere velit.

A. PARS PRIOR. *Varias agunt personas.*

Iam, ut a philosopho exordiamur, philosophiae religiosae fundamentum in doctrina illa modernistae ponunt quam vulgo *agnosticismum* vocant. Vi huius humana ratio *phaenomenis* omnino includitur, rebus videlicet quae apparent eaque specie qua apparent : earundem praetergredi terminos nec ius nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius exsistentiam, utut per ea quae videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiae obiectum directe nullatenus esse posse : ad historiam vero quod attinet, Deum subiectum historicum minime censendum esse. — His autem positis, quid de *naturali theologia*, quid de *motivis credibilitatis*, quid de *externa revelatione* fiat, facile quisque perspiciet. Ea nempe modernistae penitus e medio tollunt, et ad *intellectualismum* amandant ; ridendum, inquiunt, systema ac iam diu emortuum. Neque illos plane retinet quod eiusmodi errorum portenta apertissime damnarit Ecclesia : siquidem Vaticana Synodus sic sanciebat : *Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non p sse* [1], *anathema sit* [2] ; itemque : *Si quis dixerit fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo cultuque ei exhibendo edoceatur, anathema sit* [3] ; ac demum : *Si quis dixerit revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cuiusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere, anathema sit* [4]. — Qua vero ratione ex *agnosticismo*, qui solum est in ignoratione, ad *atheismum* scientificum atque historicum modernistae transeant, qui contra totus est in inficiatione positus : quo idcirco ratiocinationis iure, ex eo quod ignoretur utrum humanarum gentium historiae intervenerit Deus necne, fiat gressus ad eandem historiam neglecto omnino Deo explicandam, ac si reapse non intervenerit ; novit plane qui possit. Id tamen ratum ipsis fixumque est, atheam debere esse scientiam itemque historiam : in quarum finibus non nisi *phaenomenis* possit esse locus, exturbato penitus Deo et quidquid divinum est. — Qua ex doctrina absurdissima quid de sanctissima Christi persona, quid de Ipsius vitae mortisque mysteriis, quid pariter de anastasi deque in caelum ascensu tenendum sit, mox plane videbimus.

1. *Ut* philosophi. *Negative colunt agnosticismum, unde transeunt ad atheismum scientificum et historicum, — idque invito Conc. Vaticano ; —*

Hic tamen *agnosticismus*, in disciplina modernistarum, non nisi ut pars negans habenda est : positiva, ut aiunt, in *immanentia vitali* constituitur. Harum nempe ad aliam ex altera sic procedunt. — Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam

Positive, colunt immanentiam vitalem.

Religionem repetendam dicunt a subconscia

---

[1] Vers. gall. : *Si quelqu'un dit que la lumiere naturelle de l'humaine raison est incapable de faire connaître avec certitude....* ; italico vero : *Se qualcuno dirà che Dio uno e vero Creatore e Signor nostro, per mezzo delle cose create, non possa conoscersi con certezza col lume naturale della ragione.*

[2] *De Revel.*, can. I.

[3] *Ibid.*, can. II.

[4] *De Fide*, can. III.

indigentia divini, commovente sensum quendam quem fidem appellant.

revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda: et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiae religiosae* principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia non nisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur [1], in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat? Ad haec modernistae: Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent: hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc *incognoscibili*, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in *subconscientia* lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quendam commovet *sensum:* hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tamquam obiectum, tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

In sensu isto habetur revelatio; habetur Deus revelans et revelatus. Quaelibet religio naturalis una ac supernaturalis. Hinc conscientia religiosa fingitur regula universalis cui etiam Ecclesiae potestas subsit oportet.

Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi enim *sensu* modernistae non fidem tantum reperiunt; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intellegunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, *sensum* illum religiosum in conscientia apparentem, quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso *sensu*, animis manifestantem? Subdunt vero: Cum fidei Deus obiectum sit aeque et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quaelibet, pro diverso aspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc conscientiae ac revelationis promiscua significatio. Hinc lex, qua *conscientia religiosa* ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus aequanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive haec doceat sive de sacris disciplinave statuat.

Fides altecta ab Incognoscibili quod in phaenomeno inhae-

Attamen in toto hoc processu, unde, ex modernistarum sententia, fides ac revelatio prodeunt, unum est magnopere attendendum, non exigui quidem momenti ob consecutiones historico-criticas quas inde illi eruunt. — Nam *Incognoscibile*, de quo loquuntur, non se fidei sistit ut nudum

[1] Vers. gall.: *et selon un vocable emprunté de la philosophie moderne;* italica vero: *o, come dicono con vocabolo tolto ad imprestito della moderna filosofia.*

quid aut singulare ; sed contra in phaenomeno aliquo arte inhaerens, quod quamvis ad campum scientiae aut historiae pertinet, ratione tamen aliqua praetergreditur ; sive hoc phaenomenon sit factum aliquod naturae arcani quidpiam in se continens sive sit quivis unus ex hominibus, cuius ingenium, acta, verba cum ordinariis historiae legibus componi haud posse videntur. Tum vero fides, ab *Incognoscibili* allecta quod cum phaenomeno iungitur, totum ipsum phaenomenon complectitur ac sua vita quodammodo permeat. Ex hoc autem duo consequuntur. Primum, quaedam phaenomeni *transfiguratio*, per elationem scilicet supra veras illius condiciones, qua aptior fiat materia ad induendam divini formam, quam fides est inductura. Secundum, phaenomeni eiusdem aliquapiam, sic vocare liceat, *defiguratio* inde nata, quod fides illi, loci temporisque adiunctis exempto, tribuit quae reapse non habet ; quod usuvenit praecipue cum de phaenomenis agitur exacti temporis, eoque amplius quo sunt vetustiora. Ex gemino hoc capite binos iterum modernistae eruunt canones ; qui, alteri additi iam ex agnosticismo habito, critices historicae fundamenta contituunt. Exemplo res illustrabitur : sitque illud e Christi persona petitum. In persona Christi, aiunt, scientia atque historia nil praeter hominem offendunt. Ergo, vi primi canonis ex agnosticismo deducti, ex eius historia quidquid divinum redolet delendum est. Porro, vi alterius canonis, Christi persona historica *transfigurata* est a fide : ergo subducendum ab ea quidquid ipsam evehit supra condiciones historicas. Demum, vi tertii canonis, eadem persona Christi a fide *defigurata* est : ergo removenda sunt ab illa sermones, acta, quidquid, uno verbo, ingenio, statui, educationi eius, loco ac tempori quibus vixit, minime respondet. — Mira equidem ratiocinandi ratio : sed haec modernistarum critice.

ret, hoc transfigurat et defigurat.

Hinc a Christo historice removeri debet quidquid hominem transcendat, vel adiunctis eius non respondeat. Haec est modernistarum critice.

Religiosus igitur *sensus*, qui per *vitalem immanentiam* e latebris *subconscientiae* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium quae in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, eiusmodi *sensus*, paulatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanae vitae, cuius, ut diximus, quaedam est forma. Habemus igitur religionis cuiuslibet, etsi supernaturalis, originem [1] : sunt nempe illae *religiosi sensus* merae explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet ; immo vero ceteris omnino parem : nam ea in conscientia Christi, electissimae naturae viri, cuiusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiae*, non aliter, nata est. — Stupent profecto, qui haec audiant, tantam ad asserendum audaciam, tantum sacrilegium ! Attamen, Venerabiles Fratres, non haec sunt solum ab incredulis effutita temere. Catholici homines, immo vero e sacerdotibus plures, haec palam edisserunt ; talibusque deliramentis Ecclesiam se instauraturos iactant ! Non heic iam de veteri errore agitur, quo naturae humanae supernaturalis ordinis veluti ius tribuebatur. Longius admodum processum est : ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo aeque ac in nobis, a natura, ex se suaque sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem

Ex religioso sensu omnis nascitur religio ; christiana, ex sensu religioso Christi.

---

[1] Vers. gall. : *Ainsi naquirent toutes les religions surnaturelles ;* italica vero : *Ecco pertanto la nascita di qualsiasi religione, sia pure soprannaturale.*

Damnatio Vaticana.

supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana Synodo iure summo sancitum fuit : *Si quis dixerit hominem ad cognitionem et perfectionem quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex se ipso ad omnis tandem veri et boni possessionem iugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit* [1].

Partes mentis. Cogitando fidem suam, homo pervenit ad sententiam simplicem ; cogitationem elaborando, ad sententias limatiores ac distinctiores, unde dogmata.

Huc usque tamen, Venerabiles Frates, nullum dari vidimus intellectui locum. Habet autem et ipse, ex modernistarum doctrina, suas in actu fidei partes. Quo dein pacto, advertisse praestat. — In *sensu* illo, inquiunt, quem saepius nominavimus, quoniam *sensus* est non cognitio, Deus quidem se homini sistit ; verum confuse adeo ac permixte, ut a subiecto credente vix aut minime distinguatur. Necesse igitur est aliquo eundem sensum collustrari lumine, ut Deus inde omnino exsiliat ac secernatur. Id nempe ad intellectum pertinet, cuius est cogitare et analysim instituere ; per quem homo vitalia phaenomena in se exsurgentia in species primum traducit, tum autem verbis significat. Hinc vulgata modernistarum enuntiatio : debere religiosum hominem fidem suam *cogitare*. — Mens ergo, illi *sensui* adveniens, in eundem se inflectit, inque eo elaborat pictoris instar, qui obsoletam tabulae cuiusdam diagraphen collustret ut nitidius efferat ; sic enim fere quidam modernistarum doctor rem explicat. In eiusmodi autem negotio mens dupliciter operatur : primum, naturali actu et spontaneo, redditque rem sententia quadam simplici ac vulgari ; secundo vero reflexe ac penitius, vel, ut aiunt, *cogitationem elaborando*, eloquiturque cogitata *secundariis* sententiis, derivatis quidem a prima illa simplici, limatioribus tamen ac distinctioribus. Quae *secundariae* sententiae, si demum a supremo Ecclesiae magisterio sancitae fuerint, constituent *dogma*.

Formulae dogmaticae sunt credenti instrumenta quibus sibi rationem reddat suae fidei cuius sunt symbola.

Sic igitur in modernistarum doctrina ventum est ad caput quoddam praecipuum, videlicet ad originem dogmatis atque ad ipsam dogmatis naturam [2]. Originem enim dogmatis ponunt quidem in primigeniis illis formulis simplicibus, quae, quodam sub respectu, necessariae sunt fidei ; nam revelatio, ut reapse sit, manifestam Dei notitiam in conscientia requirit [3]. Ipsum tamen dogma *secundariis* proprie contineri formulis affirmare videntur. — Eius porro ut assequamur naturam, ante omnia inquirendum est, quaenam intercedat relatio inter *formulas religiosas* et *religiosum* animi *sensum*. Id autem facile intelleget, qui teneat *formularum* eiusmodi non alium esse finem, quam modum suppeditare credenti, quo sibi suae fidei rationem reddat. Quam ob rem mediae illae sunt inter credentem eiusque fidem : ad fidem autem quod attinet, sunt inadaequa-

---

[1] *De Revel.*, can. III.

[2] Vers. gall. : *Le dogme, son origine, sa nature, tel est le point capital dans la doctrine des modernistes ;* italica vero : *Con ciò, nella dottrina dei modernisti, ci troviamo giunti ad uno dei capi di maggior rilievo, all'origine cioè e alla natura stessa del dogma.*

[3] Vers. gall. : *Le dogme, d'après eux, tire son origine des formules primitives et simples, essentielles, sous un certain rapport, à la foi, car la révélation, pour être vraie, demande une claire apparition de Dieu dans la conscience ;* italica vero : *Imperciocchè l'origine del dogma la ripongon essi in quelle primitive formole semplici ; le quali, sotto un certo aspetto, devono ritenersi come essenziali alla fede, giacchè la rivelazione, perchè sia veramente tale, richiede la chiara apparizione di Dio nella coscienza.*

tae eius obiecti notae, vulgo *symbola* vocitant ; ad credentem quod spectat, sunt mera *instrumenta*. — Quocirca nulla confici ratione potest, eas veritatem absolute continere : nam, qua *symbola*, imagines sunt veritatis, atque idcirco sensui religioso accommodandae, prout hic ad hominem refertur ; qua *instrumenta*, sunt veritatis vehicula, atque ideo accommodanda vicissim homini, prout refertur ad religiosum sensum. Obiectum autem *sensus religiosi*, utpote quod *absoluto* continetur, infinitos habet aspectus, quorum modo hic modo alius apparere potest. Similiter homo, qui credit, aliis atque aliis uti potest condicionibus. Ergo et formulas, quas dogma appellamus, vicissitudini eidem subesse oportet, ac propterea varietati esse obnoxias. Ita vero ad intimam *evolutionem* dogmatis expeditum est iter [1]. — Sophismatum profecto coacervatio infinita, quae religionem omnem pessumdat ac delet !

eaque ob infinitos aspectus τοῦ absoluti, mutabilia. Hinc dogmatis evolutio.

Evolvi tamen ac mutari dogma non posse solum sed oportere, et modernistae ipsi perfracte affirmant, et ex eorum sententiis, aperte consequitur. — Nam inter praecipua doctrinae capita hoc illi habent, quod ab *immanentiae vitalis* principio deducunt : *formulas religiosas*, ut *religiosae* reapse sint nec solum intellectus commentationes, vitales esse debere vitamque ipsam vivere *sensus religiosi*. Quod non ita intellegendum est, quasi hae formulae, praesertim si mere imaginativae, sint pro ipso religioso sensu inventae ; nihil enim refert admodum earum originis, ut etiam numeri vel qualitatis ; sed ita, ut eas *religiosus sensus*, mutatione aliqua, si opus est, adhibita, *vitaliter* sibi adiungat. Scilicet, ut aliis dicamus, necesse est ut *formula primitiva* acceptetur a corde ab eoque sanciatur ; itemque sub cordis ductu sit labor, quo *secundariae formulae* progignuntur. Hinc accidit quod debeant hae formulae, ut vitales sint, ad fidem pariter et ad credentem accommodatae esse ac manere. Quamobrem, si quavis ex causa huiusmodi accommodatio cesset, amittunt illae primigenias notiones ac mutari indigent. — Haec porro formularum dogmaticarum cum sit vis ac fortuna instabilis, mirum non est illas modernistis tanto esse ludibrio ac despectui ; qui nihil e contra loquuntur atque extollunt nisi religiosum sensum vitamque religiosam. Ideo et Ecclesiam audacissime carpunt tamquam devio itinere incedentem, quod ab externa formularum significatione religiosam vim ac moralem minime distinguat, et formulis notione carentibus casso labore ac tenacissime inhaerens, religionem ipsam dilabi permittat. — *Caeci* equidem *et duces caecorum*, qui superbo scientiae nomine inflati usque eo insaniunt ut aeternam veritatis notionem et germanum religionis sensum pervertant : novo invecto systemate, *quo, ex proiecta et effrenata novitatum cupiditate, veritas, ubi certo consistit, non quaeritur* [2], *sanctis-*

Mutari debent formulae dogmaticae, quia vitales esse debent et accommodatae ad fidem et ad credentem.

Hinc despectus dogmatis et improbatio Ecclesiae. Veritatis notionem et religiosum sensum pervertunt.

[1] Vers. gall. : *Ainsi est ouverte la voie à la variation substantielle des dogmes ;* italica vero : *Così si ha aperto il varco alla intima evoluzione dei dogmi.*

[2] Vers. gall. : *Aveugles et conducteurs d'aveugles qui, enflés d'une science orgueilleuse, en sont venus à cette folie de pervertir l'éternelle notion de la vérité, en même temps que la véritable nature du sentiment religieux ; inventeurs d'un système, où on les voit sous l'empire d'un amour aveugle et effréné des nouveautés, ne se préoccuper aucunement de trouver un point d'appui solide à la vérité ;* italica vero : *Oh ! veramente ciechi et conduttori di ciechi, chee, gonfi del superbo nome di scienza, vaneggiano fino al segno di pervertire l'eterno concetto di verità e il genuino sentimento religioso : spacciando un nuovo sistema, col quale, tratti da una sfrontata e sfrenata smania di novità, non cercano la verità ove certamente si trova.*

que et apostolicis traditionibus posthabitis, doctrinae aliae inanes, fattiles, incertae nec ab Ecclesia probatae asciscunt, quibus veritatem ipsam fulciri ac sustineri vanissimi homines arbitrantur [1].

2. Ut credentes. Realitatem divini affirmant religiosa fidentes experientia intima, quam omni rationali praedicant praestantiorem. Hoc sapit protestantismum, pseudo-mysticismum, et est a Vaticano Concilio reprobatum.

Atque haec, Venerabiles Fratres, de modernista ut philosopho. — Jam si, ad credentem progressus, nosse quis velit unde hic in modernistis a philosopho distinguatur, illud advertere necesse est, etsi philosophus *realitatem* divini ut fidei obiectum admittat, hanc tamen ab illo *realitatem* non alibi reperiri nisi in credentis animo, ut obiectum sensus est et affirmationis atque ideo phaenomenorum ambitum non excedit: utrum porro in se illa extra sensum exsistat atque affirmationem huiusmodi, praeterit philosophus ac neglegit. E contra modernistae credenti ratum ac certum est, *realitatem* divini reapse in se ipsam exsistere nec prorsus a credente pendere. Quod si postules, in quo tandem haec credentis assertio nitatur, reponent: In privata cuiusque hominis *experientia*. — In qua affirmatione, dum equidem hi a rationalistis dissident, in protestantium tamen ac pseudo-mysticorum opinionem discedunt. Rem enim sic edisserunt: In *sensu religioso* quendam esse agnoscendum cordis intuitum; quo homo ipsam, sine medio, Dei *realitatem* attingit, tantamque de exsistentia Dei haurit persuasionem deque Dei tum intra tum extra hominem actione, ut persuasionem omnem, quae ex scientia peti possit, longe antecellat. Veram igitur ponunt experientiam, eamque rationali qualibet experientia praestantiorem: quam si quis, ut rationalistae, inficiatur, inde fieri affirmant, quod nolit is in iis se ipse constituere moralibus adiunctis, quae ad experientiam gignendam requirantur. Haec porro *experientia*, cum quis illam fuerit assecutus, proprie vereque credentem efficit. — Quam hic longe absumus a catholicis institutis! Commenta eiusmodi a Vaticana Synodo improbata iam vidimus. — His semel admissis una cum erroribus ceteris iam memoratis, quo pacto ad atheismum pateat via, inferius dicemus. Nunc statim advertisse iuverit, ex hac *experientiae* doctrina, coniuncta alteri de *symbolismo*, religionem quamlibet, ethnicorum minime excepta, ut veram esse habendam. Quidni etenim in religione quavis experientiae huiusmodi occurrant? occurrisse vero non unus asserit. Quo iure autem modernistae veritatem experientiae abnuent, quam turca affirmet, verasque experientias unis catholicis vindicabunt? Neque id reapse modernistae denegant; quin immo, subobscure alii, alii apertissime, religiones omnes contendunt esse veras. Secus autem sentire nec posse, manifestum est. Nam religioni cuipiam quo tandem ex capite, secundum illorum praecepta, foret falsitas tribuenda? Certe vel ex fallacia *sensus religiosi*, vel quod falsiloqua sit formula ab intellectu prolata. Atqui *sensus religiosus* unus semper idemque est, etsi forte quandoque imperfectior: formula autem intellectus, ut vera sit, sufficit ut *religioso sensui* hominique credenti respondeat, quidquid de huius perspicuitate ingenii esse queat. Unum, ad summum, in religionum diversarum conflictu, modernistae contendere forte possint, catholicam, utpote vividiorem, plus habere veritatis; itemque christiano nomine digniorem eam esse, ut quae christianismi exordiis respondeat plenius. — Has consecutiones omnes ex datis antecedentibus fluere, nemini erit absonum.

Hinc omnes religiones sunt habendae ut verae, quamvis catholica plus habere veritatis dici possit.

Pontifex complicitatem catho-

[1] GREGOR. XVI, Ep. Encycl. *Singulari Nos*, 7 kal. iul. 1834.

Illud stupendum cum maxime, catholicos dari viros ac sacerdotes, qui, etsi, ut autumari malumus, eiusmodi portenta horrent, agunt tamen ac si plene probent. Eas etenim errorum talium magistris tribuunt laudes, eos publice habent honores, ut sibi quisque suadeat facile, illos non homines honorare, aliquo forsan numero non expertes, sed errores potius, quos hi aperte asserunt inque vulgus spargere omni ope nituntur.

licorum et sacerdotum miratur.

Est aliud praeterea in hoc doctrinae capite, quod catholicae veritati est omnino infestum. — Nam istud de *experientia* praeceptum ad *traditionem* etiam transfertur, quam Ecclesia huc usque asseruit, eamque prorsus adimit. Enimvero modernistae sic traditionem intellegunt, ut sit *originalis experientiae* quaedam cum aliis communicatio per praedicationem, ope formulae intellectivae. Cui formulae propterea, praeter vim, ut aiunt *repraesentativam, suggestivam* quandam ascribunt virtutem, tum in eo qui credit, ad *sensum religiosum* forte torpentem excitandum, instaurandamque *experientiam* aliquando habitam, tum in iis qui nondum credunt, ad *sensum religiosum* primo gignendum et *experientiam* producendam. Sic autem experientia religiosa late in populos propagatur ; nec tantummodo in eos qui nunc sunt per praedicationem, sed in posteros etiam, tam per libros quam per verborum de aliis in alios replicationem. — Haec vero experientiae communicatio radices quandoque agit vigetque ; senescit quandoque statim ac moritur. Vigere autem, modernistis argumentum veritatis est : veritatem enim ac vitam promiscue habent. Ex quo inferre denuo licebit : religiones omnes quotquot exstant veras esse, nam secus nec viverent [1].

Adulterata notione traditionem habent ut originalis experientiae communicationem, per praedicationem ope formulae intellectivae. Haec repraesentativa *est et* suggestiva, *et ex vigore ipso vel languore vera vel falsa probatur.*

Re porro huc adducta, Venerabiles Fratres, satis superque habemus ad recte cognoscendum, quem ordinem modernistae statuant inter fidem et scientiam ; quo etiam scientiae nomine historia apud illos notatur. — Ac primo quidem tenendum est, materiam uni obiectam materiae obiectae alteri externam omnino esse ab eaque seiunctam. Fides enim id unice spectat, quod scientia *incognoscibile* sibi esse profitetur. Hinc diversum utrique pensum : scientia versatur in phaenomenis, ubi nullus fidei locus ; fides e contra versatur in divinis, quae scientia penitus ignorat. Unde demum conficitur, inter fidem et scientiam numquam esse discidium : si enim suum quaeque locum teneat, occurrere sibi invicem numquam poterunt, atque ideo nec contradicere. — Quibus si qui forte obiciant quaedam in aspectabili occurrere natura rerum quae ad fidem etiam pertineant, uti humanam Christi vitam, negabunt. Nam, etsi haec phaenomenis accensentur, tamen, quatenus vita fidei imbuuntur, et a fide, quo supra dictum est modo *transfigurata* ac *defigurata* fuerunt, a sensibili mundo sunt abrepta et in divini materiam translata. Quam ob rem poscenti ulterius, an Christus vera patrarit miracula vereque futura praesenserit, an vere

Itaque fides et scientia adeo sunt obiecto separatae ut numquam altera alteri occurrere possit.

---

[1] Versio gall. : *C'est à cette épreuve d'ailleurs que les modernistes, pour qui vie et vérité ne sont qu'un, jugent de la vérité des religions : si une religion vit, c'est qu'elle est vraie ; si elle n'était pas vraie, elle ne vivrait pas. D'où l'on conclut encore : toutes les religions existantes sont donc vraies ;* italica vero : *Il vivere e pei modernisti pruova di verità : giacchè verità e vita sono per essi una medesima cosa. Dal che e dato inferir di nuovo, che tutte le religioni, quante mai ne esistono, sono egualmente vere, poichè se nol fossero non vivrebbero. — E tutto questo si spaccia per dare un concetto più elevato e più ampio della religione !* (Ultima haec sententia videtur versionis italicae propria.)

revixerit atque in caelum conscenderit, scientia agnostica abnuet, fides affirmabit ; ex hoc tamen nulla erit inter utramque pugna. Nam abnuet alter ut philosophus philosophos alloquens, Christum scilicet unice contemplatus secundum *realitatem historicam ;* affirmabit alter ut credens cum credentibus locutus, Christi vitam spectans prout *iterum vivitur* a fide et in fide.

Hac tamen ratione, obtinent ut scientia soluta sit a fide, minime vero fides a scientia :

Ex his tamen fallitur vehementer qui reputet posse opinari, fidem et scientiam alteram sub altera nulla penitus ratione esse subiectam. Nam de scientia quidem recte vereque existimabit ; secus autem de fide, quae, non uno tantum sed triplici ex capite, scientiae subici dicenda est. Primum namque advertere oportet, in facto quovis religioso, detracta *divina realitate* quamque de illa habet *experientiam* qui credit, cetera omnia, praesertim vero *religiosas formulas*, phaenomenornm ambitum minime transgredi, atque ideo cadere sub scientiam. Liceat utique credenti, si volet, de mundo excedere ; quam diu tamen in mundo deget, leges, obtutum, iudicia scientiae atque historiae numquam, velit nolit, effugiet. — Praeterea, quamvis dictum est Deum solius fidei esse obiectnm, id de divina quidem *realitate* concedendum est, non tamen de *idea* Dei. Haec quippe scientiae subest ; quae, dum in ordine, ut aiunt, logico philosophatur, quidquid etiam absolutum est attingit atque ideale. Quocirca philosophia seu scientia cognoscendi de idea Dei ius habet, eamque in sui evolutione moderandi et, si quid extrarium invaserit, corrigendi. Hinc modernistarum effatum : evolutionem religiosam cum morali et intellectuali componi debere ; videlicet, ut quidam tradit quem magistrum sequuntur, iisdem subdi. — Accedit demum quod homo dualitatem in se ipse non patitur : quam ob rem credentem quaedam intima urget necessitas fidem cum scientia sic componendi, ut a generali ne discrepet idea quam scientia exhibet de hoc mundo universo. Sic ergo conficitur, scientiam a fide omnino solutam esse, fidem contra, utut scientiae extranea praedicetur, eidem subesse. — Quae omnia, Venerabiles Fratres, contraria prorsus sunt iis quae Pius IX decessor Noster tradebat, docens [1] : *Philosophiae esse, in iis quae ad religionem pertinent, non dominari sed ancillari, non praescribere quid credendum sit, sed rationabili obsequio amplecti, neque altitudinem scrutari mysteriorum Dei, sed illam pie humiliterque revereri.* Modernistae negotium plane invertunt : quibus idcirco applicari queunt quae Gregorius IX item decessor Noster de quibusdam suae aetatis theologis scribebat [2] : *Quidam apud vos, spiritu vanitatis ut uter distenti, positos a Patribus terminos profana transferre satagunt novitate ; caelestis paginae intellectum.... ad doctrinam philosophicam rationalium inclinando, ad ostentationem scientiae, non profectum aliquem auditorum... Ipsi, doctrinis variis et peregrinis abducti, redigunt caput in caudam, et ancillae cogunt famulari reginam.*

Quod reprobavit Pius IX.

Modus agendi modernistarum his principiis consentaneus.

Quod profecto apertius patebit intuenti quo pacto modernistae agant, accommodate omnino ad ea quae docent. Multa enim ab iis contrarie videntur scripta vel dicta, ut quis facile illos aestimet ancipites atque incertos. Verumtamen consulte id et considerate accidit ; ex opinione

---

[1] Brev. ad Ep. Wratislav., 15 iun. 1857.
[2] Ep. ad Magistros theol. Paris., non. iul. 1223.

scilicet quam habent de fidei atque scientiae seiunctione mutua. Hinc in eorum libris quaedam offendimus quae catholicus omnino probet ; quaedam, aversa pagina, quae rationalistam dictasse autumes. Hinc, historiam scribentes, nullam de divinitate Christi mentionem iniciunt ; ad contionem vero in templis eam firmissime profitentur. Item, enarrantes historiam, Concilia et Patres nullo loco habent ; catechesim autem si tradunt, illa atque illos cum honore afferunt. Hinc etiam exegesim theologicam et pastoralem a scientifica et historica secernunt. Similiter, ex principio quod scientia a fide nullo pacto pendeat, cum de philosophia, de historia, de critice disserunt, Lutheri sequi vestigia non exhorrentes [1], despicientiam praeceptorum catholicorum, sanctorum Patrum, oecumenicarum synodorum, magisterii ecclesiastici omnimodis ostentant ; de qua si carpantur, libertatem sibi adimi conqueruntur. Professi demum fidem esse scientiae subiciendam, Ecclesiam passim aperteque reprehendunt quod sua dogmata philosophiae opinionibus subdere et accommodare obstinatissime renuat ; ipsi vero, veteri ad hunc finem theologia sublata, novam invehere contendunt, quae philosophorum delirationibus obsecundet.

Ipsam Ecclesiam reprehendunt.

Hic iam, Venerabiles Fratres, nobis fit aditus ad modernistas in theologico agone spectandos. Salebrosum quidem opus : sed paucis absolvendum. — Agitur nimirum de concilianda fide cum scientia, idque non aliter quam una alteri subiecta. Eo in genere modernista theologus iisdem utitur principiis, quae usui philosopho esse vidimus, illaque ad credentem aptat ; principia inquimus *immanentiae et symbolismi*. Sic autem rem expeditissime perficit. Traditur a philosopho *principium fidei esse immanens ;* a credente additur *hoc principium Deum esse :* concludit ipse : *Deus* ergo *est immanens in homine*. Hinc *immanentia theologica*. Iterum : Philosopho certum est *repraesentationes obiecti fidei esse tantum symbolicas ;* credenti pariter certum est *fidei obiectum esse Deum in se :* theologus igitur colligit : *repraesentationes divinae realitatis esse symbolicas*. Hinc *symbolismus theologicus*. — Errores profecto maximi : quorum uterque quam sit perniciosus, consequentiis inspectis patebit. — Nam, ut de *symbolismo* statim dicamus, cum symbola talia sint repectu obiecti, respectu autem credentis sint instrumenta, cavendum primum, inquiunt, credenti, ne ipsi formulae ut formula est plus nimio inhaereat, sed illa utendum unice ut absolutae adhaerescat veritati, quam formula retegit simul ac tegit nititurque exprimere, quin umquam assequatur. Addunt praeterea, formulas eiusmodi esse a credente adhibendas quatenus ipsum iuverint ; ad commodum enim datae sunt non ad impedimentum : incolumi utique honore qui, ex sociali respectu, debetur formulis, quas publicum magisterium aptas ad communem conscientiam exprimendam iudicarit, quam diu scilicet idem magisterium secus quidpiam non edixerit. — De *immanentia* autem quid reapse modernistae sentiant, difficile est indicare ; non enim eadem omnium opinio. Sunt qui in eo collocant, quod Deus agens intime adsit in homine, magis quam ipse sibi homo ; quod plane,

3. Ut theologi, *immanentiam colunt theologicam et theologicum symbolismum.*

Ex symbolismo extenuant vim formularum dogmaticarum, salvo honore qui ex sociali respectu est Ecclesiae magisterio tribuendus.

De immanentia diversimode sentiunt.

[1] Prop. 29 damn. a Leone X, Bull. « *Exsurge Domine,* » 16 maii 1520. *Via nobis facta est enervandi auctoritatem Conciliorum, et libere contradicendi eorum gestis, et iudicandi eorum decreta, et confidenter confitendi quidquid verum videtur, sive probatum fuerit, sive reprobatum a quocumque Concilio.*

si recte intellegitur, reprehensionem non habet. Alii in eo ponunt, quod actio Dei una sit cum actione naturae ut causae primae cum causae secundae ; quod ordinem supernaturalem reapse delet. Alii demum sic explicant, ut suspicionem efficiant pantheisticae significationis ; id autem cum ceteris eorum doctrinis cohaeret aptius.

Accedit pronuntiatum permanentiae divinae. Sic fit ut christiani vitam Christi agant, et Ecclesia vel sacramenta post Christum incipi potuerint, et tamen a Christo dici instituta. Eodem modo divina dicuntur dogmata et Scripturae.

Huic vero *immanentiae* pronuntiato aliud adicitur, quod a *permanentia divina* vocare possumus : quae duo inter se eo fere modo differunt, quo *experientia* privata ab *experientia* per traditionem transmissa. Exemplum rem collustrabit : sitque ab Ecclesia et Sacramentis deductum. Ecclesia, inquiunt, et Sacramenta a Christo ipso instituta minime credenda sunt. Cavet id agnosticismus, qui in Christo nil praeter hominem novit, cuius conscientia religiosa, ut ceterorum hominum, sensim efformata est ; cavet lex immanentiae, quae externas, ut aiunt, *applicationes* respuit ; cavet item lex evolutionis, quae ut germina evolvantur tempus postulat et quandam adiunctorum sibi succedentium seriem ; cavet demum historia, quae talem reapse rei cursum fuisse ostendit. Attamen Ecclesiam et Sacramenta *mediate* a Christo fuisse instituta retinendum est. Qui vero ? Conscientias christianas omnes in Christi conscientia virtute quodammodo inclusas affirmant, ut in semine planta. Quoniam autem germina vitam seminis vivunt : christiani omnes vitam Christi vivere dicendi sunt. Sed Christi vita, secundum fidem, divina est : ergo et christianorum vita. Si igitur haec vita, decursu aetatum, Ecclesiae et Sacramentis initium dedit, iure omnino dicetur initium huiusmodi esse a Christo ac divinum esse. Sic omnino conficiunt divinas esse etiam Scripturas sacras, divina dogmata. — His porro modernistarum theologia ferme absolvitur. Brevis profecto supellex : sed ei perabundans, qui profiteatur scientiae, quidquid praeceperit, semper esse obtemperandum. — Horum ad cetera quae dicemus applicationem quisque facile per se viderit.

Placita modernistarum de dogmate.

De origine fidei deque eius natura attigimus huc usque. Fidei autem cum multa sint germina, praecipua vero Ecclesia, dogma, sacra et religiones, libri quos sanctos nominamus ; de his quoque quid modernistae doceant, inquirendum. — Atque ut dogma initium ponamus, huius quae sit origo et natura iam supra indicatum est. Oritur illud ex impulsione quadam seu necessitate, vi cuius qui credit in suis cogitatis elaborat, ut conscientia tam sua quam aliorum illustretur magis. Est hic labor in rimando totus expoliendoque primigeniam mentis *formulam*, non quidem in se illam secundum logicam explicationem, sed secundum circumstantia, seu, ut minus apte ad intellegendum inquiunt, *vitaliter*. Inde fit ut, circa illam *secundariae* quaedam, ut iam innuimus, sensim enascantur formulae : quae postea in unum corpus coagmentatae vel in unum doctrinae aedificium, cum a magisterio publico sancitae fuerint utpote communi conscientiae respondentes, dicuntur dogma. Ab hoc secernendae sunt probe theologorum commentationes ; quae ceteroqui, quamvis vitam dogmatis non vivunt, non omnino tamen sunt inutiles, tum ad religionem cum scientia componendam et oppositiones inter illas tollendas, tum ad religionem ipsam extrinsecus illustrandam protuendamque ; forte etiam utilitati fuerint novo cuidam futuro dogmati materiam praeparando.

Quae partes sint theologorum.

[1] Sess. VII, *de Sacramentis in genere*, can. 5.

Modernistarum placita de cultu sacrorum; error maximus de sacramentis, damnatus a Tridentino Conc.

De cultu sacrorum haud foret multis dicendum, nisi eo quoque nomine Sacramenta venirent; de quibus maximi modernistarum errores. Cultum ex duplici impulsione seu necessitate oriri perhibent; omnia etenim, ut vidimus, in eorum systemate impulsionibus intimis seu necessitatibus gigni asseruntur. Altera est ad sensibile quiddam religioni tribuendum, altera ad eam proferendam, quod fieri utique nequaquam possit sine forma quadam sensibili et consecrantibus actibus, quae Sacramenta dicimus. Sacramenta autem modernistis nuda sunt symbola seu signa; quamvis non vi carentia. Quam vim ut indicent, exemplo ipsi utuntur verborum quorundam; quae vulgo fortunam dicuntur sortita, eo quod virtutem conceperint ad notiones quasdam propagandas, robustas maximeque percellentes animos. Sicut ea verba ad notiones, sic Sacramenta ad sensum religiosum ordinata sunt: nihil praeterea. Clarius profecto dicerent, si Sacramenta unice ad nutriendam fidem instituta affirmarent. Hoc tamen Tridentina Synodus damnavit [1]: *Si quis dixerit haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit.*

Modernistarum placita de libris sacris eorumque inspiratione, quam praedicant universalem, nulla tamen est, sensu catholico.

De librorum etiam sacrorum natura et origine aliquid iam delibavimus. Eos, ad modernistarum scita, definire probe quis possit syllogen *experientiarum*, non cuique passim advenientium, sed extraordinariarum atque insignium, quae in quapiam religione sunt habitae. — Sic prorsus modernistae docent de libris nostris tum veteris tum novi testamenti. Ad suas tamen opiniones callidissime notant: quamvis experientia sit praesentis temporis, posse tamen illam de praeteritis aeque ac de futuris materiam sumere, prout videlicet qui credit vel exacta rursus per recordationem in modum *praesentium vivit*, vel futura per praeoccupationem. Id autem explicat quomodo historici quoque et apocalyptici in libris sacris censeri queant. — Sic igitur in hisce libris Deus quidem loquitur per credentem; sed, uti fert theologia modernistarum, per *immanentiam* solummodo et *permanentiam vitalem*. — Quaeremus quid tum de inspiratione? Haec, respondent, ab impulsione illa, nisi forte vehementia, nequaquam secernitur, qua credens ad fidem suam verbo scriptove aperiendam adigitur. Simile quid habemus in poetica inspiratione; quare quidam aiebat: Est Deus in nobis, agitante calescimus illo. Hoc modo Deus initium dici debet inspirationis sacrorum librorum. — De qua praeterea inspiratione, modernistae addunt, nihil omnino esse in sacris libris quod illa careat. Quod cum affirmant, magis eos crederes orthodoxos quam recentiores alios, qui inspirationem aliquantum coangustant, ut, exempli causa, cum *tacitas* sic dictas *citationes* invehunt [1]. Sed haec illi verbo tenus ac simulate. Nam si Biblia ex agnosticismi praeceptis iudicamus, humanum scilicet opus, ab hominibus pro hominibus exaratum, licet ius theologo detur ea per *immanentiam* divina praedicandi; qui demum inspiratio coartari possit? Generalem utique modernistae sacrorum librorum inspirationem asseverant: catholico tamen sensu nullam admittunt.

---

[1] Versio gall.: *En quoi vous les croiriez plus orthodoxes que certains autres de ce temps qui la rétrécissent quelque peu, en lui dérobant, par exemple, ce qu'ils appellent les citations implicites;* italica vero: *Nel che potrebbe taluno crederli più ortodossi di certi altri moderni che restringono alquanto la ispirazione, come, a mo' di esempio, nelle così dette citazioni tacite.*

Eorundem placita de Ecclesia. Est partus conscientiae collectivae, pendentis a primo aliquo credente; pro catholicis, a Christo.

Largiorem dicendi segetem offerunt, quae modernistarum schola de Ecclesia imaginatur. — Ponunt initio eam ex duplici necessitate oriri, una in credente quovis, in eo praesertim qui primigeniam ac singularem aliquam sit nactus experientiam, ut fidem suam cum aliis communicet; altera, postquam fides communis inter plures evaserit, in *collectivitate*, ad coalescendum in societatem et ad commune bonum tuendum, augendum, propagandum. Quid igitur Ecclesia? partus est *conscientiae collectivae* seu consociationis conscientiarum singularium quae, vi *permanentiae vitalis*, a primo aliquo credente pendeant, videlicet, pro catholicis, a Christo. — Porro societas quaepiam moderatrice auctoritate indiget, cuius sit officium consociatos omnes in communem finem dirigere, et compagis elementa tueri prudenter, quae, in religioso coetu, doctrina et cultu absolvuntur. Hinc in Ecclesia catholica auctoritas tergemina: *disciplinaris, dogmatica, cultualis*. — Iam auctoritatis huius natura ex origine colligenda est; ex natura vero iura atque officia repetenda. Praeteritis aetatibus vulgaris fuit error quod auctoritas in Ecclesiam extrinsecus accesserit, nimirum immediate a Deo; quare *autocratica* merito habebatur. Sed haec nunc temporis obsolevere. Quo modo Ecclesia e conscientiarum collectivitate emanasse dicitur, eo pariter auctoritas ab ipsa Ecclesia vitaliter emanat. Auctoritas igitur, sicut Ecclesia, ex conscientia religiosa oritur, atque ideo eidem subest; quam subiectionem si spreverit, in tyrannidem vertitur. Ea porro tempestate nunc vivimus, cum libertatis sensus in fastigium summum excrevit. In civili statu conscientia publica populare regimen invexit. Sed conscientia in homine, aeque atque vita, una est. Nisi ergo in hominum conscientiis intestinum velit excitare bellum ac fovere, auctoritati Ecclesiae officium inest democraticis utendi formis; eo vel magis quod, ni faxit, exitium imminet. Nam amens profecto fuerit, qui in sensu libertatis, qualis nunc viget, regressum posse fieri aliquando autumet. Constrictus vi atque inclusus, fortior se profundet, Ecclesia pariter ac religione deleta. — Haec omnia modernistae ratiocinantur; qui propterea toti sunt in indagandis viis ad auctoritatem Ecclesiae cum credentium libertate componendam.

Ipsa auctoritas ex conscientia ista oritur, eique subesse debet, ne tyrannica fiat.

Finibus ita separantur Ecclesia et Status, ut plane dissociandi sint, et in actione civili Ecclesia plane sit neglegenda.

Sed enim non intra domesticos tantum parietes habet Ecclesia quibuscum amice cohaerere illam oporteat; habet in extra. Non una namque ipsa occupat mundum; occupant aeque consociationes aliae, quibuscum commercium et usus necessario intercedat. Quae iura igitur, quae sint Ecclesiae officia cum civilibus consociationibus determinandum est etiam, nec aliter determinandum nisi ex ipsius Ecclesiae natura, qualem nimirum modernistae nobis descripsere. — In hoc autem iisdem plane regulis utuntur, quae supra pro scientia atque fide sunt allatae. Ibi de *obiectis* sermo erat, heic de *finibus*. Sicut igitur *ratione obiecti* fidem ac scientiam extraneas ab invicem vidimus: sic Status et Ecclesia alter ab altera extranea sunt ob fines quos persequuntur, temporalem ille, haec spiritualem. Licuit profecto alias temporale spirituali subici; licuit de *mixtis* quaestionibus sermonem interseri, in quibus Ecclesia ut domina ac regina intererat, quia nempe Ecclesia a Deo, sine medio, ut ordinis supernaturalis est auctor, instituta ferebatur. Sed iam haec a philosophis atque historicis respuuntur. Status ergo ab Ecclesia dissociandus, sicut etiam catholicus a cive. Quam ob rem catholicus quilibet, quia etiam civis, ius atque officium habet, Ecclesiae auctoritate neglecta, eius optatis consiliis

praeceptisque posthabitis, spretis immo reprehensionibus, ea persequendi quae civitatis utilitati conducere arbitretur. Viam ad agendum civi praescribere praetextu quolibet, abusus ecclesiasticae potestatis est, toto nisu reiciendus. — Ea nimirum, Venerabiles Fratres, unde haec omnia dimanant, eadem profecto sunt, quae Pius VI decessor Noster, in Constitutione apastolica *Auctorem fidei* sollemniter damnavit [1].

Haec de Ecclesia placita damnata a Pio VI.

Sed modernistarum scholae satis non est debere Statum ab Ecclesia seiungi. Sicut fidem, quod ad elementa, ut inquiunt, phaenomenica scientiae subdi oportet, sic in temporalibus negotiis Ecclesiam subesse Statui. Hoc quidem illi aperte nondum forte asserunt; ratiocinationis tamen vi coguntur admittere. Posito etenim quod in temporalibus rebus Status possit unus, si accidat credentem, intimis religionis actibus haud contentum, in externos exsilire, ut puta administrationem susceptionemve Sacramentorum, necesse erit haec sub Status dominium cadere. Ecquid tum de ecclesiastica auctoritate? Cum haec nisi per externos actus non explicetur, Statui, tota quanta est, erit obnoxia. Hac nempe consecutione coacti, multi e protestantibus *liberalibus* cultum omnem sacrum externum, quin etiam externam quamlibet religiosam consociationem e medio tollunt, religionemque, ut aiunt, *individualem* invehere annituntur. — Quod si modernistae nondum ad haec palam progrediuntur, petunt interea ut Ecclesia quo ipsi impellunt sua se sponte inclinet seseque ad civiles formas aptet. Atque haec de auctoritate *disciplinari*. — Nam de *doctrinali* et *dogmatica* potestate longo peiora sunt ac perniciosiora quae sentiunt. De magisterio Ecclesiae sic scilicet commentantur. Consociatio religiosa in unum vere coalescere nequaquam potest, nisi una sit consociatorum conscientia, unaque, qua utantur, formula. Utraque autem haec unitas mentem quandam quasi communem expostulat, cuius sit reperire ac determinare formulam, quae communi conscientiae rectius respondeat; cui quidem menti satis auctoritatis inesse oportet ad formulam quam statuerit communitati imponendam. In hac porro coniunctione ac veluti fusione tum mentis formulam eligentis tum potestatis eandem perscribentis, magisterii ecclesiastici notionem modernistae collocant. Cum igitur magisterium ex conscientiis singularibus tandem aliquando nascatur, et publicum officium in earundem conscientiarum commodum mandatum habeat, consequitur necessario, illud ab iisdem conscientiis pendere, ac proinde ad populares formas esse inflectendum. Quapropter singularium hominum conscientias prohibere quominus impulsiones quas sentiunt palam aperteque profiteantur, et criticae viam praepedire qua dogma ad necessarias evolutiones impellat, potestatis ad utilitatem permissae non usus est sed abusus. — Similiter in usu ipso potestatis modus temperatioque sunt adhibenda. Librum quemlibet, auctore inscio, notare ac proscribere, nulla explicatione admissa, nulla disceptatione, tyrannidi profecto est proximum. — Quare heic etiam medium est quoddam iter reperien-

Logice debent Ecclesiam profiteri in temporalibus subditam.

Petunt ut Ecclesia ad civiles formas se aptet.

Error modernistarum de Ecclesiae magisterio, quod ad populares formas dicunt esse inflectendum, nec impulsiones conscientiarum impedire posse.

Potestatis usus est temperandus praecipue in damnandis libris.

[1] Prop. 2. *Propositio quae statuit potestatem a Deo datam Ecclesiae ut communicaretur Pastoribus, qui sunt eius ministri, pro salute animarum; sic intellecta, ut a communitate fidelium in Pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: haeretica.* — Prop. 3. *Insuper, quae statuit Romanum Pontificem esse caput ministeriale; sic explicata ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius ac totius Ecclesiae caput pollet in universa Ecclesia: haeretica.*

dum, ut auctoritati simul ac libertati integra sint iura. Interea temporis catholico sic est agendum, ut auctoritatis quidem observantissimum se publice profiteatur, suo tamen obsequi ingenio non intermittat. — Generatim vero sic de Ecclesia praescribunt: quoniam ecclesiasticae potestatis finis ad spiritualia unice pertinet, externum apparatum omnem esse tollendum, quo illa ad intuentium oculos magnificentius ornatur. In quo illud sane neglegitur, religionem, etsi ad animos pertineat, non tamen unice animis concludi, et honorem potestati impensum in Christum institutorem recidere.

Tollendus externus apparatus.

Modernistarum placita de fidei explicatione. Caput est evolutio.

Porro ut totam hanc de fide deque vario ejus germine materiam absolvamus, restat, Venerabiles Fatres, ut de utrorumque explicatione postremo loco modernistarum praecepta audiamus. — Principium hic generale est: in religione, quae vivat, nihil variabile non esse, atque idcirco variandum. Hinc gressum faciunt ad illud, quod in eorum doctrinis fere caput est, videlicet ad *evolutionem*. Dogma igitur, ecclesia, sacrorum cultus, libri, quos ut sanctos veremur, quin etiam fides ipsa, nisi intermortua haec omnia velimus, evolutionis teneri legibus debent. Neque hoc mirum videri queat, si ea prae oculis habeantur, quae sunt de horum singulis a modernistis tradita. Posita igitur evolutionis lege, evolutionis rationem a modernistis ipsis descriptam habemus. Et primo quod ad fidem. Primigenia, inquiunt, fidei forma rudis et universis hominibus communis fuit, ut quae ex ipsa hominum natura atque vita oriebatur. Evolutio vitalis progressum dedit; nimirum non novitate formarum extrinsecus accedentium, sed ex pervasione in dies auctiore sensus religiosi in conscientiam. Dupliciter autem progressio ipsa est facta: *negative* primum, elementum quodvis extraneum, ut puta ex familia vel gente adveniens, eliminando; dehinc *positive*, intellectiva ac morali hominis expolitione, unde notio divini amplior ac lucidior *sensusque religiosus* exquisitior evasit. Progredientis vero fidei eaedem sunt causae afferendae, quam quae superius sunt allatae ad eius originem explicandam. Quibus tamen extraordinarios quosdam homines addi oportet (quos nos prophetas appellamus, quorumque omnium praestantissimus est Christus); tum quia illi in vita ac sermonibus arcani quidpiam prae se tulerunt, quod fides divinitati tribuebat; tum quia novas nec ante habitas *experientias* sunt nacti, religiosae cuiusque temporis indigentiae respondentes. — Dogmatis autem progressus inde potissimum enascitur, quod fidei impedimenta sint superanda, vincendi hostes, contradictiones refellendae. Adde his nisum quendam perpetuum ad melius penetranda quae in arcanis fidei continentur. Sic, ut exempla cetera praetereamus, de Christo factum est: in quo divinum illud qualecumque, quod fides admittebat, ita pedetentim et gradatim amplificatum est, ut demum pro Deo haberetur. — Ad evolutionem cultus facit praecipue necessitas ad mores traditionesque populorum sese accommodandi; item quorundam virtute actuum fruendi, quam sunt ex usu mutuati. — Tandem pro Ecclesia evolutionis causa inde oritur, quod componi egeat cum adiunctis historicis cumque civilis regiminis publice invectis formis. — Sic illi de singulis. Hic autem, antequam procedamus, doctrina haec de *necessitatibus* seu *indigentiis* (vulgo *dei bisogni* significantius appellant) probe ut notetur velimus; etenim, praeterquam omnium quae vidimus, est veluti basis ac fundamentum famosae illius methodi quam historicam dicunt.

Evolutionis ratio generalis.

Evolutio dogmatis.

Evolutio cultus.

Evolutio Ecclesiae.

Fundamentum methodi historicae: doctrina de indigentiis.

Evolutio doctrinalis e conflictu duarum virium perficitur: conservatricis, quam exserit auctoritas, et agentis ad progressionem, quae latet ac molitur in conscientiis privatorum.

In evolutionis doctrina ut adhuc sistamus, illud praeterea est advertendum quod, etsi indigentiae seu necessitates ad evolutionem impellunt, his tamen unis acta evolutio, transgressa facile traditionis fines atque ideo a primigenio vitali principio avulsa, ad ruinam potius quam ad progressionem traheret. Hinc, modernistarum mentem plenius secuti, evolutionem ex conflictione duarum virium evenire dicemus, quarum altera ad progressionem agit, altera ad conservationem retrahit. — Vis conservatrix viget in Ecclesia, contineturque traditione. Eam vero exserit religiosa auctoritas; idque tam iure ipso, est enim in auctoritatis natura traditionem tueri; tam re, auctoritas namque, a commutationibus vitae reducta, stimulis ad progressionem pellentibus nihil aut vix urgetur. E contra vis ad progrediendum rapiens atque intimis indigentiis respondens latet ac molitur in privatorum conscientiis, illorum praecipue qui vitam, ut inquiunt, propius atque intimius attingunt. — En hic, Venerabiles Fratres, doctrinam illam exitiosissimam efferre caput iam cernimus, quae laicos homines in Ecclesiam subinfert ut progressionis elementa. — Ex conventu quodam et pacto inter binas hasce vires, conservatricem et progressionis fautricem, inter auctoritatem videlicet et conscientias privatorum, progressus ac mutationes oriuntur. Nam privatorum conscientiae, vel harum quaedam, in conscientiam collectivam agunt; haec vero in habentes auctoritatem, cogitque illos pactiones conflare atque in pacto manere. — Ex his autem pronum est intellegere, cur modernistae mirentur adeo, cum reprehendi se vel puniri sciunt. Quod iis culpae vertitur, ipsi pro officio habent religiose explendo. Necessitates conscientiarum nemo melius novit quam ipsi, eo quod propius illas attingunt, quam ecclesiastica auctoritas. Eas igitur necessitates omnes quasi in se colligunt: unde loquendi publice ac scribendi officio devinciuntur. Carpat eos, si volet, auctoritas; ipsi conscientia officii fulciuntur, intimaque experientia norunt non sibi reprehensiones deberi sed laudes. Utique non ipsos latet progressiones sine certaminibus haud fieri, nec sine victimis certamina: sint ergo ipsi pro victimis, sicut prophetae et Christus. Nec ideo quod male habentur, auctoritati invident: suum illam exsequi munus ultro concedunt. Queruntur tantum quod minime exaudiuntur; sic enim cursus animorum tardatur: hora tamen rumpendi moras certissime veniet, nam leges evolutionis coerceri possunt, infringi omnino non possunt. Instituto ergo itinere pergunt: pergunt, quamvis redarguti et damnati; incredibilem audaciam fucatae demissionis velamine obducentes. Cervices quidem simulate inflectunt; manu tamen atque animo quod susceperunt persequuntur audacius. Sic autem volentes omnino prudentesque agunt; tum quia tenent auctoritatem stimulandam esse, non evertendam; tum quia necesse illis est intra Ecclesiae saepta manere, ut collectivam conscientiam sensim immutent; quod tamen cum aiunt, fateri se non advertunt conscientiam collectivam ab ipsis dissidere, atque ideo nullo eos iure illius se interpretes venditare.

Hinc laici sunt progressionis elementa,

ac mirantur modernistae se puniri. Hinc simul eorum obstinatio et fucata demissio.

Conscientiae collectivae quam immutare volunt nequeunt esse interpretes.

Sic igitur, Venerabiles Fratres, modernistis auctoribus atque actoribus, nihil stabile, nihil immutabile in Ecclesia esse oportet. Qua equidem in sententia praecursoribus non caruere, illis nimirum, de quibus Pius IX decessor Noster iam scribebat: *Isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane ac sacrilego ausu illum inducere velleni, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset aut philosophicum aliquod*

Error iste de evolutione non novus, sed iam confixus a Pio IX et in Conc. Vaticano.

inventum, quod humanis modis perfici queat [1]. — De revelatione praesertim ac dogmate nulla doctrinae modernistarum novitas; sed eadem illa est, quam in Pii IX syllabo reprobatam reperimus, sic enuntiatam: *Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat* [2]; sollemnius vero in Vaticana Synodo per haec verba: *Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi sponsae traditae, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec umquam ab eo sensu altioris intellegentiae specie et nomine recedendum* [3]: quo profecto explicatio nostrarum notionum, etiam circa fidem, tantum abest ut impediatur, ut immo adiuvetur ac provehatur. Quam ob rem eadem Vaticana Synodus sequitur: *Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gradibus, intellegentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia* [4].

Vera evolutionis ratio.

Sed postquam in modernismi assectatoribus philosophum, credentem, theologum observavimus, iam nunc restat ut pariter historicum, criticum, apologetam, reformatorem spectemus.

B. *Expositionis* PARS ALTERA. *Propositum.* *4. Ut* historici *et* critici. *Quamvis nomen philosophi repudient, modernistae re vera philosophiam loquuntur in agnosticismo, transfiguratione ac defiguratione rerum per fidem.*

Modernistarum quidam, qui componendis historiis se dedunt, solliciti magnopere videntur ne credantur philosophi; profitentur quin immo philosophiae se penitus expertes esse. Astute id quam quod maxime: ne scilicet cuipiam sit opinio, eos praeiudicatis imbui philosophiae opinationibus, nec esse propterea, ut aiunt, omnino *obiectivos*. Verum tamen est, historiam illorum aut criticen meram loqui philosophiam; quaeque ab iis inferuntur, ex philosophicis eorum principiis iusta ratiocinatione concludi. Quod equidem facile consideranti patet. — Primi tres huiusmodi historicorum aut criticorum canones, ut diximus, eadem illa sunt principia, quae supra ex philosophis attulimus: nimirum *agnosticismus*, theorema de *transfiguratione* rerum per fidem, itemque aliud quod de *defiguratione* dici posse visum est. Iam consecutiones ex singulis notemus.

Ex agnosticismo, historia est phaenomenalis.

— Ex *agnosticismo* historia, non aliter ac scientia, unice de phaenomenis est. Ergo tam Deus quam quilibet in humanis divinus interventus ad fidem reiciendus est, utpote ad illam pertinens unam. Quapropter si quid occurrat duplici constans elemento, divino atque humano, cuiusmodi sunt Christus, Ecclesia, Sacramenta, aliaque id genus multa, sic partiendum erit ac secernendum, ut quod humanum fuerit historiae, quod divinum tribuatur fidei. Ideo vulgata apud modernistas discretio inter Christum historicum et Christum fidei, Ecclesiam historiae et Ecclesiam fidei, Sacramenta historiae et Sacramenta fidei, aliaque similia passim. — Deinde hoc ipsum elementum humanum, quod sibi historicum sumere videmus, quale illud in monumentis apparet, a fide per *transfigurationem* ultra condiciones historicas elatum dicendum est. Adiectiones igitur a fide factas rursus

Ex transfiguratione ac defiguratione, plura reiciunt, norma uten-

---

[1] Encycl. *Qui pluribus*, 9 nov. 1846.
[2] Syll. Prop. 5.
[3] Const. *Dei Filius*, cap. IV.
[4] *Loc. cit.*

secernere oportet, easque ad fidem ipsam amandare atque ad historiam fidei : sic, cum de Christo agitur, quidquid condicionem hominis superat, sive naturalem prout a psychologia exhibetur, sive ex loco atque aetate, quibus ille vixit, conflatam. — Praeterea, ex tertio philosophiae principio, res etiam, quae historiae ambitum non excedunt, cribro veluti cernunt, eliminantque omnia ac pariter ad fidem amandant quae ipsorum iudicio, in factorum *logica*, ut inquiunt, non sunt vel personis apta non fuerint. Sic volunt Christum ea non dixisse quae audientis vulgi captum excedere videntur. Hinc de *reali* eius historia delent et fidei permittunt allegorias omnes quae in sermonibus eius occurrunt. Quaeremus forsitan qua lege haec segregentur ? Ex ingenio hominis, ex condicione qua sit in civitate usus, ex educatione, ex adiunctorum facti cuiusquam complexu : uno verbo, si bene novimus, ex norma quae tandem aliquando in mere *subiectivam* recidit. Nituntur scilicet Christi personam ipsi capere et quasi gerere : quidquid vero paribus in adiunctis ipsi fuissent acturi, id omne in Christum transferunt. — Sic igitur, ut concludamus, *a priori* et ex quibusdam philosophiae principiis, quam tenent quidem sed ignorare asserunt, in *reali*, quam vocant, historia Christum Deum non esse affirmant nec quicquam divini egisse ; ut hominem vero ea tantum patrasse aut dixisse, quae ipsi, ad illius se tempora referentes, patrandi aut dicendi ius tribuunt.

tes subiectiva.

A priori mutilata historia Christi.

Ut autem historia ab philosophia, sic critice ab historia suas accipit conclusiones. Criticus namque, indicia secutus ab historico praebita, monumenta partitur bifariam. Quidquid post dictam triplicem obtruncationem superat, *reali* historiae assignat ; cetera ad fidei historiam seu *internam* ablegat. Has enim binas historias accurate distinguunt ; et historiam fidei, quod bene notatum volumus, historiae *reali* ut realis est opponunt. Hinc, ut iam diximus, geminus Christus ; realis alter, alter qui numquam reapse fuit sed ad fidem pertinet ; alter qui certo certaque vixit aetate, alter qui solummodo in piis commentationibus fidei reperitur; eiusmodi exempli causa est Christus, quem Ioannis evangelium exhibet ; quod utique, aiunt, totum quantum est commentatio est [1].

Critices dein alia monumenta assignat reali historiae, alia ad fidei historiam ablegat.

Hinc geminus Christus.

Verum non his philosophiae in historiam dominatus absolvitur. Monumentis, ut diximus, bifariam distributis, adest iterum philosophus cum suo dogmate *vitalis immanentiae ;* atque omnia edicit, quae sunt in Ecclesiae historia, per *vitalem emanationem* esse explicanda. Atqui vitalis cuiuscumque emanationis aut causa aut condicio est in necessitate seu indigentia quapiam ponenda, ergo et factum post necessitatem concipi oportet, et illud historice huic esse posterius. — Quid tum historicus ? Monumenta iterum, sive quae in libris sacris continentur sive aliunde adducta, scrutatus, indicem ex iis conficit singularum necessitatum, tum ad dogma, tum ad cultum sacrorum, tum ad alia spectantium, quae in Ecclesia, altera ex altera, locum habuere. Confectum indicem critico tradit. Hic vero ad monumenta, quae fidei historiae destinantur, manum admovet ; illaque per aetates singulas sic disponit, ut dato indici respondeant singula : eius semper praecepti memor, factum necessitate, narra-

Omnis historia Ecclesiae ab ipsis per vitalem immanentiam explicatur, cuius causa seu condicio est in aliqua necessitate.

Hinc ex necessitatibus successivis dies monumentis assignatur.

[1] Vers. gall. : *Cet évangile n'est d'un bout à l'autre qu'une pure contemplation ;* italica vero : *Il qual Vangelo, affermano, dall'un capo all'altro non è che meditazione.*

tionem facto anteverti. Equidem fieri aliquando possit, quasdam Bibliorum partes, ut puta epistolas, ipsum esse factum a necessitate creatum. Quid quid tamen sit, lex est, monumenti cuiuslibet aetatem non aliter determinandam esse quam ex aetate exortae in Ecclesia unius cuiusque necessitatis. — Distinguendum praeterea est inter facti cuiuspiam exordium eiusdemque explicationem : quod enim uno die nasci potest, non nisi decursu temporis incrementa suscipit. Hanc ob causam debet criticus monumenta, per aetates, ut diximus, iam distributa bipartiri iterum, altera quae ad originem rei, altera quae ad explicationem pertineant secernens ; eaque rursus ordinare per tempora.

Tandem applicando evolutionis leges ac praecepta, conficitur historia,

Tum denuo philosopho locus est, qui iniungit historico sua studia sic exercere, uti evolutionis praecepta legesque praescribunt. Ad haec historicus monumenta iterum scrutari ; inquirere curiose in adiuncta condicionesque quibus Ecclesia per singulas aetates sit usa, in eius vim conservatricem, in necessitates tam internas quam externas quae ad progrediendum impellerent, in impedimenta quae obfuerunt, uno verbo, in ea quaecumque quae ad determinandum faxint quo pacto evolutionis leges fuerint servatae. Post haec tandem explicationis historiam, per extrema veluti lineamenta describit. Succurrit criticus aptatque monumenta reliqua. Ad scriptionem adhibetur manus : historia confecta est. — Cui iam, petimus, haec historia inscribenda ? Historicone an critico ? Neutri profecto ; sed philosopho. Tota ibi per *apriorismum* res agitur : et quidem per apriorismum haeresibus scatentem. Miseret sane hominum eiusmodi de quibus Apostolus diceret : *Evanuerunt in cogitationibus suis..... dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* [1] : at bilem tamen commovent cum Ecclesiam criminantur monumenta sic permiscere ac temperare ut suae utilitati loquantur [2]. Nimirum affingunt Ecclesiae, quod sua sibi conscientia apertissime improbari sentiunt.

quae philosopho, non historico vel critico est inscribenda.

Miserationem excitant, simul tamen indignationem, quia Ecclesiae affingunt arbitrarias huiusmodi dispositiones.

Ex illa porro monumentorum per aetates partitione ac dispositione sequitur sua sponte non posse libros sacros iis auctoribus tribui quibus reapse inscribuntur. Quam ob causam, modernistae passim non dubitant asserere, illos eosdem libros, Pentateuchum praesertim ac prima tria Evangelia, ex brevi quadam primigenia narratione, crevisse gradatim accessionibus [3], interpositionibus nempe in modum interpretationis sive theologicae sive allegoricae, vel etiam iniectis ad diversa solummodo inter se iungenda. — Nimirum, ut paucis clariusque dicamus, admittenda

Vitalem itaque evolutionem librorum sacrorum contendunt admittendam, praecipue Penta-

---

[1] *Ad Rom.* I, 21-22.

[2] Vers. gall. : *Mais où ils soulèvent le cœur d'indignation, c'est quand ils accusent l'Église de torturer les textes, de les arranger et de les amalgamer à sa guise et pour les besoins de sa cause ;* italica vero : *Ma muovano in pari tempo a sdegno, quando poi accusano la Chiesa di manipolare i documenti in guisa da farli servire ai propri vantaggi.*

[3] Versio gall. : *Ils n'hésitent pas à affirmer couramment, que les livres en question, surtout le Pentateuque et les trois premiers Évangiles se sont formés lentement d'adjonctions faites à une narration primitive fort brève : interpolations par maniere d'interprétations théologiques ou allégoriques, ou simplement transitions et sutures ;* italica vero : *E questo è il motivo perchè i modernisti non esitano punto nell'affermare che quei libri, e specialmente il Pentateuco ed i tre primi Vangeli, da una breve narrazione primitiva, son venuti man mano crescendo per aggiunte o interpolazioni, sia a maniera di interpretazioni o teologiche o allegoriche, sia a modo di transizioni che unissero fra sè le parti.*

est *vitalis evolutio* librorum sacrorum, nata ex evolutione fidei eidemque respondens. — Addunt vero, huius evolutionis vestigia adeo esse manifesta ut illius fere historia describi possit. Quin immo et reapse describunt, tam non dubitanter, ut suis ipsos oculis vidisse crederes scriptores singulos, qui singulis aetatibus ad libros sacros amplificandos admorint manum.

teuche et trium priorum evangeliorum.

Haec autem ut confirment, criticen quam *textualem* nominant, adiutricem appellant; nituntur que persuadere hoc vel illud factum aut dictum non suo esse loco, aliasque eiusmodi rationes proferunt. Diceres profecto eos narrationum aut sermonum quosdam quasi typos praestituisse sibi, unde certissime iudicent quid suo quid alieno stet loco. — Hac via qui apti esse queant ad decernendum, aestimet qui volet. Verumtamen qui eos audiat de suis exercitationibus circa sacros libros affirmantes, unde tot ibi incongrue notata datum est deprehendere, credet fere nullum ante ipsos hominum eosdem libros volutasse, neque hos infinitam propemodum Doctorum multitudinem quaquaversus rimatam esse, ingenio plane et eruditione et sanctitudine vitae longe illis praestantiorem. Qui equidem Doctores sapientissimi tantum afuit ut Scripturas sacras ulla ex parte reprehenderent, ut immo, quo illas scrutabantur penitius, eo maiores divino Numini agerent gratias, quod ita cum hominibus loqui dignatum esset. Sed heu! non iis adiumentis Doctores nostri in sacros libros incubuerunt, quibus modernistae! scilicet magistram et ducem non habuere philosophiam quae initia duceret a negatione Dei, nec se ipsi iudicandi normam sibi delegerunt [1]. — Iam igitur patere arbitramur, cuiusmodi in re historica modernistarum sit methodus. Praeit philosophus; illum historicus excipit; pone ex ordine legunt critice tum interna tum textualis. Et quia primae causae hoc competit ut virtutem suam cum sequentibus communicet, evidens fit, criticen eiusmodi non quampiam esse criticen, sed vocari iure *agnosticam, immanentistam, evolutionistam:* atque ideo, qui eam profitetur eaque utitur, errores eidem implicitos profiteri et catholicae doctrinae adversari.

Modernistarum critica textualis.

Comparatio modernistarum cum doctoribus antiquioribus.

Catholicae doctrinae adversantur qui hanc criticae rationem profitentur.

Quam ob rem mirum magnopere videri possit, apud catholicos homines id genus critices adeo hodie valere. Id nempe geminam habet causam: foedus in primis, quo historici criticique huius generis artissime inter se iunguntur, varietate gentium ac religionum dissensione posthabita: tum vero audacia maxima, qua, quae quisque effutiat, ceteri uno ore extollunt et scientiae progressioni tribuunt; qua, qui novum portentum aestimare per se volet, facto agmine adoriuntur; qui neget, ignorantiae accusent; qui amplectitur ac tuetur, laudibus exornent. Inde haud pauci decepti; qui, si rem attentius considerarent, horrerent. — Ex hoc autem praepotenti errantium dominio, ex hac levium animorum incauta assensione quaedam circumstantiis aeris quasi corruptio gignitur, quae per omnia permeat luemque diffundit. — Sed ad apologetam transeamus.

Miratur Pontifex fortunam critices huiusmodi apud catholicos, eamque explicat coniunctione qua critici et historici huius generis vinciuntur, eorum audacia, et levium animorum incauta assensione.

---

[1] Versio gall.: *C'est que, malheureusement, ils n'avaient pas les mêmes auxiliaires d'études que les modernistes, savoir, comme guide et règle, une philosophie venue de l'agnosticisme, et comme criterium, eux-mêmes;* versio italica: *Ma pur troppo i Dottori nostri non attesero allo studio delle Scritture con quei mezzi, onde son forniti i modernisti! cioè non ebbero a maestra e condottiera una filosofia che trae principio dalla negazione di Dio, nè fecero sè a se stessi norma di giudicare.*

5. Ut apologetae. *A philosophis pendentes, ex historia* reali, *quam vocant, modernistae religionem vindicant, gratulantes sibi rationalistarum laudem.*

Hic apud modernistas dupliciter a philosopho et ipse pendet. *Non directe* primum, materiam sibi sumens historiam, philosopho, ut vidimus, praecipiente conscriptam; *directe* dein, mutuatus ab illo dogmata ac iudicia. Inde illud vulgatum in schola modernistarum praeceptum, debere novam apologesim controversias de religione dirimere historicis inquisitionibus et psychologicis. Quam ob rem apologetae modernistae suum opus aggrediuntur rationalistas monendo, se religionem vindicare non sacris libris neve ex historiis vulgo in Ecclesia adhibitis, quae veteri methodo descriptae sint; sed ex historia *reali*, modernis praeceptionibus modernaque methodo conflata. Idque non quasi *ad hominem* argumentati asserunt, sed quia reapse hanc tantum historiam vera tradere arbitrantur. De asserenda vero sua in scribendo sinceritate securi sunt: iam, apud rationalistas noti sunt; iam, ut sub eodem vexillo stipendia merentes, laudati: de qua laudatione, quam verus catholicus respueret, ipsi sibi gratulantur, eamque reprehensionibus Ecclesiae opponunt.

Quo pacto apologesim adornent methodo obiectiva.

Sed iam quo pacto apologesim unus aliquis istorum perficiat videamus. Finis quem sibi assequendum praestituit, hic est: hominem fidei adhuc expertem eo adducere, ut eam de catholica religione *experientiam* assequatur quae ex modernistarum scitis unicum fidei est fundamentum. Geminum ad hoc patet iter: *obiectivum* alterum, alterum *subiectivum*. Primum ex agnosticismo procedit; eoque spectat, ut eam in religione, praesertim catholica, vitalem virtutem inesse monstret, quae psychologum quemque itemque historicum bonae mentis suadeat, oportere in illius historia *incogniti* aliquid celari. Ad hoc, ostendere necessum est, catholicam religionem, quae modo est, eam omnino esse quam Christus fundavit, seu non aliud praeter progredientem eius germinis explicationem, quod Christus invexit. Primo igitur germen illud quale sit, determinandum. Id ipsum porro hac formula exhiberi volunt: Christum adventum regni Dei nuntiasse, quod brevi foret constituendum, eiusque ipsum fore Messiam, actorem nempe divinitus datum atque ordinatorem. Post haec demonstrandum, qua ratione id germen, semper *immanens* in catholica religione ac *permanens*, sensim ac secundum historiam sese evolverit aptaritque succedentibus adiunctis, ex iis ad se *vitaliter* trahens quidquid doctrinalium, cultualium, ecclesiasticarum formarum sibi esset utile: interea vero impedimenta si quae occurrerent superans, adversarios profligans, insectationibus quibusvis pugnisque superstes. Postquam autem haec omnia, impedimenta nimirum, adversarios, insectationes, pugnas, itemque vitam fecunditatemque Ecclesiae id genus fuisse monstratum fuerit, ut, quamvis evolutionis leges in eiusdem Ecclesiae historia incolumes appareant, non tamen eidem historiae plene explicandae sint pares; *incognitum* coram stabit, suaque sponte se offeret. — Sic illi. In qua tota ratiocinatione unum tamen non advertunt, determinationem illam germinis primigenii deberi unice *apriorismo* philosophi agnostici et evolutionistae, et germen ipsum sic gratis ab iis definiri ut eorum causae congruat.

Methodus laborat apriorismo.

Simul concedunt errores in re dogmatica et in libris sacris; his veritatem vitae vel symbolicam

Dum tamen catholicam religionem recitatis argumentationibus asserere ac suadere elaborant apologetae novi, dant ultro et concedunt, plura in ea esse quae animos offendant. Quin etiam, non obscura quadam voluptate, in re quoque dogmatica errores contradictionesque reperire se palam dictitant; subdunt tamen, haec non solum admittere excusationem, sed, quod mirum esse oportet, iuste ac legitime esse prolata. Sic etiam, secun-

dum ipsos, in sacris libris, plurima in re scientifica vel historica errore afficiuntur. Sed, inquiunt, non ibi de scientiis agi aut historia, verum de religione tantum ac re morum. Scientiae illic et historia integumenta sunt quaedam, quibus experientiae religiosae et morales obteguntur ut facilius in vulgus propagarentur ; quod quidem vulgus cum non aliter intellegeret, perfectior illi scientia aut historia non utilitati sed nocumento fuisset. Ceterum, addunt, libri sacri, quia natura sunt religiosi, vitam necessario vivunt : iam vitae sua quoque est veritas et logica, alia profecto a veritate et logica rationali, quin immo alterius omnino ordinis, veritas scilicet comparationis ac proportionis tum ad *medium* (sic ipsi dicunt) in quo vivitur, tum ad finem ob quem vivitur. Demum eo usque progrediuntur ut, nulla adhibita temperatione, asserant, quidquid per vitam explicatur, id omne verum esse ac legitimum. — Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique sacros libros sic aestimamus *quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem* [1], hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere ; verbisque Augustini asserimus : *Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur* [2]. Unde fiet quod idem sanctus Doctor adiungit : *In iis*, scilicet Scripturis, *quod vult quisque credet, quod non vult non credet.* — Sed modernistae apologetae progrediuntur alacres. Concedunt praeterea, in sacris libris eas subinde ratiocinationes occurrere ad doctrinam quampiam probandam, quae nullo rationali fundamento regantur ; cuiusmodi sunt quae in prophetiis nituntur. Verum has quoque defendunt quasi artificia quaedam praedicationis, quae a vita legitima fiunt. Quid amplius ? Permittunt, immo vero asserunt, Christum ipsum in indicando tempore adventus regni Dei manifeste errasse : neque id mirum, inquiunt, videri debet ; nam et ipse vitae legibus tenebatur ! — Quid post haec de Ecclesiae dogmatibus ? Scatent haec etiam apertis oppositionibus : sed, praeterquam quod a logica vitali admittuntur, veritati symbolicae non adversantur ; in iis quippe de infinito agitur cuius infiniti sunt respectus. Demum, adeo haec omnia probant tuenturque, ut profiteri non dubitent, nullum Infinito honorem haberi excellentiorem quam contradicentia de Ipso affirmando ! — Probata vero contradictione, quid non probabitur [3] ?

ascribentes, non logicam.

Sic Deum auctorem faciunt mendacii officiosi.

Attamen qui nondum credat non *obiectivis* solum argumentis ad fidem disponi potest, verum etiam *subiectivis*. Ad quem finem modernistae apologetae ad *immanentiae* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque in intimis eius naturae ac vitae recessibus, celari cuiuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cuiuscumque sed talis omnino qualis catholica est ; hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitae perfecta. — Hic autem queri vehe-

Methodo subiectiva immanentiae, religionem catholicam postulari inquiunt in intima natura.

Conqueri-

---

[1] Conc. Vat., *De Rev.*, c. 2.

[2] Epist. 28.

[3] Versio gall. : *En vérité, quand on a légitimé la contradiction, y a-t-il quelque chose que l'on ne puisse légitimer !* Italica vero : *Ed ammessa così la contradizione, qual assurdo non ammetterà ?*

tur Pontifex esse qui immanentiae doctrina utantur pro apologesi ita ut in nobis exigentiam ponant ad vitam supernaturalem.

menter Nos iterum oportet, non desiderari e catholicis hominibus, qui, quamvis *immanentiae* doctrinam ut doctrinam reiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur; idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetae catholici, opportunis adhibitis temperationibus, demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam. — Ut tamen verius dicamus, haec catholicae religionis exigentia a modernistis invehitur qui volunt moderatiores audiri. Nam qui *integralistae* appellari queunt, ii homini nondum credenti ipsum germen, in ipso latens, demonstrari volunt, quod in Christi conscientia fuit atque ab eo hominibus transmissum est. — Sic igitur, Venerabiles Fratres, apologeticam modernistarum methodum, summatim descriptam, doctrinis eorum plane congruentem agnoscimus; methodum profecto, uti etiam doctrinas, errorum plenas, non ad aedificandum aptas sed ad destruendum, non ad catholicos efficiendos sed ad catholicos ipsos ad haeresim trahendos, immo etiam ad religionis cuiuscumque omnimodam eversionem!

Integralistae in ipso homine non credente germen quod fuit in Christo demonstrant.

Apologetica methodus modernistarum reprobatur.

6. Ut reformatores. *Innovata volunt:*

Pauca demum superant addenda de modernista ut reformator est. Iam ea quae huc usque locuti sumus, abunde manifestant quanto et quam acri innovandi studio hi homines ferantur. Pertinet autem hoc studium ad res omnino omnes quae apud catholicos sunt. — Innovari volunt philosophiam in sacris praesertim Seminariis: ita ut, amandata philosophia scholasticorum ad historiam philosophiae inter cetera quae obsoleverunt systemata, adulescentibus moderna tradatur philosophia, quae una vera nostraeque aetati respondens. — Ad theologiam innovandam, volunt quam nos rationalem dicimus, habere fundamentum modernam philosophiam. Positivam vero theologiam niti maxime postulant in historia dogmatum. — Historiam quoque scribi et tradi expetunt ad suam methodum praescriptaque moderna. — Dogmata eorundemque evolutionem cum scientia et historia componenda edicunt. — Ad catechesim quod spectat, ea tantum in catecheticis libris notari postulant dogmata, quae innovata fuerint sintque ad vulgi captum. — Circa sacrorum cultum, minuendas inquiunt externas religiones prohibendumve ne crescant [1]. Quamvis equidem alii, qui symbolismo magis favent, in hac re indulgentiores se praebeant. — Regimen ecclesiae omni sub respectu reformandum clamitant, praecipue tamen sub disciplinari ac dogmatico. Ideo intus forisque cum moderna, ut aiunt, conscientia componendum, quae tota ad democratiam vergit: ideo inferiori clero ipsisque laicis suae in regimine partes tribuendae, et collecta nimium contractaque in centrum auctoritas dispertienda. — Romana consilia sacris negotiis gerendis immutari pariter volunt; in primis autem tum quod a *Sancto Officio* tum quod ab *Indice* appellatur. — Item ecclesiastici regiminis actionem in re politica et sociali variandam contendunt, ut simul a civilibus ordinationibus exsulet, iisdem tamen se aptet ut suo illas spiritu imbuat. — In re morum, illud asciscunt

Historiam;

Dogmata; Catechesim;

Cultum sacrum;

Regimen ecclesiae;

Congr. romanas, praecipue S. Officii et Indicis;

Actionem potest. ec-

[1] Versio gall.: *En ce qui regarde le culte, que l'on diminue le nombre des dévotions extérieures, ou tout au moins qu'on en arrête l'accroissement;* italico vero: *Circa il culto, gridano che si debbano diminuire le divozioni esterne e proibire che si aumentino.*

americanistarum scitum, activas virtutes passivis anteponi oportere, atque illas prae istis exercitatione promoveri. — Clerum sic comparatum petunt ut veterem referat demissionem animi et paupertatem ; cogitatione insuper et facto cum modernismi praeceptis consentiat. — Sunt demum qui, magistris protestantibus dicto lubentissime audientes, sacrum ipsum in sacerdotio caelibatum sublatum desiderent. — Quid igitur in Ecclesia intactum relinquunt, quod non ab ipsis nec secundum ipsorum pronuntiata sit reformandum ?

cles. in re politica et sociali ;

Studia virtutum (ex americanismo).

Disciplinam cleri, quidam etiam caelibatum.

In tota hac modernistarum doctrina exponenda, Venerabiles Fratres, videbimur forte alicui diutius immorati. Id tamen omnino oportuit, tum ne, ut assolet, de ignoratione rerum suarum ab illis reprehendamur ; tum ut pateat, cum de modernismo est quaestio, non de vagis doctrinis agi nulloque inter se nexu coniunctis, verum de uno compactoque veluti corpore, in quo si unum admittas, cetera necessario sequantur. Ideo didactica fere ratione usi sumus, nec barbara aliquando respuimus verba, quae modernistae usurpant. — Iam systema universum uno quasi obtutu respicientes, nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium haereseon collectum esse affirmemus. Certe si quis hoc sibi proposuisset, omnium quotquot fuerunt circa fidem errores succum veluti ac sanguinem in unum conferre, rem numquam plenius perfecisset, quam modernistae perfecerunt [1]. Immo vero tanto hi ulterius progressi sunt, ut, non modo catholicam religionem, sed omnem penitus, quod iam innuimus, religionem deleverint. Hinc enim rationalistarum plausus : hinc qui liberius apertiusque inter rationalistas loquuntur, nullos se efficaciores quam modernistas auxiliatores invenisse gratulantur.

Excusat Pontifex amplam tractationem et verba aliquando barbara.

III. **Modernismi universi reprobatio et consectaria.**

Systema universum est collectus omnium haereseon, et ut talis plausu excipitur.

Redeamus enimvero tantisper, Venerabiles Fratres, ad exitiosissimam iliam *agnosticismi* doctrinam. Ea scilicet, ex parte intellectus, omnis ad Deum via praecluditur homini, dum aptior sterni putatur ex parte cuiusdam animi sensus et actionis. Sed hoc quam perperam, quis non videat ? Sensus enim animi actioni rei respondet, quam intellectus vel externi sensus proposuerint. Demito intellectum ; homo externos sensus, ad quos iam fertur, proclivius sequetur. Perperam iterum ; nam phantasiae quaevis de sensu religioso communem sensum non expugnabunt : communi autem sensu docemur, perturbationem aut occupationem animi quampiam, non adiumento sed impedimento esse potius ad investigationem veri, veri inquimus ut in se est ; nam verum illud alterum *subiectivum*, fructus interni sensus et actionis, si quidem ludendo est aptum, nihil admodum homini confert, cuius scire maxime interest sit necne extra ipsum Deus, cuius in manus aliquando incidet. — *Experientiam* enimvero tanto operi adiutricem inferunt. Sed quid haec ad sensum illum animi

Ex agnosticismi doctrina, omnem viam ad Deum praecludunt, frustra tentata via sensus et actionis.

Sensus, etiam experientia adiutus, non valebit, pro sensu communi, ad Dei notitiam comparandam.

---

[1] Versio gall. : *Maintenant, embrassant d'un seul regard tout le système, qui pourra s'étonner que Nous le définissions le rendez-vous de toutes les hérésies ? Si quelqu'un s'était donné la tâche de recueillir toutes les erreurs qui furent jamais contre la foi, et d'en concentrer la substance et comme le suc en une seule, véritablement il n'eût pas mieux réussi ;* italica vero : *Ora, se quasi di un solo sguardo abbracciamo l'intero sistema, niuno si stupirà ove Noi lo definiamo, affermando esser esso la sintesi di tutte le eresie. Certo, se taluno si fosse proposto di concentrare quasi il succo ed il sangue di quanti errori circa la fede furono sin ora ascritti, non avrebbe mai potuto riuscire a far meglio di quel che han fatto i modernisti.*

adiciat? Nii plane, praeterquam quod vehementiorem faciat; ex qua vehementia fiat proportione firmior persuasio de veritate obiecti. Iam haec duo profecto non efficiunt ut sensus ille animi desinat esse sensus, neque eius immutant naturam, semper deceptioni obnoxiam, nisi regatur intellectu; immo vero illam confirmant et iuvant, nam sensus quo intensior, eo potiore iure est sensus. — Cum vero de religioso sensu hic agamus deque experientia in eo contenta, nostis probe, Venerabiles Fratres, quanta in hac re prudentia sit opus, quanta item doctrina quae ipsam regat prudentiam. Nostis ex animorum usu, quorundam praecipue in quibus eminet sensus; nostis ex librorum consuetudine, qui de ascesi tractant; qui quamvis modernistis in nullo sunt pretio, doctrinam tamen longe solidiorem, subtilioremque ad observandum sagacitatem prae se ferunt, quam ipsi sibi arrogant.

Prudentia et doctrina opus est in religioso sensu tractando.

Equidem Nobis amentis esse videtur aut saltem imprudentis summopere pro veris, nulla facta investigatione, experientias intimas habere, cuiusmodi modernistae venditant. Cur vero, ut per transcursum dicamus, si harum experientiarum tanta vis est ac firmitas, non eadem tribuatur illi quam plura catholicorum milia se habere asserunt de devio itinere quo modernistae incedunt? Haecne tantum falsa atque fallax? Hominum autem pars maxima hoc firmiter tenet tenebitque semper, sensu solum et experientia, nullo mentis ductu atque lumine, ad Dei notitiam pertingi numquam posse. Restat ergo iterum atheismus ac religio nulla. — Nec modernistae meliora sibi promittant ex asserta *symbolismi* doctrina. Nam si quaevis intellectualia, ut inquiunt, elementa nihil nisi Dei symbola sunt, ecquid symbolum non sit ipsum Dei nomen aut personalitatis divinae? quod si ita, iam de divina personalitate ambigi poterit, patetque ad pantheismum via. — Eodem autem, videlicet ad purum putumque pantheismum, ducit doctrina alia de *immanentia divina*. Etenim hoc quaerimus: an eiusmodi *immanentia* Deum ab homine distinguat necne? Si distinguit, quid tum a catholica doctrina differt aut doctrinam de externa revelatione cur reicit? Si non distinguit, pantheismum habemus. Atqui *immanentia* haec modernistarum vult atque admittit omne conscientiae phaenomenon ab homine ut homo est proficisci. Legitima ergo ratiocinatio inde infert unum idemque esse Deum cum homine: ex quo pantheismus. — Distinctio demum, quam praedicant, inter scientiam et fidem, non aliam admittit consecutionem. Obiectum enim scientiae in cognoscibilis realitate ponunt, fidei e contra in incognoscibilis. Iam vero incognoscibile inde omnino constituitur, quod inter obiectam materiam et intellectum nulla adsit proportio. Atqui hic proportionis defectus numquam, nec in modernistarum doctrina, auferri potest. Ergo incognoscibile credenti aeque ac philosopho incognoscibile semper manebit. Ergo si qua habebitur religio, haec erit realitatis incognoscibilis; quae cur etiam mundi animus esse nequeat, quem rationalistae quidam admittunt, non videmus profecto. — Sed haec modo sufficiant ut abunde pateat quam multiplici itinere doctrina modernistarum ad atheismum trahat et ad religionem omnem abolendam. Equidem protestantium error primus hac via gradum iecit; sequitur modernistarum error; proxime atheismus ingredietur.

Quidni fidant tam multorum experientia intima de devio modernistarum itinere?

Symbolismus etiam viam patere sinit pantheismo.

Ad hunc ducit doctrina de immanentia divina.

Ex obiecto quod ei assignant, fides est realitatis incognoscibilis, quae anima mundi esse potest.

Multis modis itaque modernistarum doctrina ad atheismum trahit.

Ad penitiorem modernismi notitiam, et ad tanti vulneris remedia aptius quaerenda, iuvat nunc, Venerabiles Fratres, causas aliquantum scrutari unde sit ortum aut nutritum malum.

IV **Modernismi causae.**

Morales *Modernismi causae.*

Proxima causa, error; remotae, curiositas ac superbia.

Malum curiositatis.

Proximam continentemque causam in errore mentis esse ponendam, dubitationem non habet. Remotas vero binas agnoscimus, curiositatem et superbiam. — Curiositas, ni sapienter cohibeatur, sufficit per se una ad quoscumque explicandos errores. Unde Gregorius XVI, decessor Noster, iure scribebat [1]: *Lugendum valde est quonam prolabantur humanae rationis deliramenta, ubi quis novis rebus studeat, atque contra Apostoli monitum nitatur plus sapere quam oporteat sapere, sibique nimium praefidens, veritatem quaerendam autumet extra catholicam Ecclesiam, in qua absque vel levissimo erroris caeno ipsa invenitur.* — Sed longe maiorem ad occaecandum animum et in errorem inducendum cohibet efficientiam superbia: quae in modernismi doctrina quasi in domicilio collocata, ex ea undequaque alimenta concipit, omnesque induit aspectus. Superbia enim sibi audacius praefidunt, ut tamquam universorum normam se ipsi habeant ac proponant. Superbia vanissime gloriantur quasi uni sapientiam possideant, dicuntque elati atque inflati: *Non sumus sicut ceteri homines;* et ne cum ceteris comparentur, nova quaeque etsi absurdissima amplectuntur et somniant. Superbia subiectionem omnem abiciunt contenduntque auctoritatem cum libertate componendam. Superbia sui ipsorum obliti, de aliorum reformatione unice cogitant, nullaque est apud ipsos gradus, nulla vel supremae potestatis reverentia. Nulla profecto brevior et expeditior ad modernismum est via, quam superbia. Si qui catholicus e laicorum coetu, si quis etiam sacerdos christianae vitae praecepti sit immemor, quo iubemur abnegare nos ipsi si Christum sequi velimus, nec auferat superbiam de corde suo; nae is ad modernistarum errores amplectendos aptissimus est quam qui maxime! — Quare, Venerabiles Fratres, hoc primum vobis officium esse oportet superbis eiusmodi hominibus obsistere, eos tenuioribus atque obscurioribus muneribus occupare, ut eo amplius deprimantur quo se tollunt altius et ut humiliore loco positi, minus habeant ad nocendum potestatis. Praeterea tum ipsi per vos tum per seminariorum moderatores, alumnos sacri cleri scrutemini diligentissime; et si quos superbo ingenio reperitis, eos fortissime a sacerdotio repellatis. Quod utinam peractum semper fuisset ea qua opus erat vigilantia et constantia!

Malae superbiae effectus in modernistis.

Quare sunt humiliandi.

Superbi a sacerdotio repellendi.

Intellectuales *causae.*

a) Ignoratio scholasticae philosophiae.

Quod si a moralibus causis ad eas quae ab intellectu sunt veniamus, prima ac potissima occurret ignorantia. — Enimvero modernistae, quotquot sunt, qui doctores in Ecclesia esse ac videri volunt, modernam philosophiam plenis buccis extollentes aspernatique scholasticam, non aliter illam, eius fuco et fallaciis decepti, sunt amplexi, quam quod alteram ignorantes prorsus, omni argumento caruerunt ad notionum confusionem tollendam et ad sophismata refellenda. Ex conubio autem falsae philosophiae cum fide illorum systema, tot tantisque erroribus abundans, ortum habuit.

b) Ingeniosa studiositas in propagando systemate.

Cui propagando utinam minus studii et curarum impenderent! Sed eorum tanta est alacritas, adeo indefessus labor, ut plane pigeat tantas insumi vires ad Ecclesiae perniciem, quae, si recte adhibitae, summo forent adiumento. — Gemina vero ad fallendos animos utuntur arte; primum enim complanare quae obstant nituntur, tum autem quae prosint

[1] Ep. Encycl. *Singulari Nos,* 7 kal. iul. 1834.

studiosissime perquirunt atque impigre patientissimeque adhibent. — Tria sunt potissimum quae suis illi conatibus adversari sentiunt : scholastica philosophandi methodus, Patrum auctoritas et traditio, magisterium ecclesiasticum. Contra haec acerrima illorum pugna. Idcirco philosophiam ac theologiam scholasticam derident passim atque contemnunt. Sive id ex ignoratione faciant sive ex metu, sive potius ex utraque causa, certum est studium novarum rerum cum odio scholasticae methodi coniungi semper ; nullumque est indicium manifestius quod quis modernismi doctrinis favere incipiat, quam cum incipit scholasticam horrere methodum. Meminerint modernistae ac modernistarum studiosi damnationem, qua Pius IX censuit reprobandam propositionem quae diceret [1] : *Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt* [2]. — Traditionis vero vim et naturam callidissime pervertere elaborant, ut illius monumentum ac pondus elidant. Stabit tamen semper catholicis auctoritas Nicaenae Synodi II, quae damnavit *eos qui audent... secundum scelestos haereticos ecclesiasticas traditiones spernere et novitatem quamlibet excogitare..... aut excogitare prave aut astute ad subvertendum quicquam ex legitimis traditionibus Ecclesiae catholicae.* Stabit Synodi Constantinopolitanae IV professio : *Igitur regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae tam a sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus necnon et localibus Conciliis vel etiam a quolibet deiloquo Patre ac magistro Ecclesiae traditae sunt servare ac custodire profitemur.* Unde Romani Pontifices Pius IV itemque huius nominis IX in professione fidei haec quoque addi voluerunt : *Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector.* — Nec secus quam de Traditione, iudicant modernistae de sanctissimis Ecclesiae Patribus. Eos temeritate summa traducunt vulgo ut omni quidem cultu dignissimos, ast in re critica et historica ignorantiae summae, quae, nisi ab aetate qua vixerunt, excusationem non habeat.

Odium methodi scholasticae est indicium inclinationis in modernismum. Propositio a Pio IX damnata.

Traditionis vim ac naturam pervertunt, contra decreta Conciliorum et profess. fidei Pii IV et Pii IX.

Temere de Patribus iudicant.

Denique ipsius ecclesiastici magisterii auctoritatem toto studio minuere atque infirmare conantur, tum eius originem, naturam, iura, sacrilege pervertendo, tum contra illam adversariorum calumnias libere ingeminando. Valent enim de modernistarum grege, quae maerore summo Decessor Noster scribebat : *Ut mysticam Sponsam Christi, qui lux vera est, in contemptum et invidiam vocarent tenebrarum filii consuevere in vulgus eam vecordi calumnia impetere, et, conversa rerum nominumque ratione et vi, compellare obscuritatis amicam, altricem ignorantiae, scientiarum lumini et progressui infensam* [3]. — Quae cum sint ita, Venerabiles Fratres, mirum non est, si catholicos homines, qui strenue pro Ecclesia decertant, summa malevoientia et livore modernistae impe-

Auctoritatem magisterii infirmare conantur.

Dum vere catholicos homines iniuriis la-

---

[1] Syll. prop. 13.

[2] Versio gallica : *La méthode et les principes qui ont servi aux antiques docteurs scolastiques dans la culture de la théologie, ne répondent plus aux exigences de notre temps ni au progrès des sciences ;* italica vero : *Il metodo e i principi, con cui gli antichi dottori scolastici trattarono la teologia, più non si confanno ai bisogni dei nostri tempi ed ai progressi della scienza.*

Motu pr. *Ut mysticam,* 14 martii 1891.

tunt. Nullum est iniuriarum genus quo illos non lacerent: sed ignorantiae passim pervicaciaeque accusant. Quod si refellentium eruditionem et vim pertimescant, efficaciam derogant coniurato silentio. Quae quidem agendi ratio cum catholicis eo plus habet invidiae, quod, eodem tempore nulloque modo adhibito, perpetuis laudibus evehunt quotquot cum ipsis consentiunt; horum libros nova undique spirantes grandi plausu excipiunt ac suspiciunt; quo quis audentius vetera evertit, traditionem et magisterium ecclesiasticum respuit, eo sapientiorem praedicant; denique, quod quisque bonus horreat, si quem Ecclesia damnatione perculerit, hunc, facto agmine, non solum palam et copiosissime laudant, sed ut veritatis martyrem paene venerantur. — Toto hoc, tum laudationum tum improperiorum strepitu, percussae ac turbatae iuniorum mentes, hinc ne ignorantes audiant, inde ut sapientes videantur, cogente intus curiositate ac superbia, dant victas saepe manus ac modernismo se dedunt.

cerant, modernistae laudibus evehunt secum consentientes. Damnatum ab Ecclesia fere pro martyre habent.

His turbatae mentes iuniorum decipiuntur.

Sed iam ad artificia haec pertinent, quibus modernistae merces suas vendunt. Quid enim non moliuntur ut asseclarum numerum augeant? In sacris Seminariis, in Universitatibus studiorum magisteria aucupantur, quae sensim in pestilentiae cathedras vertunt. Doctrinas suas, etsi forte implicite, in templis ad contionem dicentes inculcant; apertius in congressibus enuntiant; in socialibus institutis intrudunt atque extollunt. Libros, ephemerides, commentaria suo vel alieno nomine edunt. Unus aliquando idemque scriptor multiplici nomine utitur, ut simulata auctorum multitudine incauti decipiantur. Brevi, actione, verbis, prelo nihil non tentant, ut eos febri quadam phreneticos diceres. — Haec autem omnia quo fructu? Iuvenes magno numero deflemus, egregiae quidem illos spei, quique Ecclesiae utilitatibus optimam navarent operam, a recto tramite deflexisse. Plurimos etiam dolemus qui, quamvis non eo processerint, tamen corrupto quasi aere hausto, laxius admodum cogitare, eloqui, scribere consuescunt quam catholicos decet [1]. Sunt hi de laicorum coetu, sunt etiam de sacerdotum numero; nec, quod minus fuisset exspectandum, in ipsis religiosorum familiis desiderantur. Rem biblicam ad modernistarum leges tractant. In conscribendis historiis, specie asserendae veritatis, quidquid Ecclesiae maculam videtur aspergere, id, manifesta quadam voluptate, in lucem diligentissime ponunt. Sacras populares traditiones, apriorismo quodam ducti, delere omni ope conantur. Sacras Reliquias vetustate commendatas despectui habent. Vano scilicet desiderio feruntur ut mundus de ipsis loquatur; quod futurum non autumant si ea tantum dicant, quae semper quaeve ab omnibus sunt dicta. Interea suadent forte sibi obsequium se praestare Deo et Ecclesiae: reapse tamen offendunt gravissime, non suo tantum ipsi opere, quantum ex mente qua ducuntur, et quia perutilem operam modernistarum ausibus conferunt [2].

Modernistarum artificia.

V. **Modernismi effectus.**

Multiplicis eorum actionis.

Tristes deplorat Pontifex effectus in iunioribus, in laicis, in sacerdotibus, in religiosis;

In modo quo tractantur res biblicae, historia, traditiones populares, sacrae reliquiae.

Celebritatis avidi, magis spiritu quam operibus nocent.

---

[1] Versio gallica: *Un autre spectacle encore nous attriste: c'est que tant d'autres catholiques, n'allant certes pas aussi loin, aient pris néanmoins l'habitude, comme s'ils eussent respiré un air contaminé, de penser, parler, écrire, avec plus de liberte qu'il ne convient à des catholiques;* italica vero: *Piangiamo moltissimi, che, sebbene non giunti tant'oltre, pure, respirata un'aria corrotta, sogliono pensare, parlare, scrivere più liberamente che non si convenga a cattolici.*

[2] Versio gallica: *Ils sont enfin possédés du vain désir de faire parler d'eux; ce qui n'arriverait pas, ils le comprennent bien, s'ils disaient comme on a toujours*

VI. **Remedia.** *Inefficax, ob abusum, remedium Leonis XIII. Efficaciora remedia quaerit Pontifex et zelum excitat Ordinariorum praesertim et capitum familiarum religiosarum.*

Huic tantorum errorum agmini clam aperteque invadenti Leo XIII decessor Noster fel. rec., praesertim in re biblica, occurrere fortiter dicto actuque conatus est. Sed modernistae, ut iam vidimus, non his facile terrentur armis: observantiam demissionemque animi affectantes summam, verba Pontificis Maximi in suas partes detorserunt, actus in alios quoslibet transtulere. Sic malum robustius in dies factum. Quam ob rem, Venerabiles Fratres, moras diutius non interponere decretum est, atque efficaciora moliri. — Vos tamen oramus et obsecramus, ne in re tam gravi vigilantiam, diligentiam, fortitudinem vestram desiderari vel minimum patiamini. Quod vero a vobis petimus et exspectamus, id ipsum et petimus aeque et exspectamus a ceteris animarum pastoribus, ab educatoribus et magistris sacrae iuventutis, imprimis autem a summis religiosarum familiarum magistris.

De studiis sacris. I. Philosophia scholastica, ad mentem S. Thomae, sit eorum fundamentum. Confirmantur decreta Leonis XIII.

I. Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur. — Utique, *si quid a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens vel denique quoquo modo non probabile; id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi* [1]. Quod rei caput est, philosophiam scholasticam cum sequendam praescribimus, eam praecipue intellegimus, quae a sancto Thoma Aquinate est tradita [2]: de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse [3].

---

dit jusqu'ici. Peut-être en sont-ils venus à se persuader qu'en cela ils servent Dieu et l'Église: en réalité ils les offensent, moins peut-être par leurs œuvres mêmes, que par l'esprit qui les anime et par le concours qu'ils prêtent aux audaces des modernistes; italica vero: *Insomma li punge la vana bramosia che il mondo parli di loro; il che si persuadono che non sarà, se dicono soltanto quello che sempre e da tutti fu detto. Intanto si danno forse a credere di prestare ossequio a Dio ed alla Chiesa; ma in realtà gravissimamente li offendono, non tanto per quel che fanno, quanto per l'intenzione con cui operano e per l'aiuto che prestano utilissimo agli ardimenti dei modernisti.*

[1] Leo XIII, Enc. *Alterni Patris*.

[2] Versio gallica: *Il va sans dire, que « s'il se rencontre quelque chose chez les docteurs scolastiques que l'on puisse regarder comme excès de subtilité ou qui ne cadre pas avec les découvertes des temps postérieurs, ou qui n'ait enfin aucune espèce de probabilité; il est bien loin de Notre esprit de vouloir le proposer à l'imitation des générations présentes ». Et quand nous prescrivons la philosophie scolastique, ce que Nous entendons surtout par là, — ceci est capital, — c'est la philosophie que nous a léguée le Docteur Angélique;* italica vero: *Bene inteso che, « se dai dottori scolastici furono agitate questioni troppo sottili o fu alcun che trattato con poca considerazione: se fu detta cosa che mal si affaccia con dottrine accertate dei secoli seguenti, ovvero in qualsivoglia modo non ammissibile; non è nostra intenzione che tutto ciò debba servir d'esempio da imitare anche ai dì nostri. » Ciò che monta anzi tutto è che la filosofia scolastica, che noi ordiniamo di seguire, si debba precipuamente intendere quella di S. Tommaso di Aquino.*

[3] Versio gallica: *Et que les professeurs sachent bien, que s'écarter de Saint Thomas, surtout dans les questions métaphysiques, ne va pas sans détriment grave;*

Theologiae studium promovendum, etiam positivae, sine detrimento scholasticae.

Hoc ita posito philosophiae fundamento, theologicum aedificium exstruatur diligentissime. — Theologiae studium, Venerabiles Fratres, quanta potestis ope provehite, ut clerici e seminariis egredientes praeclara illius existimatione magnoque amore imbuantur, illudque semper pro deliciis habeant. Nam *in magna et multiplici disciplinarum copia quae menti veritatis cupidae obicitur, neminem latet sacram Theologiam ita principem sibi locum vindicare, ut vetus sapientium effatum sit, ceteris scientiis et artibus officium incumbere, ut ei inserviant ac velut ancillarum more famulentur* [1]. Addimus heic, eos etiam Nobis laude dignos videri qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti iudicio catholicisque usi normis (quod non aeque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Maior profecto quam antehac positivae theologiae ratio est habenda ; id tamen sic fiat, ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur.

Colendae disciplinae profanae, sine damno scientiae sacrae.

De profanis vero disciplinis satis sit revocare quae Decessor Noster sapientissime dixit [2] : *In rerum naturalium consideratione strenue allaboretis : quo in genere nostrorum temporum ingeniosa inventa et utiliter ausa, sicut iure admirantur aequales, sic posteri perpetua commendatione et laude celebrabunt.* Id tamen nullo sacrorum studiorum damno ; quod idem Decessor Noster gravissimis hisce verbis prosecutus monuit [3] : *Quorum causam errorum si quis diligentius investigaverit, in eo potissimum sitam esse intelleget, quod nostris hisce temporibus, quanto rerum naturalium studia vehementius fervent, tanto magis severiores altioresque disciplinae defloruerint ; quaedam enim fere in oblivione hominum conticescunt ; quaedam remisse leviterque tractantur, et quod indignum est, splendore pristinae dignitatis deleto, pravitate sententiarum et immanibus opinionum portentis inficiuntur.* Ad hanc igitur legem naturalium disciplinarum studia in sacris seminariis temperari praecipimus.

Delectus moderatorum et magistrorum. Quinam sint arcendi vel removendi.

II. His omnibus praeceptionibus tum Nostris tum Decessoris Nostri oculos adici oportet cum de Seminariorum vel Universitatum catholicarum moderatoribus et magistris eligendis agendum erit. — Quicumque modo quopiam modernismo imbuti fuerint, ii, nullo habito rei cuiusvis respectu, tum a regendi tum a docendi munere arceantur ; eo si iam funguntur, removeantur ; item qui modernismo clam aperteve favent, aut modernistas laudando eorumque culpam excusando, aut Scholasticam et Patres et Magisterium ecclesiasticum carpendo, aut ecclesiasticae potestati, in quocumque ea demum sit, oboedientiam detrectando ; item qui in historica re, vel archeologica, vel biblica nova student ; item qui sacras neglegunt disciplinas, aut profanas anteponere videntur [4]. — Hoc in negotio,

---

italica vero : *Ammoniamo poi quelli che insegnano, di ben persuadersi che il discostarsi dall'Aquinate, specialmente in cose metafisiche, non avviene senza grave danno.*

[1] Leo XIII, Litt. ap. *In magna*, 10 dec. 1889.

[2] Alloc. 7 martii 1880.

[3] *Loc. cit.*

[4] Versio gallica : *Qui d'une manière ou d'une autre se montre imbu du moder-*

Delectus severus eorum qui sacris initiari postulent.

Venerabiles Fratres, praesertim in magistrorum delectu, nimia numquam erit animadversio et constantia ; ad doctorum enim exemplum plerumque componuntur discipuli. Quare, officii conscientia freti, prudenter hac in re ac fortiter agitote.

Philosophia schol. fit condicio laureae Theologiae et Iuris can.

Pari vigilantia et severitate ii sunt cognoscendi ac deligendi, qui sacris initiari postulent. Procul, procul esto a sacro ordine novitatum amor : superbos et contumaces animos odit Deus ! — Theologiae ac Iuris canonici laurea nullus in posterum donetur, qui statum curriculum in scholastica philosophia antea non elaboraverit. Quod si donetur, inaniter donatus esto. — Quae de celebrandis Universitatibus Sacrum Consilium Episcoporum et Religiosorum negotiis praepositum clericis Italiae tum saecularibus tum regularibus praecepit anno MDCCCXCVI, ea ad nationes omnes posthac pertinere decernimus. — Clerici et sacerdotes qui catholicae cuipiam Universitati vel Instituto item catholico nomen dederint, disciplinas, de quibus magisteria in his fuerint, in civili Universitate ne ediscant. Sicubi id permissum, in posterum ut ne fiat edicimus [1]. — Episcopi, qui huiusmodi Universitatibus vel Institutis moderandis praesunt, curent diligentissime ut quae hactenus imperavimus, ea constanter serventur.

Ad omnes extenditur decretum 1896 de celebrandis Universitatibus.

Civilis Universitas non est a clericis adeunda de disciplinis quas audiunt in catholica.

III. Episcoporum pariter officium est modernistarum scripta quaeve modernismum olent provehuntque, si in lucem edita ne legantur cavere, si nondum edita prohibere ne edantur. — Item libri omnes, ephemerides, commentaria quaevis huius generis neve adulescentibus in Seminariis neve auditoribus in Universitatibus permittantur [2] : non enim minus haec nocitura, quam quae contra mores conscripta ; immo etiam magis, quod

Exsecutio commissa Epis qui praesunt Univers. vel Institut.

Cautiones de prohibendis vel arcendis scriptis noxiis.

---

nisme, sera exclu, sans merci, de la charge de directeur ou de professeur ; l'occupant déjà, il en sera retiré ; de même qui favorise le modernisme, soit en vantant les modernistes ou en excusant leur conduite coupable, soit en critiquant la scolastique, les Saints-Peres, le Magistère de l'Église, soit en refusant obéissance à l'autorité ecclésiastique, quel qu'en soit le dépositaire ; de même qui, en histoire, en archéologie, en exégèse biblique, trahit l'amour de la nouveauté ; de même, enfin, qui néglige les sciences sacrées ou paraît leur préférer les profanes ; italica vero : *Chiunque in alcun modo sia infetto di modernismo, senza riguardi di sorta, si tenga lontano dall'ufficio cosi di reggere e cosi d'insegnare : se già si trovi con tale incarico, ne sia rimosso. Parimente si faccia con chiunque o in secreto o apertamente favorisce il modernismo, sia lodando i modernisti, sia attenuando la loro colpa, sia criticando la scolastica, i Padri, il magistero ecclesiastico, sia ricusando obbedienza alla potestà ecclesiastica da qualunque persona essa si eserciti : e similmente con chi in materia storica, archeologica e biblica si mostri amante di novità : e finalmente, con quelli altresì che non si curano degli studi sacri o paiono a questi anteporre i profani.*

[1] Galllica versio : *Défense est faite aux clercs et aux prêtres qui ont pris quelque inscription dans une Université ou Institut catholique de suivre, pour les matières qui y sont proposées, les cours des Universités civiles. Si cela a été permis quelque part, Nous l'interdisons pour l'avenir ;* italica vero : *I chierici e sacerdoti iscritti ad un Istituto o ad una Università cattolica non potranno seguire nelle Università civili quei corsi, di cui vi sieno cattedre negli Istituti cattolici ai quali esse appartengono. Se in alcun luogo si è ciò permesso per lo passato, ordiniamo che più non si conceda nell'avvenire.*

[2] Versio gallica : *Que tous les livres, journaux, revucs de cette nature ne soient pas laissés aux mains des élèves dans les Séminaires ou dans les Universités ;* italica vero : *Qualsivoglia libro o giornale o periodico di tal genere non si dovrà mai permettere o agli alunni dei Seminarii o agli uditori delle Università cattoliche.*

christianae vitae initia vitiant. — Nec secus iudicandum de quorundam catholicorum scriptionibus, hominum ceteroqui non malae mentis, sed qui theologicae disciplinae expertes ac recentiore philosophia imbuti, hanc cum fide componere nituntur et ad fidei, ut inquiunt, utilitates transferre. Hae, quia nullo metu versantur ob auctorum nomen bonamque existimationem, plus periculi afferunt ut sensim ad modernismum quis vergat.

Zelus excitatur Episcoporum.

Generatim vero, Venerabiles Fratres, ut in re tam gravi praecipiamus, quicumque in vestra unius cuiusque dioecesi prostant libri ad legendum perniciosi, ii ut exsulent, fortiter contendite, sollemni etiam interdictione usi. Etsi enim Apostolica Sedes ad huiusmodi scripta e medio tollenda omnem operam impendat, adeo tamen iam numero crevere, ut vix notandis omnibus pares sint vires. Ex quo fit, ut serior quandoque paretur medicina, cum per longiores moras malum invaluit. Volumus igitur ut sacrorum Antistites, omni metu abiecto, prudentia carnis deposita, malorum clamoribus posthabitis, suaviter quidem sed constanter suas quisque partes suscipiant ; memores quae Leo XIII in Constitutione apostolica *Officiorum* praescribebat : *Ordinarii, etiam tamquam Delegati Sedis Apostolicae, libros aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere et e manibus fidelium auferre studeant.* Ius quidem his verbis tribuitur, sed etiam officium mandatur. Nec quispiam hoc munus officii implevisse autumet, si unum alterumve librum ad Nos detulerit, dum alii bene multi dividi passim ac pervulgari sinuntur. — Nihil autem vos teneat, Venerabiles Fratres, quod forte libri alicuius auctor ea sit alibi facultate donatus quam vulgo *Imprimatur* appellant : tum quia simulata esse possit, tum quia vel neglegentius data vel benignitate nimia nimiave fiducia de auctore concepta, quod postremum in Religiosorum forte Ordinibus aliquando evenit [1]. Accedit quod, sicut non idem omnibus convenit cibus, ita libri qui altero in loco sint adiaphori, nocentes in altero ob rerum complexus esse queunt. Si igitur Episcopus, audita prudentum sententia, horum etiam librorum aliquem in sua dioecesi notandum censuerit, potestatem ultro facimus, immo et officium mandamus. Res utique decenter fiat, prohibitionem, si sufficiat, ad clerum unum coercendo ; integro tamen bibliopolarum catholicorum officio libros ab Episcopo notatos minime venales habendi. — Et quoniam de his sermo incidit, vigilent Episcopi ne, lucri cupiditate, malam librarii mercentur mercem : certe in aliquorum indicibus, modernistarum libri abunde nec parva cum laude proponuntur. Hos, si oboedientiam detrectent, Episcopi, monitione praemissa, bibliopolarum catholicorum titulo privare ne dubitent ; item potioreque iure si episcopales audiant : qui vero pontificio titulo ornantur, eos ad Sedem Apostolicam deferant. — Universis demum in memoriam revocamus, quae memorata apostolica Constitutio *Officiorum* habet, articulo XXVI : *Omnes qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi iis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi ac retinendi libros a quibuscumque damnatos.*

Etiam de bibliopolis.

[1] Versio gallica : *Ce qui arrive peut-être quelquefois dans les Ordres religieux* italica vero : *Il quale ultimo caso può talora avverarsi negli Ordini religiosi.*

Cautiones de censura praevia librorum.

IV. Nec tamen pravorum librorum satis est lectionem impedire ac venditionem ; editionem etiam prohiberi oportet. Ideo edendi facultatem Episcopi severitate summa impertiant. — Quoniam vero magno numero ea sunt ex Constitutione *Officiorum*, quae Ordinarii permissionem ut edantur postulent, nec ipse per se Episcopus praecognoscere universa potest ; in quibusdam dioecesibus ad cognitionem faciendam censores ex officio sufficienti numero destinantur. Huiusmodi censorum institutum laudamus quam maxime : illudque ut ad omnes dioeceses propagetur non hortamur modo sed omnino praescribimus. In universis igitur curiis episcopalibus censores ex officio adsint, qui edenda cognoscant : hi autem e gemino clero eligantur, aetate, eruditione, prudentia commendati, quique in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant [1]. Ad illos scriptorum cognitio deferatur quae ex articulis XLI et XLII memoratae Constitutionis venia ut edantur indigent. Censor sententiam scripto dabit. Ea si faverit, Episcopus potestatem edendi faciet per verbum *Imprimatur*, cui tamen praeponetur formula *Nihil obstat*, ascripto censoris nomine. — In Curia romana, non secus ac in ceteris omnibus, censores ex officio instituantur. Eos, audito prius Cardinali in Urbe Pontificis Vicario, tum vero annuente ac probante ipso Pontifice Maximo, Magister sacri Palatii apostolici designabit. Huius erit ad scripta singula cognoscenda censorem destinare. Editionis facultas ab eodem Magistro dabitur nec non a Cardinali Vicario Pontificis vel Antistite eius vices gerente, praemissa a censore, prout supra diximus, approbationis formula, adiectoque ipsius censoris nomine. — Extraordinariis tantum in adiunctis ac perquam raro, prudenti Episcopi arbitrio, censoris mentio intermitti poterit. — Auctoribus censoris nomen patebit numquam antequam hic faventem sententiam ediderit ; ne quid molestiae censori exhibeatur vel dum scripta cognoscit, vel si editionem non probarit. — Censores e religiosorum familiis numquam eligantur, nisi prius moderatoris provinciae vel, si de Urbe agatur, moderatoris generalis secreto sententia audiatur ; is autem de eligendi moribus, scientia et doctrinae integritate pro officii conscientia testabitur. — Religiosorum moderatores de gravissimo officio monemus numquam sinendi aliquid a suis subditis typis edi, nisi prius ipsorum et Ordinarii facultas intercesserit. — Postremum edicimus et declaramus, censoris titulum quo quis ornatur, nihil valere prorsus nec umquam posse afferri ad privatas eiusdem opiniones firmandas.

De parte quam clerici habeant in ephemeridibus.

His universe dictis, nominatim servari diligentius praecipimus, quae articulo 42 Constitutionis *Officiorum* in haec verba edicuntur : *Viri e clero saeculari prohibentur quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodicu moderanda suscipiant* [2]. Qua si qui venia perni-

---

[1] Versio gallica : *Ils seront choisis parmi les prêtres du clergé tant séculier que régulier, recommandables par leur âge, leur science, leur prudence, et qui, en matière de doctrine à approuver ou à blâmer, se tiennent dans le juste milieu ;* italica vero : *Si scelgano questi dall'uno e dall'altro clero, uomini di età, di scienza e di prudenza, e che nel giudicare sappiano tenere il giusto mezzo.*

[2] Versio gallica : *Défense aux membres du clergé, tant séculier que régulier, de prendre la direction de journaux ou de revues sans la permission des Ordinaires ;* italica vero : *È vietato ai sacerdoti secolari, senza previo permesso dell'Ordinario, prendere la direzione di giornali o di periodici.*

ciose utantur, ea, moniti primum, priventur. — Ad sacerdotes quod attinet, qui *correspondentium* vel *collaboratorum* nomine vulgo veniunt, quoniam frequentius evenit eos in ephemeridibus vel commentariis scripta edere modernismi labe infecta, videant Episcopi ne quid hi peccent, si peccarint moneant atque a scribendo prohibeant. Id ipsum religiosorum moderatores ut praestent gravissime admonemus : qui si neglegentius agant, Ordinarii auctoritate Pontificis Maximi provideant. — Ephemerides et commentaria quae a catholicis scribuntur, quoad fieri possit, censorem designatum habeant. Huius officium erit folia singula vel libellos, postquam sint edita, opportune perlegere : si quid dictum periculose fuerit, id quam primum corrigendum iniungat. Eadem porro Episcopis facultas esto, etsi censor forte faverit.

De ephemerid. et commentariis catholicis.

V. Congressus publicosque coetus iam supra memoravimus, utpote in quibus suas modernistae opiniones tueri palam ac propagare student. — Sacerdotum conventus Episcopi in posterum haberi ne siverint, nisi rarissime. Quod si siverint, ea tantum lege sinent, ut nulla fiat rerum tractatio quae ad Episcopos Sedemve Apostolicam pertinent ; ut nihil proponatur vel postuletur quod sacrae potestatis occupationem inferat ; ut quidquid modernismum sapit, quidquid presbyterianismum vel laicismum, de eo penitus sermo conticescat. — Coetibus eiusmodi, quos singulatim, scripto, aptaque tempestate permitti oportet, nullus ex alia dioecesi sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi commendatus. — Omnibus autem sacerdotibus animo ne excidant quae Leo XIII gravissime commendavit [1] : *Sancta sit apud sacerdotes Antistitum suorum auctoritas : pro certo habeant sacerdotale munus, nisi sub magisterio Episcoporum exerceatur, neque sanctum, nec satis utile, neque honestum futurum.*

Cautiones de conventibus sacerdotum. His reverentia erga Antistites commendatur.

VI. Sed enim, Venerabiles Fratres, quid iuverit iussa a Nobis praeceptionesque dari, si non haec rite firmiterque serventur ? Id ut feliciter pro vobis cedat, visum est ad universas dioeceses proferre quod Umbrorum Episcopi [2], ante annos plures, pro suis prudentissime decreverunt. *Ad errores*, sic illi, *iam diffusos expellendos atque ad impediendum quominus ulterius divulgentur, aut adhuc exstent impietatis magistri per quos perniciosi perpetuentur effectus qui ex illa divulgatione manarunt, sacer Conventus, sancti Caroli Borromaei vestigiis inhaerens, institui in unaquaque dioecesi decernit probatorum utriusque cleri consilium,cuius sit pervigilare an et quibus artibus novi errores serpant aut disseminentur atque Episcopum de hisce docere, ut collatis consiliis remedia capiat, quibus id mali ipso suo initio exstingui possit, ne ad animarum perniciem magis magisque diffundatur, vel quod peius est in dies confirmetur et crescat.* — Tale igitur Consilium, quod *a vigilantia* dici placet, in singulis dioecesibus institui quam primum decernimus. Viri qui in illud asciscantur, eo fere modo cooptabuntur, quo supra de censoribus statuimus [3]. Altero quoque mense statoque die cum Episcopo convenient : quae tractarint, decreverint, ea arcani lege custodiunto. — Officii munere haec sibi demandata habeant.

Instituendum Consilium a vigilantia. Eiusdem ratio ac provincia

---

[1] Litt. Enc. *Nobilissima Gallorum*, 10 febr. 1884.

[2] Act. Consess. Epp. Umbriae, novembri 1849. Tit. II, art. c.

[3] Versio gallica : *Les prêtres qui seront appelés à en faire partie, seront choisis à peu près comme il a été dit à propos des censeurs ;* italica vero : *I membri di esso si sceglieranno colle stesse norme già prescritte pei censori dei libri.*

Modernismi indicia ac vestigia tam in libris quam in magisteriis pervestigent vigilanter ; pro cleri iuventaeque incolumitate, prudenter sed prompte et efficaciter praescribant. — Vocum novitatem caveant meminerintque Leonis XIII monita [1] : *Probari non posse in catholicorum scriptis eam dicendi rationem quae, pravae novitati studens, pietatem fidelium ridere videatur loquaturque novum christianae vitae ordinem, novas Ecclesiae praeceptiones, nova moderni animi desideria, novam socialem cleri vocationem, novam christianam humanitatem, aliaque id genus multa.* Haec in libris praelectionibusque ne patiantur, — Libros ne neglegant, in quibus piae cuiusque loci traditiones aut sacrae Reliquiae tractantur. Neu sinant eiusmodi quaestiones agitari in ephemeridibus vel in commentariis fovendae pietati destinatis, nec verbis ludibrium aut despectum sapientibus, nec stabilibus sententiis, praesertim, ut fere accidit, si quae affirmantur probabilitatis fines non excedunt vel praeiudicatis nituntur opinionibus [2].

Quid tenendum de sacris Reliquis.

De sacris Reliquiis haec teneantur. Si Episcopi, qui uni in hac re possunt, certo norint Reliquiam esse subditiciam, fidelium cultu removeant. Si Reliquiae cuiuspiam auctoritates, ob civiles forte perturbationes vel alio quovis casu, interierint, ne publice ea proponatur nisi rite ab Episcopo recognita. Præscriptionis argumentum vel fundatae praesumptionis tunc tantum valebit, si cultus antiquitate commendetur ; nimirum pro decreto anno MDCCCXCVI a sacro Consilio Indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis edito, quo edicitur : *Reliquias antiquas conservandas esse in ea veneratione in qua hactenus fuerunt, nisi in casu particulari certa adsint argumenta eas falsas vel suppositicias esse.* — Cum autem de piis traditionibus iudicium fuerit, illud meminisse oportet : Ecclesiam tanta in hac re uti prudentia, ut traditiones eiusmodi ne scripto narrari permittat nisi cautione multa adhibita praemissaque declaratione ab Urbano VIII sancita ; quod etsi rite fiat, non tamen facti veritatem asserit, sed, nisi humana ad credendum argumenta desint, credi modo non prohibet. Sic plane sacrum Consilium legitimis ritibus tuendis, ab hinc annis XXX, edicebat [3] : *Eiusmodi apparitiones seu revelationes neque approbatas neque damnatas ab Apostolica Sede fuisse, sed tantum permissas tamquam pie credendas fide solum humana, iuxta traditionem quam ferunt, idoneis etiam testimoniis ac monumentis confirmatam,* Hoc qui teneat, metu omni vacabit. Nam Apparitionis cuiusvis religio, prout factum ipsum spectat et *relativa* dicitur, condicionem semper habet implicitam de veritate facti : prout vero *absoluta* est, semper in veritate nititur, fertur enim in personas ipsas Sanctorum

De piis traditionibus disciplina Ecclesiae.

---

[1] Instr. S. C. Neg. Eccl. extraord. 27 ian. 1902.

[2] Versio gallica : *Ils surveilleront pareillement les ouvrages où l'on traite de pieuses traditions locales et de Reliques. Ils ne permettront pas que ces questions soient agitées dans les journaux, ni dans les revues destinées à nourrir la piété, ni sur un ton de persiflage et où perce le dédain, ni par manière de sentences sans appel, surtout s'il s'agit, comme c'est l'ordinaire, d'une thèse qui ne passe pas les bornes de la probabilité et qui ne s'appuie guère que sur des idées préconçues ;* italica vero : *Non trascurino i libri nei quali si tratti o delle pie tradizioni di ciascun luogo o delle sacre Reliquie. Non permettano che tali questioni si agitino nei giornali o in periodici destinati a fomentare la pietà, nè con espressioni che sappiano di ludibrio o di disprezzo, nè con affermazioni risolute, specialmente, come il più delle volte accade, quando ciò che si afferma o non passa i termini della probabilità o si basa su pregiudicate opinioni.*

[3] Decr. 2 maii 1877.

qui honorantur. Similiter de Reliquiis affirmandum [1]. — Illud demum Consilio *vigilantiae* demandamus, ut ad socialia instituta itemque ad scripta quaevis de re sociali assidue ac diligenter adiciant oculos, ne quid in illis modernismi lateat, sed Romanorum Pontificum praeceptionibus respondeant.

Ad socialia instituta attendendum.

VII. Haec quae praecepimus ne forte oblivioni dentur, volumus et mandamus ut singularum dioecesum Episcopi, anno exacto ab editione praesentium litterarum, postea vero tertio quoque anno diligenti ac iurata enarratione referant ad Sedem Apostolicam de his quae hac Nostra Epistola decernuntur, itemque de doctrinis quae in clero vigent, praesertim autem in Seminariis ceterisque catholicis Institutis, iis non exceptis quae Ordinarii auctoritati non subsunt. Id ipsum Moderatoribus generalibus Ordinum religiosorum pro suis alumnis iniungimus [2].

Praeceptae relationes Episcoporum et Moderatorum generalium ad S. Sedem.

Haec vobis, Venerabiles Fratres, scribenda duximus ad salutem omni credenti. Adversarii vero Ecclesiae his certe abutentur ut veterem calumniam refricent, qua sapientiae atque humanitatis progressioni infesti traducimur. His accusationibus, quas christianae religionis historia perpetuis argumentis refellit, ut novi aliquid opponamus, mens est peculiare Institutum omni ope provehere, in quo, iuvantibus quotquot sunt inter catholicos sapientiae fama insignes, quidquid est scientiarum, quidquid omne genus eruditionis, catholica veritate duce et magistra, promoveatur. Faxit Deus ut proposita feliciter impleamus, suppetias ferentibus quicumque Ecclesiam Christi sincero amore amplectuntur. Sed de his alias. — Interea vobis, Venerabiles Fratres, de quorum opera et studio vehementer confidimus, superni luminis copiam toto animo exoramus ut, in tanto animorum discrimine ex gliscentibus undequaque erroribus, quae vobis agenda sint videatis, et ad implenda quae videritis omni vi ac fortitudine incumbatis. Adsit vobis virtute sua Iesus Christus, auctor et consummator fidei nostrae; adsit prece atque auxilio Virgo immaculata, cunctarum haeresum interemptrix. — Nos vero, pignus caritatis Nostrae divinique in adversis solacii, Apostolicam Benedictionem vobis, cleris populisque vestris amantissime impertimus.

Calumniae quod Ecclesia sit humanae sapientiae infesta, Pontifex mentem opponit provehendi peculiare Institutum de promovendis scientiis et eruditione.

Spes, votum Pontificis.

Benedictio Apostolica.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII septembris MCMVII, Pontificatus Nostri anno quinto.

Dies (8 sept. 1907).

PIVS PP. X.

N. B. Instructio S. C. Ep, et Reg. 21 iul. 1896, de Universitatum frequentatione, habetur in nostro « De Religiosis Monumentis, » t. 2, n. **251**, *p. 666-669.*

---

[1] Versio gallica: *Car le culte qui a pour objet quelqu'une de ces apparitions, en tant qu'il regarde le fait même, c'est-à-dire en tant qu'il est relatif, implique toujours comme condition, la vérité du fait; en tant qu'absolu, il ne peut jamais s'appuyer que sur la vérité, attendu qu'il s'adresse à la personne même des saints que l'on veut honorer. Il faut en dire autant des Reliques;* italica vero: *Imperrochè il culto di qualsivoglia apparizione, in quanto riguarda il fatto stesso e dicesi relativo, ha sempre implicita la condizione della verità del fatto: in quanto poi e assoluto, si dirige alle persone stesse dei Santi che si onorano. Lo stesso vale delle Reliquie.*

[2] Versio gallica: *Nous faisons la même injonction aux Supérieurs généraux des Ordres religieux, en ce qui regarde leurs sujets;* italica vero: *Lo stesso imponiamo ai Superiori generali degli Ordini religiosi a riguardo dei loro dipendenti.*

229. — ACTA S. SEDIS

ANTE LITTERAS ENCYCLIDAS « PASCENDI »

A. *Oratio Summi Pontificis ad creatos cardinales* [1] *17 april. 1907*

Praeposita brevi creatorum Cardinalium laude, S. Pontifex est ita prosecutus :

In gravibus adiunctis Pontifex externo auxilio opus habet.

Se sempre [2] i romani Pontefici hanno avuto bisogno anche di aiuti esteriori per compiere la loro missione, questo bisogno si fa sentire più vivamente adesso per le gravissime condizioni del tempo in cui viviamo e pei continui assalti, ai quali è fatta segno la Chiesa per parte dei suoi nemici.

Alludit minus ad facta Galliae, ubi plura solacia,

E qui non crediate, Venerabili fratelli, che Noi vogliamo alludere ai fatti, per quanto dolorosi, di Francia, perchè questi sono largamente compensati dalle più care consolazioni : dalla mirabile unione di quel venerando episcopato, dal generoso disinteresse del clero e dalla pietosa fermezza dei cattolici, disposti a qualunque sacrificio per la tutela della Fede e per la gloria della loro patria ; si avvera un' altra volta che le persecuzioni non fanno che mettere in evidenza e additare all'ammirazione universale le virtù dei perseguitati, e tutt'al più sono come i flutti del mare che nella tempesta frangendosi negli scogli li purificano, se fosse necessario, dal fango che li avesse insozzati. E Voi lo sapete, Venerabili fratelli, che per questo non temeva la Chiesa, quando gli editti dei Cesari intimavano ai primi cristiani : o abbandonare il culto di Gesù Christo, o morire ; perchè il sangue dei martiri era semente di nuovi proseliti alla fede. Ma la guerra tormentosa che le fa ripetere : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, è quella che deriva dalla aberrazione delle menti, per la quale si misconos-

quam ad sparsos errores modernos.

---

[1] Habita est oratio in aula consistoriali, post impositum rubrum birretum.

[2] Versionem gallicam mutuamur a Supplemento edito a NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, t. 39.

Si les Pontifes romains ont toujours eu besoin de secours extérieurs pour accomplir leur mission, ce besoin se fait maintenant bien plus vivement sentir au milieu des très graves circonstances dans lesquelles nous nous trouvons, et des assauts continuels auxquels l'Église est en butte de la part de ses ennemis.

Et ne croyez pas, Vénérables Frères, que nous voulions faire allusion aux événements pourtant si douloureux de France, parce qu'ils sont largement compensés par les plus chères consolations : par l'admirable union de ce vénérable épiscopat, le généreux désintéressement du clergé et la pieuse fermeté des catholiques, disposés à tous les sacrifices pour la sauvegarde de la foi et la gloire de leur patrie. Il est avéré, une fois de plus, que les persécutions ne font que mettre en évidence et montrer à l'admiration universelle les vertus des persécutés, et tout au plus sont-elles comme les vagues de la mer qui, sur les écueils de la tempête, les purifient, s'il est nécessaire, de la fange qui les souillait.

Et vous le savez, Vénérables Frères, c'est pour cette raison que l'Église ne craignait rien quand les édits césariens intimaient aux premiers chrétiens ou d'abandonner le culte du Christ ou de mourir ; car du sang des martyrs surgissaient de nouveaux prosélytes pour la foi. Mais la guerre terrible qui lui fait répéter : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, est celle dérivant de l'aberration des esprits, qui fait mécon-

cono le sue dottrine e si ripete nel mondo il grido di rivolta, per cui furono cacciati i ribelli dal cielo. E ribelli purtroppo son quelli che professano e diffondono sotto forme subdole gli errori mostruosi sulla evoluzione del dogma, sul ritorno al Vangelo, vale a dire sfrondato, come essi dicono, dalle spiegazioni della teologia, dalle definizioni dei Concilii, dalle massime dell'ascetica; sull'emancipazione della Chiesa, però in modo nuovo, senza ribellarsi per non essere tagliati fuori, ma nemmeno assogettarsi per non mancare alle proprie convinzioni, e finalmente sull'adattamento ai tempi in tutto, nel parlare, nello scrivere e nel predicare una carità senza fede, tenera assai pei miscredenti, che apre a tutti purtroppo la via alla eterna rovina.

Errorum istorum qui summa sunt haeresium, denuntiatur gravitas.

Voi ben vedete, o Venerabili fratelli, se Noi, che dobbiamo difendere con tutte le forze il deposito che Ci venne affidato, non abbiamo ragione di essere in angustie di fronte a questo attacco, che non è una eresia, ma il compendio e il veleno di tutte le eresie, che tende a scalzare i fondamenti della fede ed annientare il cristianesimo. Si, annientare il cristianesimo, perchè la Sacra Scrittura per questi critici moderni non è più la fonte sicura di tutte le verità che appartengono alla Fede, ma un libro comune; l'ispirazione per loro si restringe alle dottrine dogmatiche, intese però a loro modo, e per poco non si differenzia dall' ispirazione poetica di Eschilo e di Omero. Legittima interprete della Bibbia è la Chiesa, però soggetta alle regole della cosidetta scienza critica, che s'impone alla teologia e la rende schiava. Per la tradizione finalmente tutto è relativo e soggetto a mutazioni, e quindi ridotta al niente l'autorità dei Santi Padri. E tutti questi e mille altri errori li propalano in opusculi, in riviste, in libri ascetici, e perfino in romanzi, e li involgono in certi termini ambigui, in certe forme nebulose, onde avere sempre aperto uno scampo

---

naître ses doctrines et répéter dans le monde entier le cri de révolte, pour lequel furent chassés les rebelles du ciel.

Et rebelles ne sont que trop ceux qui professent et répètent, sous des formes subtiles, des erreurs monstrueuses sur l'évolution du dogme, sur le retour au pur Évangile, c'est-à-dire à l'Évangile débarrassé de sa frondaison, comme ils disent, des explications de la théologie, des définitions des conciles, des maximes de l'ascétisme; sur l'émancipation de l'Église, mais à leur manière nouvelle, sans se révolter pour n'être pas mis dehors, et néanmoins sans se soumettre pour ne point manquer à leurs propres convictions; enfin sur l'adaptation aux temps en toutes choses, dans la manière de parler, d'écrire et de prêcher une charité sans foi, toujours tendre pour les mécréants, mais qui ouvre à tous la voie de la ruine éternelle.

Vous voyez, Vénérables Frères, si Nous, qui devons défendre de toutes nos forces le dépôt qui nous a été confié, Nous n'avons pas raison d'être anxieux en présence de cet assaut, qui ne constitue pas une hérésie, mais le résumé et le suc vénéneux de toutes les hérésies, qui tend à miner les fondements de la foi, à anéantir le christianisme.

Oui, anéantir le christianisme, parce que pour ces hérétiques modernes la Sainte Écriture n'est plus la source sûre de toutes les vérités concernant la foi, mais un livre ordinaire.

L'inspiration se réduit pour eux aux doctrines dogmatiques, entendues à leur manière, et, pour un peu, ne se différencie pas de l'inspiration poétique d'Eschyle et d'Homère. L'église est le légitime interprète de la Bible: elle est toutefois sujette aux règles de la science critique qui s'impose à la théologie et la rend son esclave. Pour la tradition tout est relatif et sujet à des mutations et, par suite, l'autorité des Saints Pères est réduite à rien.

Et toutes ces mille erreurs se propagent dans des opuscules, des revues, des livres ascétiques et jusque dans des romans, et s'enveloppent de certains termes ambigus,

alla difesa per non incorrere in una aperta condanna e prendere però gli incauti ai loro lacci.

Excitatur Cardinalium vigilantia et zelus.

Noi pertanto contiamo assai anche sull'opera vostra, Venerabili fratelli, perchè qualora conosciate coi Vescovi vostri suffraganei, nelle vostre regioni, di questi seminatori di zizzania, vi uniate a Noi nel combattere, Ci informiate del pericolo a cui sono esposte le anime, denunciate i loro libri alle Sacre Congregazioni romane, e frattanto, usando delle facoltà che dai sacri canoni vi sono concesse, solennemente li condanniate, persuasi dell' obbligo altissimo che avete assunto di aiutare il Papa nel governo della Chiesa, di combattere l'errore e di difendere la verità, fino all'effusione del sangue.

Post haec, Pontifex auxilium dixit se sperare a Deo, tempore opportuno, et Apostolicam impertitus est benedictionem.

B. *Litterae S. Congr. Indicis, 29 aprilis 1907, ad Em. Archiep. Mediolanensem, de Periodico « Il Rinnovamento ».*

EMINENTISSIMO PRINCIPE,

Cur formali damnatione supersederint.

Gli[1] Emi Padri di questa S. Congregazione dell' Indice, nell' ultima loro adunanza si sono dovuti occupare di una rivista recentemente pubblicata in cotesta città di Milano, sotto il titolo « il Rinnovamento ». Non essendo soliti, se non per motivi straordinarii di mettere all' Indice fascicoli staccati di reviste in corso di pubblicazione, gli Emi Padri hanno voluto soprassedere a questo modo di condanna relativamente ai numeri finora pubblicati della suddetta rivista. Ma non possono astenersi dall' esprimere all' Eminenza V. Revma il disgusto che hanno provato, vedendo pubblicata da sedicenti cattolici una revista notabilmente opposta allo spirito e all'insegnamento cattolico. Deplorano segnatamente il turba-

Summopere displicent: Mens qua scripti sunt articuli;

---

sous des formes nébuleuses, afin d'avoir toujours un refuge prêt pour la défense, et de ne pas encourir une condamnation ouverte et aussi de prendre dans leurs lacets les esprits qui ne sont pas sur leurs gardes.

Aussi, nous comptons sur votre concours, Vénérables Frères, pour que, quand avec les évêques suffragants de votre région vous connaîtrez de ces semeurs de zizanies, vous vous unissiez à Nous pour les combattre, vous signaliez le péril auquel les âmes sont exposées, vous dénonciez leurs livres aux Sacrées Congrégations romaines, et vous usiez au besoin de la faculté à vous concédée par les sacrés canons, et les condamniez solennellement, bien persuadés de la très haute obligation que vous avez assumée d'aider le Pape dans le gouvernement de l'Église, de combattre l'erreur et de défendre la vérité jusqu'à l'effusion du sang.

[1] PRINCE ÉMINENTISSIME,

Les EEmes Pères de cette Congrégation de l'Index, dans leur dernière réunion, ont dû s'occuper d'une revue, récemment publiée dans cette ville de Milan, sous le titre de *Il Rinnovamento*. Comme ils n'ont pas coutume, sinon pour des motifs exceptionnels, de mettre à l'Index des livraisons détachées d'une revue en cours de publication, les EEmes Pères ont voulu surseoir à ce mode de condamnation relativement aux numéros de cette revue publiés jusqu'ici. Mais ils ne peuvent s'abstenir d'exprimer à votre Éminence Rme le déplaisir qu'ils ont éprouvé, en voyant publier par des hommes

mento che tali scrittori arrecano alle coscienze, e la superbia con la quale si atteggiano a maestri e quasi dottori della Chiesa. Ed è doloroso che, tra costoro che sembrano volersi arrogare un magistero nella Chiesa e fare scuola al Papa istesso, si trovino dei nomi già noti per altri scritti dettati dal medesimo spirito, come il Fogazzaro, il Tyrrell, il Von Hügel, il Murri ed altri. E mentre in questa rivista uomini siffati parlano con tanta albagia delle questioni teologiche più difficili e degli affari più importanti della Chiesa, gli editori la vantano *laica, non confessionale*, e vanno facendo distinzioni tra cattolicismo officiale, e non officiale, tra i dogmi definiti dalla Chiesa quali verità da credere, e l'immanenza della religione negl' individui. Insomma non si può dubitare che la rivista sia fondata con lo scopo di coltivare uno spirito pericolosissimo di independenza dal magistero della Chiesa e la prevalenza del giudizio privato su quello della Chiesa medesima, e di erigersi in iscuola che prepari un rinnovamento anticattolico degli spiriti.

Eorum scriptores;

Declaratio editorum,

Et spiritus qui fovetur.

Gli Emi Padri condannano severamente questo spirito anticattolico, che si fa largo tra manifesti errori nella rivista in questione, e desiderano che l'Eminenza V. Revma faccia chiamare l'editore di detta rivista per ingiungergli di desistere da un impresa tanto nefasta e indegna di un vero cattolico; e desiderano inoltre che l'Eminenza V., quanto primo potrà, si compiaccia portare alla pubblica conoscenza questo giudizio della S. Congregazione dell'Indice.

Damnato isto spiritu, quaedam fieri optant vel praecipiunt.

Mentre ho l' onore di partecipare la cosa all' Eminenza V. Rma, le bacio umilissimamente le mani, e godo di professarmi dell' Eminenza V. Revma

Conclusio.

ANDREA, Card. STEINHUBER, *Prefetto.*
Fr. Tommaso Esser, O. P., Segretario.

---

qui se disent catholiques une revue notablement opposée à l'esprit et à l'enseignement catholiques.

Ils déplorent notamment le trouble que les écrivains de ce genre apportent aux consciences, et l'orgueil avec lequel ils se posent en maîtres et comme en docteurs de l'Église. Et il est douloureux que, parmi ceux qui semblent vouloir s'arroger un magistère dans l'Église et donner des leçons au Pape lui-même, se trouvent des noms déjà connus par d'autres écrits, dictés par le même esprit, comme ceux de Fogazzaro, de Tyrrell, de Von Hügel, de Murri et d'autres. Et tandis que, dans cette revue, de tels hommes parlent avec tant de vaine assurance des questions théologiques les plus importantes, les éditeurs la proclament *laïque, non confessionnelle*, et établissent des distinctions entre le catholicisme officiel et non officiel, les dogmes définis par l'Église comme vérités à croire, et l'immanence de la religion dans l'individu. En somme, on ne peut douter que la revue ne soit fondée dans le but de cultiver un esprit très dangereux d'indépendance à l'égard du magistère de l'Église et la supériorité du jugement privé sur celui de l'Église même, et de s'ériger en une école qui prépare le renouvellement anticatholique des esprits.

Les EEmes Pères condamnent sévèrement cet esprit anticatholique qui se manifeste, au milieu d'erreurs évidentes, dans la revue en question, et ils désirent que votre Éminence Rme fasse appeler l'éditeur de la dite revue pour lui enjoindre de se désister d'une entreprise si néfaste et indigne d'un vrai catholique. Ils désirent en outre que votre Éminence, aussitôt qu'elle le pourra, daigne porter à la connaissance du public ce jugement de la S. C. de l'Index.

Tandis que j'ai l'honneur de faire cette communication à votre Éminence Rme, je lui baise humblement les mains et je suis heureux de me dire,

De Votre Éminence Rme...

A. Card. STEINHUBER, *Préfet.*
Fr. T. ESSER, O. P. *Secrét.*

C. *Litterae SS. D. N. Pii Pp. X, 6 maii 1907, ad Archiepiscopos et Episcopos Instituti Catholici Parisiensis patronos.*

Dilecto filio nostro Francisco Mariae S. R. E. Presb. Card. Richard, Archiepiscopo Parisiensi, ceterisque Archiepiscopis et Episcopis ex Gallia Patronis Instituti Catholici Parisiensis.

Pius Pp. X

Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Scribendi occasio et causa.

Sub exitum mensis huius, uti accepimus, una simul conventuri vos estis, ut Instituti Catholici Parisiensis, cuius patrocinium geritis, rationes de more cognoscatis. Quoniam, propter difficultates temporum, ea quoque res in consultationem vestram venire posse videtur, quid ipsi Instituto faciatis in posterum, Nostrum esse putavimus haec ad vos, pro rei gravitate, scribere. Equidem intellegimus iniqua Civitatis vestrae ab Ecclesia seiunctio in quantas vos rerum angustias coniecerit. Destituti scilicet reditibus legitimis, ideoque adacti ex piorum collationibus tuitionem divini cultus omnem petere, aegre plerumque habebitis quod novis necessitatibus tot tantisque suppetat, nisi sumptus, quamvis utiles, non adeo tamen necessarios, minuere studueritis. Verum nolimus hoc parsimoniae studio quicquam detrimenti Instituto inferri de quo loquimur. Neque enim illud ponendum est in genere earum rerum quarum iacturam fieri liceat, sed quas vel magno negotio retineri oporteat. Facile apparet, hoc misero Galliae tempore, unam omnium maxime in discrimen vocari iuventutem. Subducta quippe, magnam partem, de vigilantia tutelaque Ecclesiae, in publica cogitur gymnasia et lycea magna, quae quidem apprime ad extrahendam radicitus ex animis religionem comparata esse dixeris. Iam vero, si tanto huic malo mederi omnino non possumus, at saltem, ut in usum iuvenum nostrorum catholica, quae restant, studiorum domicilia conservemus integra, eniti pro viribus debemus. Itaque non potest esse dubium, quin vos Institutum Parisiense tueri posthac, ut fecistis adhuc, atque etiam ornare velitis, quem ad modum religionis defensio postulat.

Cavendum ne tustum parsimoniae studium noceat Instituto Parisiensi, cuius necessitas praedicatur,

propter discrimen in quod iuventus vocatur.

Religionis defensio postulat ut magisteriis nuper contra cathol. relig. erectis alia opponantur.

Curanda ipsa frequentatio clericorum.

Inculcatur observatio litt. «Aeterni Patris».

Dolendae novitates quae e clero

Nostis in athenaeis publicis propria quaedam magisteria ad impugnationem catholicae veritatis nuper esse constituta. Optandum est apud Institutum vestrum similium disciplinarum magistros esse, qui adversarios refellant. Sed quo pacto id commode, hoc est novo sine onere fiat, vestrum consilium erit. Vos autem dabitis operam ut, praeterquam idoneis magisteriis, numero etiam auditorum Institutum floreat ; propterea curae vobis erit, de dioecesanis vestris adulescentes clericos spei bonae eo plures submittere, qui philosophiam ibi et doctrinae sacrae studia penitus colant. — Ac de philosophia, petimus a vobis ne umquam patiamini in Seminariis vestris minus sancte observari quae providentissime Litteris Encyclicis *Aeterni Patris* Decessor Noster praecepit. Permagni ad custodiam et tutelam Fidei hoc interest. Certe Nobiscum doletis e Clero praesertim adulescenti quosdam erumpere coepisse, periculi et erroris plenas, novi-

tates sententiarum de ipsis fundamentis doctrinae catholicae. Sed eas fere non aliunde proficisci patet, quam a superbo quodam fastidio sapientiae veteris, quo ratio philosophandi principum scholasticorum, quamquam multiplici Ecclesiae praeconio consecrata, contemnitur. Ergo vos vestros alumnos sacri ordinis non debetis velle philosophiae praeceptis tantum imbui quantum in legitima litterarum institutione praescriptum est publice, sed eos uberius et altius, nempe secundum disciplinam Thomae Aquinatis; ut solidam deinceps possint sacrae theologiae reique biblicae scientiam percipere.

erupere. A contempta scholastico-rum philo-sophia pro-fiscuntur.

Profun-dior itaque excolenda est philo-sophia.

Auspicem divinorum munerum ac testem praecipuae benevolentiae Nostrae, vobis, dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Benedictio Apostolica.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VI maii anno MCMVII, Pontificatus Nostri quarto.

Dies (6 maii 1907).

PIUS PP. X.

D. *Decretum S. C. R. et U. Inquisitionis, « Lamentabili » 3-4 iul. 1907*

(Cfr. PERIODICA, t. 3, n. **217**, p. 143-147.)

E. *Instructio S. R. et U. Inquisitionis, « Recentissimo », 28 augusti 1907*

AD REVERENDISSIMOS

LOCORUM ORDINARIOS FAMILIARUMQUE RELIGIOSARUM MODERATORES

Recentissimo decreto *Lamentabili sane exitu*, die 3 iulii c. a. ab hac S. Congregatione Romanae et Universalis Inquisitionis, iussu D. N. Pii Papae X, notati atque proscripti sunt praecipui quidam errores qui nostra aetate a scriptoribus, effrenata cogitandi atque scrutandi libertate abreptis, sparguntur, et altioris scientiae fuco et specie propugnantur.

Instructio-nis oppor-tunitas.

Cum autem errores occulti serpere, et quod maxime luctuosum est, incautos animos, iuvenum praesertim, occupare soleant, ac semel admissi difficillime radicitus ex animo evellantur, immo, etiam eradicati, plerumque sponte sua repullulent, opportunum visum est Eminentissimis et Reverendissimis Dominis Cardinalibus in rebus fidei et morum una mecum Inquisitoribus Generalibus, decreto supra laudato monita quaedam adiungere, quibus plenius et efficacius attingatur finis quem S. Sedes in reprobandis erroribus sibi proposuerat, consequendum.

Memores igitur in primis sint ad quos pertinet, necessarium esse ut sive in Seminariis clericorum saecularium et studiorum domibus Religiosorum, sive in Universitatibus, Lyceis, Gymnasiis aliisve educationis collegiis vel institutis, a iuvenum institutione omnino removeantur moderatores atque magistri qui damnatis erroribus infecti cognoscuntur, vel eorum suspecti merito habentur.

Cautio de removendis magistris infectis vel suspectis;

De arcendo clero a libellis periodicis.

Necessarium pariter erit interdicere, praesertim Seminariorum alumnis ac universim viris ecclesiasticis, ne nomen dent libellis periodicis, quibus neoterici errores sive aperte propugnantur sive latenter insinuantur, neque quicquam in iis publici iuris faciant. A qua regula non deflectant, etsi aliquando gravis ratio aliud suadere videatur, nisi de consensu Ordinarii.

De differenda vel deneganda sacra ordinatione.

Consultum postremo erit sacram ordinationem differre vel etiam prorsus denegare iis qui, quod Deus avertat, neotericis erroribus imbuti essent, quos non ex animo reprobarent atque reicerent.

Generalis excitatur zelus.

His autem pro zelo, quo erga gregem sibi creditum animantur Ordinarii, illa adicere non omittant consilia ac remedia quae pro ratione locorum et circumstantiarum opportuna iudicaverint ad zizania penitus ex agro Domini evellenda.

Dies (28 aug. 1907).

Datum Romae ex Aedibus S. O. die 28 augusti 1907.

S. Card. VANNUTELLI.

---

230. — ACTA POST EDITAS ENCYCLICAS LITTERAS

A. *Epistula Emi Card. Secretarii Status, 10 oct. 1907, ab Ep. Avenionen., de praeferenda pro clero Universitate catholica, ubi optio data fuerit.*

MONSEIGNEUR,

Non nulli e clero Galliae studia publica pro catholicis adeunt.

Le Saint-Siège a reçu des réclamations contre le procédé de certains ecclésiastiques français qui, pour être plus facilement et plus rapidement munis de grades universitaires, s'inscrivent aux Facultés de l'État, renonçant à suivre les cours des Facultés catholiques.

Quod Institutis catholicis est damnosum, fidei autem periculosum.

Votre Grandeur comprend aisément que, si on en venait a généraliser cet usage, la saine doctrine chez les ecclésiastiques, ainsi que l'avenir des Universités catholiques, pourraient être sérieusement compromis. En effet, il ne peut pas échapper à la pénétration de Votre Grandeur que l'intégrité de la foi des jeunes étudiants, même s'ils sont clercs ou prêtres, est exposée dans les Facultés civiles à de bien graves dangers.

Rara haec debet esse exceptio, ob necessitatem, iudice Epo, permittenda prudenter.

Partant, d'ordre de Sa Sainteté, je m'empresse de vous rappeler que, sauf de très rares exceptions, la préférence doit être *toujours* donnée aux Universités catholiques. Les évêques sont autorisés, conformément au décret de 1896, visé par l'Encyclique, à permettre à leurs ecclésiastiques de suivre les cours des Facultés de l'État, seulement *en cas de nécessité* et, en tant que cette nécessité l'exige, en prenant d'autre part toutes les précautions requises.

Et eo rarior quo periculosior disciplina sit adeunda.

Les évêques se montreront *particulièrement difficiles* à donner cette autorisation pour les cours les plus sujets à devenir dangereux, comme ceux d'histoire, de philosophie et des matières similaires, et les recteurs des Universités catholiques ne permettront pas, de leur côté, que les

ecclésiastiques inscrits dans l'Institut dirigé par eux, qui ne sont pas munis, à cet effet, d'une autorisation expresse et spéciale de leurs évêques, suivent ces cours dans les Universités civiles.

Rectores Univ. cath. de exigenda venia episcop. sint solliciti.

Je prie Votre Grandeur de vouloir bien porter ces instructions du Saint-Père à la connaissance de ses suffragants.

Communicetur haec Instructio.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en Notre-Seigneur.

Rome, 10 octobre 1907.

Dies (10 oct. 1907).

R. Card. MERRY DEL VAL.

B. *In Urbe, adiecta pontificia excommunicatione, proscribitur, 29 oct. 1907, libellus « Il programma dei Modernisti »*

Petrus tituli SS. Quattuor Coronatorum, S. R. E. Presb. Card. Respighi, SS. D. N. Papae Vicarius Generalis, Romanae Curiae eiusque districtus Iudex Ordinarius, etc.

Cum Nobis constet librum qui inscribitur « *Il Programma dei Modernisti* — Risposta all'Enciclica di Pio X *Pascendi gregis ;* edito in Roma dalla Società internazionale scientifico-religiosa coi tipi di A. Friggeri-Via della Mercede 28, 29 in Roma » in hac Urbe venumdari ; cumque eius lectionem Christi fidelibus scandalo et detrimento esse vehementer putemus ; eum Auctoritate Nostra Ordinaria, proscribimus atque proscriptum declaramus.

Damnatio libri.

Itaque nemini cuiuscumque gradus et condicionis Nostrae Iurisdictioni subiecto eundem librum vendere, legere, aut retinere liceat sub culpa letali.

Cum porro huius libri auctores et scriptores in asserta Responsione acriter tueantur systema quod in Encyclica *Pascendi Dominici Gregis* — omnium haereseon collectum — esse affirmatur ; SS. D. N. Pius Pp. X per hoc decretum auctores et scriptores, ceterosque omnes qui, quoquo modo ad hunc librum conficiendum operam contulerunt excommunicationis poena afficit, a qua sibi soli absolutionem reservat. Addit SS. Dominus Noster hoc decretum valere perinde ac si traditum esset in manus unius cuiusque ex dictis auctoribus et scriptoribus, qui si sint sacerdotes et actum Ordinis exerceant, in Irregularitatem incurrent.

Excommunicatio Pontificia.

Nihil autem satius esset, ait SSmus, quam ut omnes Episcopi, in sua quaque Dioecesi, hanc proscriptionem indicerent, et censuram promulgarent.

Consilium et votum Pontificis.

Datum Romae, die 29 octobris 1907.

PETRUS RESPIGHI, Card. Vic
Franciscus Can. Faberi, Secr.

C. SS. D. N. Pii Pp. X motu proprio 18 nov. 1907

De sententiis pontificalis consilii rei biblicae provehendae praepositi ac de censuris et poenis in eos qui praescripta adversus modernistarum errores neglexerint.

I. Memorantur acta Leonis XIII, in re biblica. Litterae Providentissimus, *earumque argumentum;*

Praestantia Scripturae Sacrae enarrata, eiusque commendato studio, Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus*, datis XIV calendas decembres a. MDCCCLXXXXIII, Leo XIII, Noster immortalis memoriae Decessor, leges descripsit quibus Sacrorum Bibliorum studia ratione proba regerentur ; Librisque divinis contra errores calumniasque Rationalistarum assertis, simul et ab opinionibus vindicavit falsae doctrinae quae *critica sublimior* audit ; quas quidem opiniones nihil esse aliud palam est, nisi *Rationalismi commenta*, quem ad modum sapientissime scribebat Pontifex, *e philologia et finitimis disciplinis detorta.*

Litt. Vigilantiae, *quibus prudentissime composita Commissio de re biblica.*

Ingravescenti autem in dies periculo prospecturus quod inconsultarum deviarumque sententiarum propagatione parabatur, Litteris Apostolicis *Vigilantiae studiique memores*, tertio calendas novembres a. MDCCCCII datis, Decessor idem Noster Pontificale Consilium seu *Commissionem* de re Biblica condidit, aliquot doctrina et prudentia claros S. R. E. Cardinales complexam, quibus, Consultorum nomine, complures e sacro ordine adiecti sunt viri, e doctis scientia theologiae Bibliorumque Sacrorum delecti, natione varii, studiorum exegeticorum methodo atque opinamentis dissimiles. Scilicet id commodum Pontifex, aptissimum studiis et aetati, animo spectabat, fieri in Consilio locum sententiis quibusvis libertate omnimoda proponendis, expendendis disceptandisque ; neque ante, secundum eas Litteras, certa aliqua in sententia debere Purpuratos Patres consistere, quam cum cognita prius et in utramque partem examinata rerum argumenta forent, nihilque esset posthabitum, quod posset clarissimo collocare in lumine verum sincerumque propositarum de re Biblica quaestionum statum : hoc demum emenso cursu, debere sententias Pontifici Summo subici probandas, ac deinde pervulgari.

Huius utilis actio a quibusdam non sat reverenter excepta.

Post diuturna rerum iudicia consultationesque diligentissimas, quaedam feliciter a Pontificio de re Biblica Consilio emissae sententiae sunt, provehendis germane biblicis studiis, iisdemque certa norma dirigendis perutiles. At vero minime deesse conspicimus qui, plus nimio ad opiniones methodosque proni perniciosis novitatibus affectas, studioque praeter modum abrepti falsae libertatis, quae sane est licentia intemperans, probatque se in doctrinis sacris equidem insidiosissimam maximorumque malorum contra fidei puritatem fecundam, non eo quo par est obsequio sententias eiusmodi, quamquam a Pontifice probatas, exceperint aut excipiant.

Hinc definitio Pontificis. Pari iure sunt Commissionis sententiae et Decreta SS. Congr.

Quapropter declarandum illud praecipiendumque videmus, quem ad modum declaramus in praesens expresseque praecipimus, universos omnes conscientiae obstringi officio sententiis Pontificalis Consilii de re Biblica, ad doctrinam pertinentibus, sive quae adhuc sunt emissae sive quae posthac edentur, perinde ac Decretis Sacrarum Congregationum pertinentibus ad doctrinam probatisque a Pontifice, se subiciendi; nec posse

notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent ; idque praeter scandalum, quo offendant, ceteraque quibus in causa esse coram Deo possint, aliis ut plurimum, temere in his errateque pronuntiatis. *Corollaria.*

Ad haec, audentiores cotidie spiritus complurium modernistarum repressuri, qui sophismatis artificiisque omne genus vim efficacitatemque nituntur adimere non Decreto solum *Lamentabili sane exitu*, quod V nonas iulias anni vertentis S. R. et U. Inquisitio, Nobis iubentibus, edidit, verum etiam Litteris Encyclicis Nostris *Pascendi Dominici gregis*, datis die VIII mensis septembris istius eiusdem anni, Auctoritate Nostra Apostolica iteramus confirmamusque tum *Decretum* illud Congregationis Sacrae Supremae, tum *Litteras* eas Nostras *Encyclicas*, addita *excommunicationis* poena adversus contradictores ; illudque declaramus ac decernimus, si quis, quod Deus avertat, eo audaciae progrediatur ut quamlibet e propositionibus, opinionibus doctrinisque in alterutro documento, quod supra diximus, improbatis tueatur, censura ipso facto plecti Capite *Docentes* Constitutionis *Apostolicae Sedis* irrogata, quae prima est in excommunicationibus latae sententiae Romano Pontifici simpliciter reservatis. Haec autem excommunicatio salvis poenis est intellegenda, in quas, qui contra memorata documenta quidpiam commiserint, possint, uti propagatores defensoresque haeresum, incurrere, si quando eorum propositiones, opiniones doctrinaeve haereticae sint, quod quidem de utriusque illius documenti adversariis plus semel usuvenit, tum vero maxime cum modernistarum errores, id est *omnium haereseon collectum*, propugnant. *II. Confirmatio Decretorum de Modernismo, addita poenarum intimatione et declaratione.*

His constitutis, Ordinariis dioecesum et Moderatoribus Religiosarum Consociationum denuo vehementerque commendamus, velint pervigiles in magistros esse, Seminariorum in primis ; repertosque erroribus modernistarum imbutos, novarum nocentiumque rerum studiosos, aut minus ad praescripta Sedis Apostolicae, utcumque edita, dociles, magisterio prorsus interdicant : a sacris item ordinibus adulescentes excludant, qui vel minimum dubitationis iniciant doctrinas se consectari damnatas novitatesque maleficas. Simul hortamur, observare studiose ne cessent libros aliaque scripta, nimium quidem percrebrescentia, quae opiniones proclivitatesque gerant tales, ut improbatis per Encyclicas Litteras Decretumque supra dicta consentiant : ea summovenda curent ex officinis librariis catholicis multoque magis e studiosae iuventutis Clerique manibus. Id si sollerter accuraverint, verae etiam solidaeque faverint institutioni mentium, in qua maxime debet sacrorum Praesulum sollicitudo versari. *Excitatio vigilantiae Superiorum in Ordinandos, in libros.*

Haec Nos universa rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque. *Clausulae.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XVIII mensis novembris anni MDCCCCVII, Pontificatus Nostri quinto. *Dies (18 nov. 1907).*

PIVS PP. X

D. *Allocutio SS. D. N. Pii Pp. X in Consistorio 16 decembris 1907*

VENERABILES FRATRES,

Praenuntiatae insectationes

Relicturus Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiverat, ac transiturus de hoc mundo ad Patrem, Christus Dominus id nobis, nec semel nec obscure, praenuntiavit, fore nos insectationibus inimicorum perpetuo premendos, neque umquam in hisce terris carituros adversis. Scilicet hoc sponsae debebatur quod Sponso obtigerat ; ut quo modo Huic dictum fuerat : « Dominare in medio inimicorum tuorum, [1] » sic illa per medios hostes mediasque pugnas a mari dominaretur usque ad mare, donec, promissionis terram ingressa, perenni tranquillitate feliciter potiretur. —

Hodie omni ratione Ecclesiam adoriuntur.

Quod utique divini Reparatoris oraculum, ut nullo non tempore, sic modo impleri ad unguem videmus. Alibi quidem acie apertaque dimicatione, astu alibi abstrusisque insidiis, attamen ubique Ecclesiam oppugnari conspicimus. Quidquid illius est iurium impetitur ac proculcatur : leges vel ab iis despiciuntur quorum esset earundem tueri auctoritatem : impia interea impudentique ephemeridum colluvie fidei sanctitas morumque nitor maculatur, detrimento animorum maximo, nec minori civilis consociationis damno ac perturbatione ; quod ipsi, ut alias saepe, sic non ita pridem vel inter nostrates vestris fere oculis usurpastis.

Malis exterioribus additur gravissimum malum studii novarum rerum in Ecclesia, quod a Pontifice describitur.

Sed his aliud modo additur malum plane gravissimum : sollicitum quoddam studium late increbrescens novarum rerum, disciplinae omnis ac potestatis impatiens ; quod Ecclesiae doctrinas ipsamque adeo revelatam a Deo veritatem impetens, nititur religionem sanctissimam a fundamentis convellere. Eo nimirum ducuntur (utinam pauciore numero !) qui eius quam vulgo scientiam et criticen et progressionem et humanitatem dictitant, audacissimas opiniones caeco fere impetu amplectuntur. Hi quidem, spreta tum Romani Pontificis tum Episcoporum auctoritate, methodicam invehunt dubitationem impiissimam circa ipsa fidei fundamenta ; ac, praesertim si e clero sunt, catholicae theologiae studia aspernati, philosophiam, sociologiam, litteraturam e venenatis fontibus hauriunt ; tum vero conscientiam quandam laicam catholicae oppositam pleno ore concrepant ; sibique ius simul officiumque arrogant catholicorum conscientias corrigendi ac reformandi.

Magis quam apostasia dolenda est caecitas qua se catholicos existimant et sacramentis utuntur vel sacris operantur.

Lugendum plane foret si homines eiusmodi, Ecclesiae gremio relicto, ad apertos hostes convolarent : verum longe magis dolendum est quod eo devenerint caecitatis, ut se adhuc Ecclesiae filios reputent et iactent, eierato quamvis, factis etsi forte non verbis, fidei sacramento, quod in Baptismate edixerunt. Sic porro, fallaci quadam animi tranquillitate ducti, christiana etiam sacra frequentant, sanctissimo Christi Corpore reficiuntur, quin et ad altare Dei, quod plane horrendum, sacrificaturi accedunt : inter haec tamen, quae praedicant, quae agitant, quae pertinacia summa profitentur illos a fide excidisse demonstrant, dumque se navi duci autumant foede naufragium fecisse.

---

[1] Ps. 109, 2.

Acta sua memorat Pontifex et gratulatur sibi Episcoporum zelum.

Decessorum Nostrorum exemplo, qui vigilantia maxima constantissimoque pectore sanam doctrinam tutati sunt, solliciti ne quid ei labis aspergeretur, Nos quoque, apostolici praecepti memores « Bonum depositum custodi [1] » decretum « *Lamentabili* » nuper edidimus, mox vero Litteras Encyclicas « *Pascendi dominici gregis* » ; atque Episcopos gravissime commonefecimus ut, praeter cetera a Nobis praescripta, sacra praesertim seminaria diligentissime custodiant, caventes ne quid capiat detrimenti institutio adulescentium, qui in spem sacri cleri educantur : quod, gratulantes dicimus, a plerisque omnibus et volenti animo exceptum est, et strenue perficitur.

Errantium obstinatio poenas postulavit et preces adhuc requirit.

Paterno tamen huic studio, *ad correptionem animarum errantium*, quo pacto ab ipsis errantibus responsum sit non ignoratis, Venerabiles Fratres. Alii quidem, *in hypocrisi loquentes mendacium*, ad se quae dicebamus non pertinere professi sunt, callidis argumentis animadversioni se subducere conantes. Alii vero insolenti superbia, bonorum omnium luctu, apertissime restiterunt. Quare, quae suggerebat caritas incassum adhibitis, canonicas demum irrogare poenas, maerore animi maximo, coacti fuimus. Deum tamen, luminum ac misericordiarum Patrem, rogare impensissime non desistimus ut velit errantes in viam revocare iustitiae. Id ipsum et fieri a vobis, Venerabiles Fratres, vehementer optamus, illud minime dubitantes omnem operam Nobiscum vos impensuros ad hanc luem errorum quam latissime prohibendam.

Resignatio Patriarchae olysipponensis admittitur.

Nunc autem ut hodierni conventus vestri rationem attingamus, hoc primum monere vos volumus, postquam iteratis postulationibus dilecti Filii Nostri Iosephi Sebastiani Neto de resignando Olysipponensi patriarchatu diu amantissimeque restitimus, resignationem ipsam demum Nos excepisse. Partriarcham novum, qui in eius locum succedat, mox in decreto et schedulis consistorialibus designabimus.

Creantur Cardinales.

Post haec, S. R. E. Cardinales creare ac renuntiare egregios viros quattuor decrevimus, quos sua quemque virtus et variorum administratio munerum dignos probavere, qui in ampilssimum Collegium vestrum cooptarentur. Hi autem sunt : etc. *(sequitur Cardinalium creatio).*

NOTAE CANONICAE

§ 1. *Conspectus generalis*

Monumenta proponimus a S. Sede inter diem 17 aprilis et 16 decembris edita de eodem Modernismi argumento. A consistorio 17 aprilis initium capiunt ; desinunt vero in consistorium 16 decembris. In priore, hostis denuntiatur et advocantur auxilia ; in altero, quasi post primam pugnam, quinam sint collecti fructus et quisnam sit Ecclesiae status, habetur ratio. Per octo itaque menses, parata sunt arma et tela, conscriptae sunt copiae, atque instructa acies quibus Ecclesia modernos errores profligare et de agro suo depellere firmiter decrevit.

[1] II Tim. 1, 14.

Ordine etiam alia alia excipiunt, ita ut alia aliis interpretandis subsidium conferant.

Iam ipsa consistorialis allocutio 17 aprilis 1907 litterarum encyclicarum exhibet summam; atque improbatus spiritus magis in concreto dignoscitur ex litteris S. C. Indicis, 29 april. 1907, de libello periodico Il Rinnovamento, in quibus nomina quaedam occurrunt hominum qui eo declarantur imbuti.

Duplicem sollicitudinem, quae deinceps explicabitur, de scientiae sacrae et philosophiae scholasticae studio et de incolumitate cleri, iam manifestant litterae 6 maii de Parisiensi Instituto; et dum erectio novarum cathedrarum suadetur, via ad alias prohibendas sternitur.

Die 3 iulii succedit decretum *Lamentabili*, (*novus syllabus*, ut eum appellant), quo S. Officium, more suo, praecisas proponit errantium conclusiones. Quo melius morum emendatio obtineatur, subsecuta instructio 28 augusti iam quaedam praescribit Ordinariis et Superioribus religiosis facienda.

Haec omnia puncta, etiam disciplinaria, confirmant et ampliant Litterae encyclicae *Pascendi*, 8 septembris, dum simul nervosa synthesi, quasi totum exstruunt modernistarum systema, cui suo quaeque loco inseri possit quaelibet novi *syllabi* conclusio; ita ut cohaerentem doctrinam possideamus e qua omnes procedunt, simul cum animo quo informantur omnes.

His litteris, Pontifex ad universam Ecclesiam traducit Instructionem S. C. Ep. et Reg. 21 iul. 1896, de frequentatione Universitatum. Huius exsecutionem urgens Card. Secretarius Status, litteris 10 oct. 1907 monet ne clerus civilem adeat Universitatem ubi catholica praesto sit.

Vulgata quaedam modernistarum responsio reprobationem meretur, 29 oct. 1907, cui S. Pontifex adicit excommunicationem, quae in postremo Motu Proprio, 18 novembris, ad omnem contradictionem litterarum, non ita tamen reservata, extenditur. In eodem Motu Proprio, decretum *Lamentabili* et Litt. *Pascendi* iterum confirmantur; ac denuo se prodit potissima S. Pontificis sollicitudo, qua clerum praecipue intactum servare intendit.

In consistorio vero 16 decembris, S. Pontifex tertio intentionem suam sollemniter manifestat, primosque fructus auspicatur in excitato zelo Episcoporum, dum modernistarum obstinationem paterne deplorat.

Amplissimam itaque habemus ipsius causae informationem, quam Episcopi Belgii [1] luce meridiana clariorem praedicant; ac simul remedia indicantur abundantia et efficacissima, ut inter diversas hominum opiniones et errores, immobilis stet columna et firmamentum veritatis [2].

Sed enim ad propriam provinciam, id est ad notas canonicas describendas, oportet ut nos convertamus. Antea tamen haec duo Encyclicae lectoribus observanda tradimus: qua cura S. Pontifex saepe nos remittat ad acta Conciliorum vel SS. Pontificum quibus placita modernistarum repugnant; et qua vi mirationem manifestet quod viri catholici, immo sacerdotes et religiosi, iisdem calculum adicere potuerint.

---

[1] In litteris qua magistrorum Belgii adhaesionem S. Pontifici renuntiant.
[2] I ad Tim. 3, 15.

§ 2. *Variorum monumentorum quaenam sit vis*

Quaestio decretum *Lamentabili*, Enc. *Pascendi*, et Motu Proprio *Praestantia* maxime respicit.

Allocutiones enim 17 aprilis ac 16 decembris, et litterae 6 maii sunt quidem actus Pontificii sed ad Ecclesiam Universam non sunt directae.

Reliqua monumenta auctoritatem habent Congregationis Romanae, excepta epistula Card. Secret. Status, 10 octobris, quae nomine S. Pontificis est scripta, sed ad unum episcopum Avenionensem directa.

Pleraque monumenta sunt disciplinaria ; disciplinaris est etiam pars pontificia decreti 29 octobris, quo opus Modernistarum a Vicario Urbis damnatur, dum decretum *Lamentabili* est totum doctrinale, Encyclicae et Motu proprio partes habent doctrinales et disciplinares.

Age porro, de vi propria quae inest in praesentibus Monumentis quatenus sunt *doctrinalia*, haec parce et modeste, attenta provincia nostra, ducimus scribenda.

Iam ipsis initii verbis, Encyclicae litterae *Pascendi gregis* in Pontifice demonstrant voluntatem alloquendi, ut Pastor Universalis universalem Ecclesiam. Res etiam tractant quae ad fidem catholicam certissime attinent. Si ergo « pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit [1], » quod facit quotiescumque definitivam et irreformabilem sententiam pro universa Ecclesia pronuntiare intendit [2], nullum re vera desideratur elementum necessarium ut secundum constitutionem Conc. Vaticani, litteras istas dicas infallibili auctoritate praeditas.

Iam vero signa istiusmodi intentionis haec afferri possunt : S. Pontifex declarat se scripsisse « ad salutem omni credenti » ; universum systema Modernistarum definit « omnium haereseon collectum », omnes obligat Episcopos ut magno conatu e sinu Ecclesiae expellant omne semen doctrinarum quas encyclicis istis litteris proscribit. Et cum confectae sint litterae ad damnandum et proscribendum errorem, facilius usum demonstrant supremi magisterii quam si, ut Encyclicae Leonis XIII [3], doctrinam catholicam mere positiva ratione proponerent.

Contra tamen severam istam sententiam obici fortasse potest, in litteris istis Encyclicis demonstrationis potius quam damnationis inesse rationem. Variis enim doctrinae modernistarum punctis Pontifex pristinas opponit proscriptiones, potius quam ipse eadem damnat. Nec directe pronuntiat : « Definimus modernismum esse omnium haereseon collectum », sed forma indirecta usus sic ait : « Nemo mirabitur si sic illud definimus, ut omnium haereseon collectum esse affirmemus. »

Quae vis propria decreto *Lamentabili* per se competat, iam diximus in Periodico nostro, III, p. 148. Per se est actus S. Officii, in forma communi confirmatus, cum adiuncto mandato pontificio quo recensitas propositiones pro damnatis habere iubemur.

---

[1] Conc. Vat. s. 4, c. 4.

[2] Cfr. CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège*, p. 6-7.

[3] Cfr. WERNZ, *Ius Decretalium*, t. 1. *Introductio*, n. 279, p. 387. Positiva propositio potest esse doctrinae infallibiliter *securae* sicut doctrinae infallibiliter *verae*.

Ipse Motu proprio editus actus 18 nov. 1907, ad universam Ecclesiam dirigitur ; sed praeter declarationes quibus moralem explicat obligationem parendi doctrinalibus Romanarum Congregationum decretis, fere omnis est disciplinaris. *Fere omnis*, inquam, namque disciplinaris profecto non est ipsa litterarum Encyclicarum et decreti *Lamentabili* confirmatio, nec etiam iudicium istud quo ut haereseon propugnatores reprobantur quicumque modernistarum errores propugnent.

Hactenus de istis monumentis *separatim* inspectis. Restat ut verba pauca addamus de vi confirmationis quae Motu proprio superioribus actibus tribuitur.

Pars posterior huius « Motu proprio » conscripta est eo consilio ut omnis via praecludatur adimendi vim efficaciamque tam decreto *Lamentabili* quam litteris encyclicis. Inventi praetextus ii videntur fuisse quos supra indicavimus : *communis* confirmationis ratio quae decretum *Lamentabili* concludebat, et *didactica* Encyclicarum litterarum expositio. Quocirca S. Pontifex utrumque monumentum auctoritate sua Apostolica iterat atque confirmat, addita excommunicationis poena adversus contradictores. Quae verba profecto specificam continent confirmationem decreti *Lamentabili*, quod sic strictissimo sensu pontificius actus evadit.

Verum nonne simul vis infallibilis utrique monumento, quantum opus sit, accrescit? Id sententia nostra dirimere nolumus. Quare hac observatione erimus contenti. Quotquot cum R. P. Wernz [1] sentiunt dubitari non posse quin Encyclica *Quanta cura* 8 dec. 1864, fuerit vera definitio Romani pontificis ex cathedra ideoque infallibilis, eandem, ni fallimur, vim praesentibus monumentis post Motu Proprio tribuent. Verba enim magis decretoria Enc. *Quanta cura*: « Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singulatim hisce litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus », haec verba, inquam, iam in confirmatione decreti *Lamentabili* occurrunt, et magna vi inculcantur in Motu proprio 18 nov. 1907.

Observes denique litteras *Quanta cura* et litteras *Pascendi gregis* tam adiunctis quam forma seu ratione scribendi et conexo Syllabo valde esse inter se similes, ita ut omnino dignae sint quae inter se comparentur.

Ut aliunde tamen novimus, non omnia quae infallibile statuit magisterium, proponuntur vel proponi possunt ut divinitus revelata, ac proinde ut divina fide credenda. Ac praeterea, infallibilis vis conclusiones decreti afficit, non item argumenta et rationes.

Quaenam autem conclusiones istis monumentis efferantur, id theologis dogmaticis linquimus definiendum.

Restat iam ut partem disciplinarem, pro viribus nostris, declaremus, eo solo animo ut genuini interpretis munere fungamur qui, nihil augendo, nihil extenuando, ad mentem legislatoris, qualis est verbis expressa, sua dicta aptare conatur.

---

[1] Op. c. n. 278, p. 385.

§ 3. *Poenae canonicae his decretis confirmatae vel promulgatae*

I. Auctores et scriptores libelli cui titulus *Il pr gramma dei modernisti*, et quotquot quoquo modo ad hunc librum conficiendum operam contulerunt, excommunicationem committunt quam S. Pontifex *sibi soli* reservat.

Auctor libri, ut distinctus a scriptore, ille est qui mandato, iussione, consilio, libri causa moralis dici potest.

Est etiam praeterea qui opus imprimendum suscipit : *Impressor*, quatenus est libri *causa efficiens physica*. Is idem esse potest qui editor ; si distinctus fuerit, editor inter causas morales erit ponendus.

Scriptor est idem ac libri redactor.

Qui quoquo modo ad librum conficiendum operam contulerunt, sunt *cooperatores* ad librum conficiendum, non item ad eum diffundendum. Non ergo comprehenduntur bibliopolae, qua tales.

Cooperatores autem cum esse possint *formales* vel *materiales*, stricta censurarum interpretatio sinit ut solos formales intellegamus. Huiusmodi ernnt qui pecuniam dederint ad impendia tegenda, qui suppeditaverint informationes vel argumenta. Quare opifices iudicamus esse excusandos. Cfr. ceterum quae diximus p. 155, 8, de art. 47. C. *Officiorum ac Munerum* (*De Prohibitione et censura libror.* ed. 4).

Excommunicationem *sibi soli* reservat Pontifex. Quae verba differunt a consueta formula *Romano Pontifici*, et videntur speciaiissimam indicare reservationem, quae etiam extra facultates S. Paenitentiariae spatietur.

Dum S. Ponfifex addit irregulares futuros esse reos *sacerdotes* qui, neglecta poena, actum Ordinis sacri exerceant, corollarium exprimit ex iure canonico necessarium. Quotquot enim, censura innodati, in Ordine suo sollemniter ministraverint, incurrunt in irregularitatem quae a violatione censurae appellatur. Quare perinde erit dicendum de cooperatoribus vel de auctoribus aut scriptoribus excommunicatis, si qui diaconi vel subdiaconi fuerint. Sacerdotes memorantur soli, quia parum veri simile est reos alio ordine sacro esse auctos.

II. Confirmationi decreti *Lamentabili* et Litteris *Pascendi* additur poena excommunicationis adversus contradictores. (Motu Proprio *Praestantia*.)

Excommunicatio, quae perspicitur nemini esse reservata, estne latae an ferendae sententiae ?

Si sola perpendenda forent verba, in re quae strictae est interpretationis, excommunicationem ferendae sententiae eligeremus. Sed contexta oratione ad diversam conclusionem adducimur.

Quo enim spectat ista excommunicationis poena quae, prima specie, superfluere videtur, cum ii qui singulas propositiones impugnent reservata excommunicatione declarentur affecti ?

Hoc, ni fallimur, consilio est a S. Pontifice promulgata generalis ista contra contradictores excommunicatio : In C. *Apostolicae Sedis*, prima excommunicatio ex iis quae S. Pontifici sunt *simpliciter* reservatae, sic effertur : « Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae, etc. » Hinc perspicitur ab iis tantum excommunicationem istam committi qui docuerint vel defenderint propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub poena excommunicationis. Ius istud probe cognoscens

et simul intactum volens, S. Pontifex *contradictores* excommunicatione plectere debuit, ut *impugnatores* reservata excommunicatione plecterentur. Verum, ut intento satisfiat, excommunicatio requiritur quae latae sit sententiae. Ergo, addita censetur poena latae sententiae, ex mente, quae suprema est interpretationis regula.

Contradictores porro quinam sunt?

In primis, quotquot dicunt contra asserta alterutrius monumenti. Pro contradictoribus itaque habebimus quotquot firmiter (non interrogative vel dubitanter) affirmaverint aliquam ex propositionibus damnatis decreto *Lamentabili*, vel doctrinam reprobatam encyclicis litteris; ii etiam, ni fallimur, qui ementitam contendant esse Modernismi expositionem. Etenim, ut contradictores certe damnantur scriptores operis *Il programma dei Modernisti* qui de adulterata ipsorum mente potissimum conquerebantur; ac genus istud contradictionis est in historia ecclesiastica non semel ut damnosum reprobatum.

Qui autem de iis est dicendum, qui stili vel poenarum severitatem reprehenderint?

Hos non dixerimus contradictores, sed latiore sensu impugnatores, improbandos quidem, sed praesenti excommunicatione non irretitos.

III. Posita autem ista excommunicatione, si non modo contradixerint, sed, additis rationibus, istas propositiones sint tuiti, iam maior eorum audacia plectitur excommunicatione *simpliciter* Sedi Apostolicae reservata. Quod Motu Proprio 18 novembris expresse *delaratur*.

IV. Eodem Motu Proprio alterius poenae declaratio continetur. Monet enim Sanctissimus Dominus, adversarios utriusque monumenti, eos praesertim qui modernos errores propugnent, facile evasuros propagatores et defensores haeresum, ita ut horum poenas participent. Huc spectat prima omnium excommunicationum quae C. *Apostolicae Sedis* promulgatur contra haereticos eorumque fautores. Est autem S. Pontifici *specialiter* reservata.

§ 4. *Positiva Monumentorum praescripta*

I. De studiis sacris vel cleri [1].

1. *Philosophia scholastica*, ad mentem D. Thomae proposita, debet esse studiorum sacrorum fundamentum.

Quare nemo *valide* doctor theologiae vel iuris canonici renuntiari iam poterit, quin statum curriculum in scholastica philosophia emensus fuerit.

Status curriculus is est qui in probatis seminariis vel Universitatibus proponitur faciendus. Non ubique eodem modo curriculus iste adornatur. Satis autem erit si secundum probatam quampiam studiorum rationem plenum perfeceris cursum, vel etiam, ut nobis videtur, si seriis examinibus demonstraveris te universam philosophiam sufficienter callere. Nec exigitur ut philosophiae lauream sis consecutus.

2. *Theologiae studium* est promovendum, theologiae etiam positivae, sed quae scholasticae minime noceat.

---

[1] Nisi alius indicetur fons, sanctiones sunt ex litteris encyclicis, quae plerasque continent, depromptae.

3. Excolantur etiam *disciplinae profanae*, sed ita ut scientiis sacris non sint impedimento.

4. Severus sit in Seminariis et Universitatibus *delectus magistrorum et Rectorum*.

Arcendi sunt vel removendi qui modernismo vel malis novitatibus sint imbuti, qui modernismo faveant, qui in historica re vel biblica vel archaeologia sacra nova studeant, qui sacris profanas disciplinas anteponere videantur, qui iussis S. Sedis parum sint oboedientes. (Praeter Encycl., Instructio 28 aug. et Motu proprio 18 nov.).

5. *De frequentatione Universitatum* observanda est clericis saecularibus et regularibus universi Orbis Instructio 1896, quae Italiae hactenus propria erat.

Si catholicae Universitatis optio detur, catholicum Institutum est praeferendum (epist. 10 oct. 1907); nec civilis Universitas adiri potest nisi ex Episcopi vel Superioris generalis facultate. Clericus porro vel sacerdos qui Universitati vel Instituto catholico nomen dederit, prohibetur in civili ediscere res de quibus magisteria in catholico habentur. *Clericus vel sacerdos*, sic sonat praeceptum, ne prohibitio propria putetur eorum qui ante susceptum sacerdotium, seu finita studia communia, Universitates frequentaverint. Et exceptio excluditur, ita ut causa ista S. Sedi videatur reservata.

N. B. Praescripta de laurea et frequentatione Universitatum exsequenda committuntur Episcopis qui Universitatibus vel Institutis catholicis moderandis praesunt.

II. De libris vel scriptis.

1. *Operum lectio*. Nec adulescentibus in seminariis nec auditoribus in Universitatibus permittendi sunt libri, ephemerides, commentarii qui modernismum olent provehuntque. Perinde dicendum est de scriptis quorundam laicorum, qui recentiore philosophia imbuti, hanc cum fide componere vel ad huius utilitates, etiam recta intentione, transferre nituntur.

Monentur Episcopi de iure et officio suo impediendi noxia opera vel eadem proscribendi. Nec licentia vulgandi opus, alibi fortasse data, eos impedire debet. Quamquam, ut res prudenter fiat, prohibitio ad clerum, si id sufficere videbitur, tunc coercebitur.

Memoratur etiam art. 26 C. *Officiorum*, secundum quem, facultas legendi libros a S. Sede notatos, ad legenda opera ab Episcopo prohibita per se non valet.

2. *Operum venditio*. Bibliopolae catholici ne libros ab Episcopo notatos, vel in universum, malam mercem, divendant. Quod rursus accipiendum est cum temperamentis art. 46 C. *Officiorum*. Inoboedientes bibliopolae titulo catholici vel episcopalis ab episcopis priventur, vel ad S. Sedem deferantur si pontificii appellentur.

Seminarii alumnis et viris ecclesiasticis vetandum est ne nomen dent libellis periodicis quibus neoterici errores aperte propugnantur vel latenter insinuantur. (Instr. 28 aug.).

3. *Operum editio*. Ubique, etiam in Urbe (qua ratione, id explicatur), e clero saeculari et regulari, sufficienti numero, instituendi sunt probati *censores ex officio*, qui libros examinent, quotquot praeviae censurae sunt obnoxii.

E religiosa familia nemo eligatur censor nisi post auditam sententiam Superioris provincialis, vel, in Urbe, Generalis.

Nomen porro censoris scriptorem lateat, donec opus sit probatum. Censoris sententia dabitur scripta. Haec si faverit, veniam dabit Episcopus (vel Vicarius generalis) per verbum *Imprimatur*, praeposita mentione *nihil obstat*, ascripto censoris nomine.

Nominato censori nulla tamen auctoritas accrescit ad privatas ipsius opiniones firmandas.

Monentur moderatores religiosorum de necessitate, pro suorum scriptis, cumulativae licentiae Episcopi et Superioris religiosi. Tacite hic reicimur ad C. *Officiorum*, secundum quam itaque sanctio ista est intellegenda. (Cfr. infra e).

Diligenter etiam praecipitur exsecutio articuli 42 C. *Officiorum*, quo sine Ordinarii venia, *clerici saeculares* diaria vel folia periodica moderanda suscipere prohibentur. Vigilanti oculo observentur « *correspondentes* » vel *collaboratores* clerici ; quod si peccaverint, moneantur vel a scribendo prohibeantur. Id Episcopi, id Superiores regulares, pro suis quique subditis praestabunt. Sed neglegentes Praelatos Episcopi, auctoritate apostolica, supplere permittuntur.

Expressa praeterea postulatur Ordinarii licentia (Ordinarii, id est, pro scribentis qualitate, Episcopi vel Praelati regularis), ut viri ecclesiastici quicquam publici iuris faciant in libellis periodicis qui neotericos errores aperte propugnent vel latenter insinuent. (Instr. 28 aug.).

Denique, ephemeridibus et commentariis quae catholici scribunt, quantum fieri potest adiungatur censor, qui singula legat, et si quid periculose dictum sit, imponat corrigendum, salvo iure Episcopi id directe praecipiendi.

De multis istis sanctionibus quaedam veniunt observanda.

a) *Quaeres* quaenam *nova* sint in hac re *praecepta*.

Sunt autem :

Institutio censorum ex officio.

Forma qua vulgandi facultas est regulariter danda.

Delegatio Apostolica Episcopis data, qua supplere possunt neglegentiam Praelatorum qui suos non prohibeant a scribendis articulis qui modernismi labe sint infecti.

Sanctio privationis tituli, quae ferenda dicitur contra bibliopolas catholicos inoboedientes ; et obligatio eosdem denuntiandi si sint pontificii.

b) *Censor* qui *ephemeridibus* optatur adiungendus, nullam praeviam exercendam habet censuram, quae molesta foret et incommoda ; sed res edi sinit donec occurrat aliquid reprehendendum.

Potest autem censor ab Episcopo adiungi etiam iis commentariis quos edant regulares. In praevia censura librorum qui, secundum C. *Officiorum*, sunt antequam edantur probandi ; subsunt enim Regulares potestati Episcopi.

c) *Commentariorum* nomine veniunt in encyclicis litteris qui in C. *Officiorum* et in Instructione 28 aug. dicuntur *libelli periodici*.

d) Nostra sententia, nihil Episcopum vel Vicarium generalem prohibet quin se ipsum constituat alicuius libri censorem. Quod tunc in facta facultate declarabit.

Ac sententiam censoris etiam reformare poterit, sive eam iudicet severiorem sive nimis benignam.

Facultatem etiam servat permittendi, ob iustam causam, ut nulla datae approbationis fiat mentio. Ac minime prohibetur amplioribus verbis licentiam vulgandi libri facere, ita ut facultas quandam contineat libri commendationem.

e) Libri denique, quos religiosi debent ex coniuncta Superioris et Ordinarii licentia vulgare, ii sunt pro quibus, ex C. *Offici rum*, art. 41, praevia postulatur censura. Cfr. nostram istius Constitutionis commentationem, n. 113. 117. 118, vel WERNZ, *Ius Decretalium*, t. 3, n. 121, nota 103.

III. DE SACERDOTUM CONVENTIBUS.

Rarissime sunt ab Episcopis permittendi huiusmodi conventus. Scripta porro et singulatim facta opus est licentia, quae ea detur lege, ut nulla tractetur causa quae ad Episcopum vel ad S. Sedem pertineat, nulla fiat propositio vel postulatio qua sacra potestas usurpari videatur, et nihil in conventu sapiat vel modernismum vel laicismum.

Ex alia dioecesi nemo sacerdos intersit, nisi litteris sui Episcopi « commendatus ». Ex gallica versione, commendatio ista idem est quod *licentia scripta*. Italica tamen versio vim propriam servat vocis latinae, quae commendationem postulat. Haec vel generalis vel specialis pro coetu, esse potest. Patet autem in Episcopi potestate esse ut suo clero imponat praeviae facultatis obligationem.

IV. DE CONSILIO VIGILANTIAE, PIIS TRADITIONIBUS, RELIQUIIS ET DE RE SOCIALI.

In singulis dioecesibus, quam primum instituendum edicitur Consilium, dictum a vigilantia, ex viris probatis utriusque cleri, cooptatis sicut supra de censoribus est explicatum. Altero quoque mense et stato die viri isti cum Episcopo convenire debent.

Quae tractarint, decreverint, secreto premantur.

Ob hunc porro *finem* praecipue instituti sunt, ut efficaciter provideant incolumitati cleri et iuventae, et consulant fidelium aedificationi.

Obiectum autem eorum vigilantiae subiectum sunt libri, scripta, praelectiones et socialia instituta. In his omnibus deprehendere debent quidquid modernismum vel superbam novitatem sapiat.

De *piis traditionibus et sacris reliquiis*, post memoratam prudentem Ecclesiae rationem agendi, haec tria vult Pontifex ut, ope Consilii vigilantiae, vitentur : ne de iis argumentis quaestiones agitentur in ephemeridibus vel commentariis quae fovendae pietati sunt destinata ; ne verbis quae ludibrium aut despectum sapiant agitentur ; nec nimis decretorie de his dicatur.

Ad *socialia instituta* et scripta *de re sociali* oculos adiciant membra istius Consilii, ne instituta ista quempiam contineant modernismum, sed praeceptionibus SS. Pontificum respondeant.

V. DE SACRIS ORDINATIONIBUS.

A sacris ordinationibus Episcopi vel Praelati religiosorum arcere debent iuvenes suspectos quod doctrinas consectentur damnatas novitatesque maleficas. Ita praecipitur in Motu proprio 18 nov. Ex Instructione autem S. Officii habemus, antequam ad remedium extremum deveniatur, tentari prudenter posse emendationem et ordinationem mere differri.

§ 5. *De auctoritate Pontificii Consilii de re biblica*

Postremo suo Motu proprio 18 nov. in primis voluit S. Pontifex in tuto ponere auctoritatem Consilii de re biblica, de quo argumento, quia nihil erat definitum, movebantur dubia propter quae SS. Dominus conqueritur sententias istius Consilii non eo quo par est obsequio esse exceptas.

Atque in ea quidem semper fuimus persuasione, Consilium istud esse Congregationi Romanae aequiperandum. Cum enim sit coetus Cardinalium quibus cura negotiorum certi argumenti est a Pontifice demandata, ita ut omnis eorum sententia debeat a Pontifice probari antequam vulgetur, re vera nulla desideratur nota Congregationis Romanae et quidem ex gravioribus, propter confirmationis pontificiae necessitatem. Alii tamen aliter opinabantur.

Age porro, authentice mentem suam aperire de re statuit Pontifex. Quare, enumeratis prius variis cautelis quibus maturo et competenti omnis quaestionis examini est provisum, ita ut humanae etiam prudentiae congruens honor sit habitus, S. Pontifex declarat et praecipit :

a) Sententiis Pontificalis Consilii de re biblica, ad doctrinam pertinentibus, eam deberi oboedientiam quae, in simili causa, debetur decretis S. Congregationum a Pontifice probatis.

Ad doctrinam porro pertinent sententiae quae eduntur de authentia librorum vel de inspirationis ratione, etc. ita ut non videantur excludendae nisi ordinationes practicae de studiis et examinibus.

b) Diserte autem S. Pontifex vim istam tribuit sententiis non tantum futuris, sed etiam illis quae hactenus sunt promulgatae. Quod probat, ex mente Pontificis, minus agi de nova lege condenda, quam de authentica declaratione iuris iam constituti.

c) Deinde corollaria ex principio isto quasi eruens, declarat « non posse notam tum detrectatae oboedientiae tum temeritatis devitare aut culpa propterea vacare gravi, quotquot verbis scriptisve sententias has tales impugnent », praeter scandalum aliasque facile accedentes malitias.

Impugnat stricte is qui rationibus utitur persuasivis. Quare, dum hoc sapienter pronuntiat Pontifex, non negat minorem aliquam contradictionem iis adiunctis posse esse stipatam, ut levis tantum culpa sit commissa. Namque, tandem aliquando, ex temeritate et scandalo est culpa per se metienda.

231. — S. CONGR. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

DECRETUM 31 IUL. 1907

Indulgentiae (cum Appendicibus) Ordinis B. V. Mariae de Monte Carmelo

Summarium Indulgentiarum Ordinis Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo

CAP. I. DE INDULGENTIIS PRO IPSIS RELIGIOSIS

§ 1. *Indulgentiae plenariae*	Condiciones	Concessit	
Die qua habitum religiosum a legitimis Superioribus receperint.	Confessio et Communio.	Paulus V sub die 23 maii 1606.	*Ingressus.*
Die qua post completum probationis annum religiosam professionem emiserint.	Idem.	Idem.	*Professio*
In festo principali Ordinis.	Conf. Comm. et preces.	Idem.	*Festum principale.*
Die qua primam Missam celebraverint vel illi interfuerint.	Confessio et Communio.	Idem.	*Prima Missa.*
Iis qui de suorum Superiorum licentia per decem dies spiritualibus exercitiis vacaverint.	Conf. Comm. et per duas horas cotidie orare mentaliter.	Idem.	*Exercitia spiritualia.*
Diebus Epiphaniae et Exaltationis S. Crucis et cum viaticum sunt recepturi, suam professionem sollemniter renovaverint.	Conf. Comm. et preces praecipue pro conversione infidelium.	Idem 17 iulii 1606, confirmata a Gregorio XV 5 febr. 1623.	*Professionis renovatio.*
Die anniversario suae religiosae professionis.	Conf. Comm. et ecclesiae visitatio.	Pius VIII 5 decemb. 1829.	*Prof. anniversarium.*
Die commemorationis defunctorum Ordinis.	Idem.	Pius X 26 augusti 1904.	*Commemoratio defunctorum Ordinis.*
Quotiens per spatium unius horae ultra solitas religionis Deum apprecaverint pro infidelium conversione ; aut pro iis qui ad obtinendas huiusmodi conversiones incumbunt.	Confessio et Communio.	Paulus V 19 iulii 1606, confirmata a Gregorio XV 5 febr. 1623.	*Preces pro infidel.*
Quotiens ad eundem effectum extraordinariam disciplinam, seu mortificationem fecerint.	Idem.	Iidem Pontifices.	*Et mortificatio.*
Die 2ª Aug. Indulgentia Portiunculae totiens quotiens.	Conf. Comm. et eccl. prop. visitatio.	Leo XIII 22 iulii 1890.	*Portiunculae, 2 aug.*

		Condiciones	Concessit
Capitula.	A Praesulibus in Capitulis sive Generalibus sive Provincialibus pro solis suffragantibus gremialibus concedenda.		Gregorius XV 12 martii 1623.
Visitatio canonica.	A Visitatoribus post canonicam visitationem danda.		Idem.
Missiones externae.	In suscipiendo itinere et in ingressu Missionis, religiosis qui de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum in terras haereticorum ad contionandum, aut catholicos docendum missi fuerint.	Confessio et Communio.	Paulus V 23 maii 1606.
Visitatio generalis.	In visitationibus generalibus cum Superior pro bono visitationis orationes 40 horarum collocare voluerit.	Conf. Comm. et per duas horas coram SS^{mo} orare.	Idem.
Mortis articulus.	In cuiuslibet mortis articulo.	Conf. Comm. vel si nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore vel corde invocaverint.	Idem.
Idem.	In eodem mortis articulo a Superioribus consueta formula concedenda.		Gregorius XV 12 martii 1623.
Litaniae Sanctorum.	In conventibus ubi non est erecta Confraternitas S. Scapularis, vel non fit processio mensilis, religiosi lucrari possunt Indulgentiam Plenariam si in choro, vel, si choro interesse nequiverint, privatim litanias sanctorum recitaverint.	Confessio et Communio.	Clemens X 8 maii 1673.
Velatio Monialium.	Sanctimoniales in die earundem velationis.	Conf. Comm. et preces.	Benedictus XIII 6 Aprilis 1728.
Benedictio Papalis.	Eaedem Sanctimoniales Ordinis diebus quibus in fratrum ecclesiis quater in anno impertitur super populum Benedictio Papalis.	Conf. Comm. Visitatio Ecclesiae, et preces de more.	Pius IX 17 septembris 1872.
Absolutio generalis.	Absolutionem generalem cum Indulg. Plenaria recipere poterunt diebus :		
	Nativitatis Domini.	Confessio et Communio.	Pius X 12 iunii 1907.
	Circumcisionis.	Idem.	Idem.
	Epiphaniae.	Idem.	Idem.
	Paschatis Resurrectionis.	Idem.	Idem.
	Ascensionis.	Idem.	Idem.

	Condiciones	Concessit	
Pentecostes.	Confessio et Communio.	Pius X 12 iunii 1907.	
SS. Trinitatis.	Idem.	Idem.	
Corporis Christi.	Idem.	Idem.	
Sacratissimi Cordis Iesu.	Idem.	Idem.	
Purificationis B. V. Mariae.	Idem.	Idem.	
Annuntiationis eiusdem.	Idem.	Idem.	
Visitationis eiusdem.	Idem.	Idem.	
Assumptionis B. V. Mariae.	Idem.	Idem.	
Nativitis eiusdem.	Idem.	Idem.	
Praesentationis eiusdem.	Idem.	Idem.	
Immac. Conceptionis eiusdem.	Idem.	Idem.	
In festo S. Ioseph Sponsi B. V. M. die 19 martii.	Idem.	Idem.	
In festo Apostolorum Petri et Pauli.	Idem.	Idem.	
S. P. N. Eliae Prophetae.	Idem.	Idem.	
S. Matris Teresiae.	Idem.	Idem.	
S. Ioannis a Cruce Conf.	Idem.	Idem.	
Omnium Sanctorum Ordinis.	Idem.	Idem.	
Singulis diebus per totam maiorem hebdomadam.	Idem.	Idem.	
§ 2. *Privilegium*			
Altare quodcumque privilegiatum erit pro animabus ipsorum religiosorum et monialium defunctorum.		Clemens X 10 septemb. 1670 et Pius IX 22 iun. 1865.	*Altare privilegiatum.*
§ 3. *Indulgentiae stationum*			
Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam visitaverint diebus stationum, easdem Indulgentias stationales lucrantur quas consequerentur perinde ac si visitarent personaliter ipsas Ecclesias stationales.		Paulus V 23 maii 1606.	*Stationes.*
§ 4. *Indulgentiae partiales*			
Religiosi intra claustra viventes, qui orationem Dominicam quinquies, et totiens salutationem Angelicam ante altare eorum ecclesiae in quolibet die recitaverint, lucrantur quinque annos Indulg. totidemque quadragenas.		Idem.	*Quinquies Pater et Ave.*

		Condiciones	Concessit
Idem.	Qui de suorum Superiorum licentia extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores, vel in itinere orationem Dominicam quinquies, et totiens salutationem Angelicam ante quodlibet altare recitaverint, etiam quinque annos totidemque quadragenas Indulg. lucrantur.		Paulus V 23 maii 1606.
Mentalis oratio.	Religiosi qui per mensem integrum singulis diebus per spatium dimidiae horae mentalem orationem fecerint, confessi ac ultima Dominica sacra communione fuerint refecti, sexaginta annos Indulg. totidemque quadragenas lucrantur.		Idem.
Capitula culparum.	Religiosi qui contrito corde et paenitentes in Capitulis culparum, eorum culpas et peccata ac imperfectiones accusabunt, et spiritualiter communicaverint, ac virtutum exercitium facient, lucrantur tres annos Indulg. totidemque quadragenas.		Idem.
Osculum Crucifixo.	Religiosi deosculantes Ss. Crucifixum quem secum ipsi retinere solent, elicientes actum contritionis lucrantur semel in die quinque annos Indulg.		Benedictus XIV 26 febr. 1713.
Crucis gestatio.	Religiosi gestantes crucifixum, vel simplicem crucem circa pectus easdem indulgentias lucrantur, quae concessae fuerunt crucibus, rosariis et imaginibus ad instantiam Marchionis de Villena.		Paulus V 19 iul. 1606, confirmata a Gregorio XV 9 oct. 1621.
Osculum Scapulari.	Religiosi et sanctimoniales deosculantes scapulare Superiorum lucrantur centum dies Indulgentiae.		Pius X 12 iunii 1907.
	§ 5. *Privilegia quod ad Indulgentias*		
Contionatores.	Religiosi contionatores tempore praedicationis iisdem privilegiis gaudent, quibus fruuntur religiosi Congregationis Passionis D. N. I. C.		Pius X 16 iulii 1906.

	Condiciones	Concessit	
Religiosi et moniales tempore infirmitatis cum e suis cellulis exire non valent, in ipsis orantes omnes Indulgentias acquirere poterunt, ac si eorum ecclesias visitarent, commutata etiam si opus fuerit in aliud opus bonum a Confessario condicione S. Communionis.		Benedictus XIV 7 martii 1741 et Leo XIII 16 ian. 1886.	*Infirmi.*
Religiosi de Superiorum licentia extra claustra degentes vel itinerantes, visitando aliam quamcumque ecclesiam vel publicum oratorium lucrari possunt omnes Indulgentias, quas lucrarentur si ecclesiam Ordinis visitarent.		Pius X 12 iunii 1907.	*Extra claustra visitantes ecclesiam.*

Cap. II. Indulgentiae pro omnibus Christifidelibus ecclesias Ordinis B. V. M. visitantibus

§ 1. *Indulgentiae plenariae*	Condiciones	Concessit	
1 ian. In Circumcisione Domini.	Confessio et Communio.	Pius X 12 iunii 1907.	*Indulgentiae plenariae lucrandae certis diebus;*
2 febr. In fesio Purificationis B. V. Mariae.	Idem.	Clemens X 8 maii 1673.	
4 febr. In festo S. Andreae Corsini Ep. Conf.	Idem.	Idem. 16 maii 1672.	
15 febr. In festo S. Petri Thomae Ep. et Mart.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.	
25 febr. In festo S. Avertani Conf.	Idem.	Idem.	
6 mart. In festo S. Cyrilli Conf.	Idem.	Idem.	
19 mart. In festo S. Ioseph Sp. B. V. M. vel infra octiduum, vel ad octo praecedentes dies si occurrat festum transferri.	Idem.	Urbanus VIII 10 maii 1623.	
23 mart. In festo B. Baptistae Mantuani Conf.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.	
25 mart. In festo Annuntiationis B. V. Mariae.	Idem.	Clemens X 8 maii 1673.	
29 mart. In festo S. Bertholdi Conf.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.	
8 apr. In festo S. Alberti Ep. Conf. Legisl. Ord.	Idem.	Idem.	
5 maii. In festo S. Angeli Mart.	Idem.	Clemens X 16 maii 1672.	

	Condiciones	Concessit
16 maii. In festo S. Simonis Stock Conf.	Confessio et Communio.	Pius X 4 maii 1904.
25 maii. In festo S. Mariae Magd. de Pazzis Virg.	Idem.	Clemens X 16 maii 1672.
2 iulii. In festo Visitationis B. V. Mariae.	Idem.	Idem. 8 maii 1673.
16 iulii. In Commemoratione solemni B. V. M. de Monte Carmelo toties quoties.	Idem.	Leo XIII 16 maii 1893.
Item infra octavam eiusdem solemnitatis.	Idem.	Benedictus XIV 17 mart. 1752.
20 iulii. In festo S. Eliae Proph. et Ordinis Ducis.	Idem.	Benedictus XIII 6 sept. 1724.
24 iulii. In festo BB. Teresiae et Sociar. Mm.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.
26 iulii. In festo S. Annae Matris B. M. V.	Idem.	Benedictus XIV 18 mart. 1744.
7 aug. In festo S. Alberti Conf.	Idem.	Clemens X 16 maii 1672.
15 aug. In festo Assumptionis B. V. Mariae.	Idem.	Idem. 8 maii 1673.
27 aug. In festo Transverberationis Cordis S. Matris Teresiae.	Idem.	Benedictus XIV 8 augusti 1744.
2 sept. In festo S. Brocardi Conf.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.
8 sept. In festo Nativitatis B. V. Mariae.	Idem.	Clemens X 8 maii 1673.
15 oct In festo S. Matris Teresiae vel infra oct.	Idem.	Gregorius XV 19 sept. 1622.
14 nov. In festo omnium Sanctorum Ordinis.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907
21 nov. In festo Praesentationis B. V. Mariae.	Idem.	Clemens X 8 maii 1673.
24 nov. In festo S. Ioannis a Cruce Conf.	Idem.	Pius VI 29 ian. 1793.
29 nov. In festo BB. Dionysii et Redempti Mm.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.
8 dec. In festo Imm. Conceptionis B. V. M.	Idem.	Clemens X 8 maii 1673.
11 vel 17 dec. In festo B. Franc. Conf.	Idem.	Pius X 11 febr. 1905.
In festis Mobilibus et Domini quibusdam		
In festo Ss. Trinitatis.	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.
In die Ascensionis Domini.	Idem.	Idem.
In solemnitate Corporis Christi.	Idem.	Idem.
In festo Ss. Cordis Iesu, ac Nominis.	Idem.	Idem.

	Condiciones	Concessit	
Dominica tertia post Pascha in festo Patrocinii S. Ioseph vel infra octavam.	Confessio et Communio.	Benedictus XIV 20 febr. 1712.	
Dominica infra octavam Assumptionis in festo S. Ioachim Patris eiusdem Virginis Mariae.	Idem.	Idem. 18 martii 1744.	
Indulgentia Plenaria cotidiana die ad libitum (semel in anno).	Idem.	Pius X 12 iunii 1907.	
In vocabulis Ecclesiarum.	Idem.	Idem.	
In peculiaribus exercitiis			
Dominica Quinquagesimae vel alio anni tempore occasione seu expositione Ss. Sacramenti ad formam 40 horarum de consensu Ordinarii.	Confessio et Communio.	Urbanus VIII 10 maii 1624.	*In certis exercitiis.*
Interpraesentes expositioni Ss. Eucharistiae Sacramenti in Ecclesiis Ordinis de licentia Ordinariorum feriis quartis faciendae in una earum cuiuslibet mensis per ipsos Ordinarios designanda.	Confessio et Communio et oratio per aliquod temporis spatium.	Benedictus XIII 4 martii 1727.	
Interessentes expositioni seu exercitio quod fit in novem feriis quartis quae praecedunt festum S. Ioseph in una earum.	Confessio et Communio ac preces coram SS^mo^ Sacramento exposito.	S. C. Indulg. 21 maii 1765.	
Interessentes saltem quater in Octavario B. V. M. de Monte Carmelo recitationi horarum canonicarum Matutini videlicet et Laudum.	Confessio et Communio et preces de more.	Leo XIII 13 ian. 1902.	
Interessentes saltem per quinque vices Novendiali quod praecedit festum S. Teresiae.	Confessio et Comm. tempore Novendiali aut festi aut infra octavam.	Pius X 12 iunii 1907.	
Quater in anno, nempe feria 2 vel 3 Paschatis ; feria 2 vel 3 Pentecostes ; in die Commemorationis Sollemnis B. V. M. de Monte Carmelo ac in die S. Stephani Protomart. Superiores Conventuum in respectivis propriis ecclesiis per se vel per alium ab eis deputatum impertire	Confessio et Communio.	Benedictus XIII, 26 martii 1723. Benedictus XIV, 18 augusti 1745 et Leo XIII 3 decembr. 1895.	

		Condiciones	Concessit
	possunt Benedictionem super populum nomine Summi Pontificis cum Indulgentia Plenaria.		
	Privilegium		
Altare privilegiatum.	Pro unaquaque ecclesia Ordinis concessum est in perpetuum unum Altare privilegiatum ab Ordinario loci semel designandum.		Clemens XII 9 octobr. 1738.
	§ 2. *Indulgentiae stationis*		
Stationes.	Christifideles qui diebus stationum aliquam ecclesiis Ordinis visitaverint, lucrari poterunt omnes et singulas Indulgentias, quas consequerentur visitando in dictis diebus ecclesias Urbis stationales.		Clemens X 8 maii 1673.
	§ 3. *Indulgentiae Partiales*		
Indulgentiae decem annorum totidemque quadragenarum.	Christifideles ecclesias Ordinis devote visitantes diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Ss. Trinitatis, Sollemnitatis Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem. In festis pariter S. Michaëlis Archangeli 29 sept., Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Vocabulorum Ecclesiarum Ordinis, Inventionis et Exaltationis S. Crucis. Ac tandem Dominicis et Sabbatis anni totius, ac in feriis secunda, quarta et sexta quadragesimae lucrantur Indulgentiam decem annorum totidemque quadragenarum.		Pius X 12 iunii 1907.
Septem annorum totidemque quadrag.	Christifideles interessentes expositioni Ss. Eucharistiae Sacramenti in ecclesiis Ordinis in feriis quartis totius anni de licentia Ordinario-		Benedictus XIII 4 martii 1727.

	Condiciones	Concessit	
rum faciendae singulis vicibus consequuntur Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.			
Christifideles interessentes Novendiali quod praecedit festum Commemorationis B. V. M. de Monte Carmelo singulis vicibus lucrantur Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.		Pius X 12 iunii 1907.	
Christifideles interessentes Novendiali quod praecedit festum S. Teresiae Virg. singulis vicibus lucrantur Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, (qui autem saltem per quinque vices interfuerint Indulgentiam Plenariam consequuntur positis condicionibus confessionis et communionis vel tempore novendialium, vel festi, vel saltem infra octavam).		Idem.	
Christifideles interessentes in Octaviario Commemorationis sollemnis B. V. M. de Monte Carmelo recitationi horarum canonicarum Matutini videlicet ac Laudum singulis vicibus Indulgentiam tercentorum dierum consequuntur.		Leo XIII 13 ian. 1902.	*300 dierum.*
Christifideles interessentes exercitio et orantes coram SS. Sacramento exposito in novem feriis quartis quae praecedunt festum S. Ioseph singulis vicibus lucrantur Indulgentiam centum dierum.		Clemens XIII 21 maii 1765.	*100 dierum.*
Christifideles qui assistunt Antiphonae quae post completorium cotidie aut quibusdam diebus aliquantulum ante crepusculum sollemniter cantatur, lucrantur biscentum dies Indulgentiae.		Clemens X 8 maii 1673 et Pius X 12 iunii 1907.	*200 dierum.*

Omnes Indulgentiae in praesenti Summario enumeratae applicari possunt animabus in Purgatorio detentis, excepta Indulgentia in articulo mortis. Pius X 12 iunii 1907. *Applicatio animarum in Purgatorio.*

DECRETUM

Approbatio Congregationis.

Cum Prior Generalis Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae et Praepositus Generalis Ordinis Carmelitarum Discalceatorum huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae novum Summarium Indulgentiarum utriusque Ordinis approbandum exhibuerint, novis in eodem additis Indulgentiis nuper concessis, aliisque, quae in veteribus Summariis continebantur, deletis et abrogatis, et eadem S. Congregatio illud uni ex suis Consultoribus expendendum tradiderit, qui, denuo perpensis omnibus documentis, testatus est Indulgentias, Privilegia nec non Indulta, inibi relata, esse authentica, S. Congregatio illud approbavit typisque mandare benigne permisit.

Dies (31 iul. 1907).

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 31 iulii 1907.

S. Card. Cretoni, Praefectus.

D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

APPENDIX

Indulgentiae concessae a Paulo Pp. V. crucibus ac numismatibus ad instantiam Marchionis de Villena

Confessio, communio, preces.

a) Indulgentia Plenaria si confessi ac S. Communione refecti recitaverint unum Pater et Ave Maria, vel alio quocumque modo oraverint ad mentem S. S. pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, haeresum exstirpatione, et pro animabus purgatorii.

Certae preces.

b) Si recitaverint rosarium aut tertiam eius partem, vel officium B. V. Mariae, vel septem Psalmos paenitentiales, aut officium defunctorum, aut tandem quamcumque ex litaniis generalibus aut particularibus Domini vel B. Virginis, lucrantur omnes Indulgentias eo die quas lucrarentur visitando ecclesias Urbis intra vel extra moenia exsistentes.

c) Quotiescumque in honorem Ss. Nominis Iesu, vel Eius quinque plagarum recitaverint quinquies Pater Noster; aut ad honorem Ss. Nominis Mariae quinquies Ave Maria; aut aliud quodcumque pro illius amore, vel alterius Sancti devotione fecerint, lucrantur biscentum annos Indulgentiarum.

Examen, paenitentia.

d) Quandocumque examen conscientiae peregerint, et culparum suarum paenituerint, aut propositum habuerint peragendi sacramentalem confessionem, lucrantur sexaginta annos indulgentiarum.

Pia opera.

e) Quotiens opus aliquod misericordiae compleverint, aut Ss. Sacramentum sociaverint, aut Missam vel praedicationem audierint, aut devotam lectionem vel meditationem peregerint ad spiritus fervorem acquirendum, bonosque propositos concipiendos; aut Deo commendaverint animas Purgatorii, vel pro iis qui peccato mortali gravati sunt oraverint, lucrantur centumquinquaginta annos Indulgentiarum.

Missae pro animabus.

f) Duodecies infra annum conceditur, si celebraverit, vel celebrare fecerit quinque Missas, ut liberari possit una anima (exinde Indulgentia Plenaria lucratur pro defunctis) singulis vicibus e Purgatorio.

Ieiunia.

g) Qui die veneris ob memoriam Passionis D. N.; vel die Sabbati ob devotionem B. Virginis ieiunaverit, septem annos totidemque quadragenas lucratur: et si per totum annum id fecerit, Indulgentiam Plenariam.

h) Conceditur omnium defectuum remissio inadvertenter commissorum in recitatione officii vel Missae auditione, si recitaverint Pater Noster et Ave Maria ; vel Psalmum Laudate Dominum omnes gentes ; vel commemorationem fecerint B. Virginis cum Antiphona et oratione ; vel Magnificat : et qui illas ignorant per unum Salve Regina. *Certae preces.*

i) In articulo mortis, si invocaverint Nomen Iesu ; et si ore nequiverint saltem corde, Indulgentiam Plenariam consequuntur. *Articulus mortis.*

l) Conceduntur omnes Indulgentiae a Sua Sanctitate datae numismatibus et crucibus, pro animabus fidelium eo die defunctorum, si ter Pater et Ave recitaverint in memoria trium vicium in quibus Christus in horto oravit. *Certae preces.*

m) Omnes istae Indulgentiae applicari possunt animabus in Purgatorio detentis, excepta Indulgentia in articulo mortis. *Applicatio animabus.*

GRATIAE ET FACULTATES CONGREGATIONI A PASSIONE IESU CHRISTI IN PERPETUUM CONCESSAE, ET RELIGIOSIS CARMELITIS PRO TEMPORE PRAEDICATIONIS COMMUNICATAE A SS. D. N. PIO PP. X

1. Facultas impertiendi postrema die Missionum vel exercitiorum cum Imagine D. N. I. C. e Cruce pendentis supra populum inibi congregatum benedictionem nomine Ponttficis. *Benedictio Papalis.*

2. Facultas benedicendi coronas precatorias, cruces et sacra numismata ; iisque applicandi Indulgentias, quas vocant Papales et S. Birgitae. *Benedictio coronarum, etc.*

3. Benedicendi coronam Camaldulensium, vulgo coronam Domini. *Bened. coronae Domini.*

4. Benedicendi cruces cum imagine Ss. Crucifixi, cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis, totiens quotiens ; quam Indulgentiam, ex mente Pontificis concedentis, lucrari possunt tum is qui crucem possidet, tum omnes alii, qui in articulo mortis eandem deosculati fuerint corde contrito. *Benedictio crucis pro articulo mortis.*

5. Benedicendi coronas cum Indulgentia a Leone X primitus concessa, quingentorum dierum pro quolibet Pater et pro quolibet Ave. *Benedictio coronarum PP. Crucigerorum.*

6. Recipiendi Christifideles utriusque sexus in quamcumque Societatem, séu Confraternitatem, quae ab Apostolica Sede sit approbata ; ac earundem scapularia benedicendi atque imponendi. Tempore autem Missionis, necesse non est singulis personis scapulare imponere ; cum quisque per se sibi imponere possit, dum Sacerdos impositionis verba pronuntiat : nec singularum personarum nomina oportet in Album illius Ordinis inferre, ad quem societas pertinet. *Receptio in Confraternitates.*

7. Benedicendi coronas proprias cuiusque ex dictis Confraternitatibus. *Benedictio coronarum Confrat.*

a) Perdurante cursu praedicationis Missionarii gaudent privilegio recitandi, loco officii divini, officium parvum B. V. Mariae tantum. *Commutatio Officii.*

b) Christifideles lucrantur Indulgentiam Plenariam : 1° Intervenientes Missionibus et Exercitiis ; dummodo peragant confessionem sacramentalem, et communionem suscipiant ; 2° Infirmi Missionibus vel Exercitiis interesse cupientes, eandem Indulgentiam lucrantur, dummodo opera a Confessariis imposita adimpleverint ; 3° Christifideles si Missionibus vel Exercitiis interfuerint, et his perdurantibus non potuerint sacramentalem confessionem peragere, nec sacram communionem suscipere, eandem Indulgentiam lucrantur, dummodo haec omnia praestiterint in uno die e *Pro Christifidelibus, Indulg. plenariae;*

quindecim diebus subsequentibus ; 4° Tandem Christifideles qui confessi ac s. communione refecti, etsi praedicationi haud interfuerint, praesentes tamen erunt benedictioni quae elargitur in fine Missionum et exercitiorum, Indulgentiam Plenariam lucrantur.

Partiales.

c) Christifideles qui catecheses seu contiones tempore Missionum et exercitiorum audierint, lucrantur totiens quotiens Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum.

Pro Monialibus Carmelitanis Indulg. Scapularis caerulei.

Sanctimoniales Carmelitanae lucrari poterunt Indulgentias Scapularis caerulei Immaculatae Conceptionis, quin ipsum scapulare induere teneantur, uti constat ex concessione Pii Pp. IX diei 28 octobris 1856.

---

232. — S. RITUUM CONGR. (31 maii 1907)

RESCRIPTUM NEGANS BREVIARII MUTATIONEM

Ordinis Cisterciensis

Orator

Rev^mus P. D. Amedeus de Bie, Abbas generalis Ordinis Cisterciensis et Praeses Congregationis Italiae, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit Capitulum Provinciale Romae habitum mense decembri anno 1906 statuisse, ut Breviarium Cisterciense a sa. me. Pio Papa IX approbatum et praescriptum, etiam a Congregatione Italiae assumeretur. Hinc idem R^mus Orator, nomine ipsius Capituli Provincialis, ab Apostolica Sede enixe postulavit, ut praedictam resolutionem ratam habere et confirmare dignaretur. Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, auditis partibus interesse habentibus, attentisque Apostolicae Sedis Constitutionibus et Decretis huiusmodi negotium respicientibus, una cum suffragiis peritorum in re liturgica apposite exquisitis, rescribendum censuit :

Petit *confirmationem statuti capituli Prov. de inducendo in Congr. italicam usu Breviarii Cisterciensis.*

Negative, nihilque esse innovandum, ac serventur Sanctae Sedis Constitutiones ac Decreta.

Dies (31 maii 1907).

Atque ita rescripsit, die 31 maii 1907.

S. Card. Cretoni, *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. S. R. C. Secret.

---

233. — SS. D. N. PII Pp. X

BREVE 14 SEPTEMBRIS 1903

Privilegia archisodalicii a nocturna SS^mi adoratione

Ad perpetuam rei memoriam,

Laudata saptienti benevolentiae Decessorum,

Piam Archisodalitatem a nocturna S^mi Sacramenti adoratione a principio ad praesens usque tempus iugi constantis benevolentiae studio Romani Pontifices sunt prosecuti. Et sane placuit Decessoribus nostris christiani

populi pietatem erga Sacramentum amoris magis magisque in dies excitari; eaque de causa pluribus Societatem ipsam spiritualibus gratiis ac privilegiis ultro libenterque ditarunt. Haec animo repetentes, cum Venerabilis Raphael Merry del Val, Archiepiscopus titularis Nicaenus, hodiernus ipsius societatis praeses enixas Nobis preces adhibuerit, ut alia prioribus addere privilegia de Apostolica benignitate dignaremur, Nos, quibus nihil acceptius quam ut Archisodalitas tam frugifere potiora capiat in Domino incrementa votis hisce annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnia ac singula privilegia et indulgentias, quibus a Romanis Pontificibus ipsa Archisodalitas ad hanc usque diem ornata fuit et aucta, praesentium vi in perpetuum confirmamus. Praeterea largimur :

Motus etiam Praesidis precibus.

Pontifex priora privilegia confirmat, et nova haec concedit.

I. Ut a sacerdotibus qui praesunt vigiliis, Missa peragi queat novissimo horae dimidio respectivae vigiliae.

Missae hora.

II. Ut hae Missae, servatis rite servandis, celebrari queant ad ipsum altare ubi Augusti Sacramenti fit Expositio.

Altare.

III. Ut omnes et singuli qui pervigiliis intersunt fideles, et qui vel morari debeant in ecclesia vel admittantur, atque religiosae communitates, quarum in ecclesia Expositio locum habeat, ad Sacram Synaxim accedere possint in alterutra e Missis quae celebrentur in extremo dimidio horae vigiliae respectivae, licet ad altare Expositionis, ubi eaedem Missae peragantur.

Communionis hora et altare.

IV. Tandem ut religiosi ipsi in Archisodalitatem, ut exercentes nunc et in posterum allecti, etsi nequeant aliis vigiliis interesse praeter illas quae in proprii Instituti ecclesia locum habeant, nihilo minus participes esse queant omnium et singulorum privilegiorum et indulgentiarum quibus fruantur ceteri inscripti, quos nulla loci limitatio coercet.

Participatio religiosorum.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV septembris MCMIII, Pontificatus Nostri anno primo.

Dies (14 sept 1903).

Alois. Card. Macchi.

---

234 — S. CONG. CONCILII

DECRETUM, SPECIALITER CONFIRMATUM, 2 AUG. 1907

De Sponsalibus et Matrimonio

Decretum [1] *de SPONSALIBUS et MATRIMONIO, iussu et auctoritate SS. D. N. Pii Papae X a S. Congregatione Consilii editum.*

Ne temere inirentur clandestina matrimonia, quae Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est atque prohibuit, provide cavit Tridentinum Concilium (cap. I. sess. XXIV., de reform. matrim.) edicens: « Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi

Memoratur lex Tridentina clandestinis matrimoniis contraria.

[1] Repetimus inscriptionem, quae authentica esse videtur.

seu Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et eiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. »

Deficiente speciali promulgatione, in pluribus locis caruit effectu.

Sed cum idem Sacrum Concilium praecepisset ut tale decretum publicaretur in singulis paroeciis, nec vim haberet nisi iis in locis ubi esset promulgatum, accidit ut plura loca in quibus publicatio illa facta non fuit, beneficio Tridentinae legis caruerint, hodieque careant, et haesitationibus atque incommodis veteris disciplinae adhuc obnoxia maneant.

Accedit difficultas ex lege de proprio parocho ad valorem requisito.

Verum nec ubi viguit nova lex, sublata est omnis difficultas. Saepe namque gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina, proprium parochum eum intellegi debere cuius in paroecia domicilium sit, aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum quia nonnumquam difficile est iudicare certone constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt obiecta periculo ne nulla essent: multa quoque, sive inscitia sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt.

Mala creverunt ob facilitatem commeatuum.

Haec dudum deplorata, eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus, etiam disiunctissimis, perficiuntur. Quam ob rem sapientibus viris ac doctissimis visum est expedire ut mutatio aliqua induceretur in iure circa formam celebrandi conubii. Complures etiam sacrorum Antistites omni ex parte terrarum, praesertim celebrioribus civitatibus, ubi gravior appareret necessitas, supplices ad id preces Apostolicae Sedi admoverunt.

Hinc novi iuris vota et opportunitas.

Coniunctum votum de privatis sponsalibus, quorum detrimenta indicantur.

Flagitatum simul est ab Episcopis, tum Europae plerisque tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus, id est ex mutuis promissionibus futuri matrimonii privatim initis, derivantur.

Docuit enim experientia satis quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia : primum incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur ; postea discidia ac lites inextricabiles.

Propositum Pontificis.

His rerum adiunctis permotus SS^mus^ D. N. Pius X, pro ea quam gerit omnium Ecclesiarum sollicitudine, cupiens ad memorata damna et pericula removenda temperatione aliqua uti, commisit S. Congregationi Concilii ut de hac re videret, et quae opportuna aestimaret Sibi proponeret.

Collatis votis Congr. Concilii et coetus consultorum ac Cardinalium qui canonicum parant codicem, mandavit Congreg. Concilii ut decretum conderet.

Voluit etiam votum audire Consilii ad ius canonicum in unum redigendum constituti, nec non Em^rum^ Cardinalium qui pro eodem codice parando speciali commissione delecti sunt : a quibus quem ad modum et a S. Congregatione Concilii conventus in eum finem saepius habiti sunt. Omnium autem sententiis obtentis, SS^mus^ Dominus S. Congregationi Concilii mandavit ut decretum ederet quo leges, a Se ex certa et matura deliberatione probatae, continerentur, quibus sponsalium et matrimonii disciplina in posterum regeretur eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret.

Decretum porro huius est tenoris.

In exsecutionem itaque Apostolici mandati, S. Congregatio Concilii praesentibus litteris constituit atque decernit ea quae sequuntur :

DE SPONSALIBUS

Sollemnitas ad sponsalium valo-

I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et

vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura annotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet. *rem requisita.*

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiperatur; et in missionibus ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus. *Quis parochus in hoc decreto.*

DE MATRIMONIO

III. — Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur. *De essentiali matrimonii solemnitate principium.*

IV. — Parochi et loci Ordinarii valide matrimonio assistunt, *Quinam parochi et Ordinarii valide assistant et quomodo.*

§ 1. A die tantum adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

§ 2. Intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum, valide assistunt;

§ 3. Dummodo invitati ac rogati et neque vi neque gravi metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

V. — Licite autem assistunt, *Quinam licite assistant.*

§ 1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

§ 2. Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii;

§ 3. Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset; *Delegatio ad assistendum data parocho.*

§ 4. Quod ad « vagos », extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit. *De vagis.*

§ 5. In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset. *Regulariter assistat parochus sponsae.*

VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat. *Delegatio alius sacerdotis.*

Delegatus autem ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutae.

VII. — Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus. *Imminente mortis periculo, competentia cuiuslibet sacerdotis.*

VIII. — Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis designatus coram quo matrimonium celebrari queat *Quandonam duo*

testes sufficiant.

haberi non possit, eaque rerum condicio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

Matrimonium est a parocho inscribendum;

IX. — § 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum ; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio astiterit.

Et in librum baptizatorum referendum.

§ 2. Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum annotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam iniit contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

Cautio de inscriptione matrimonii, absente parocho facti.

§ 3. Quotiens matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur sacerdos in primo casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum notetur.

Sanctio poenalis pro parochis.

X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio astiterint contra praeceptum 2 vel 3 num. V, emolumenta « stolae » sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

Quinam his legibus teneantur.

XI. — § 1. Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sivi hi, sive illi ab eadem postea defecerint) quotiens inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

Quid si matrimonia mixta?

§ 2. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt ; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

Quid de matrimoniis acatholicorum?

§ 3. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.

Decreti publicatio et promulgatio specialis.

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios ; et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die sollemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

Initium obligationis.

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

Praecepta eius divulgatio.

Mandatum Pontificis.

Praesentibus valituris de mandato speciali SS^mi^ D. N. Pii Pp. X. contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, die 2 mensis augusti anni 1907.

Dies (2 aug. 1907).

VINCENTIUS, Card. Ep. Praenest. *Praefectus.*

C. De Lai, Secretarius.

COMMENTARII

ARTICULUS I. — Tridentinum Ius de matrimoniis clandestinis

Quo melius praesentis reformationis vis atque intentio percipiantur, iuvabit in primis Tridentinum ius summatim perscribere.

§ 1. De Sponsalibus

1. I. — Nota est haec *definitio* sponsalium (de futuro): *Promissio voluntaria, deliberata et mutua, signo sensibili expressa, futuri matrimonii inter personas iure habiles.*

Pristinum de sponsalibus ius intactum liquit Concilium Tridentinum, ita ut nullam praescripserit sollemnitatem formae, et clandestina sponsalia essent non solum valida, sed etiam *per se* licita.

Nec in Episcopi potestate est ut sollemnitatem aliquam imponat [1]. Quare, si, in quibusdam locis, parochi pro sponsalium benedictione adiri consueverint, id est inter laudabiles usus, citra obligationem, referendum.

2. II. In Hispania tamen, pragmatica ordinatio 28 aprilis 1804, data a CAROLO IV, illa tantum valere statuit sponsalia quae publica scriptura essent authenticata. Ius istud, quamvis laicale, usu invaluit, ita ut in foro ecclesiastico vim consuetudinis habere coeperit. Quod S. Congr. admisit in causa Placentina, 31 ian. 1880, et in Compostellana 11 april. 1891 [2]. (Cfr. pro ista explicatione, Conc. prov. Vallisoletan. 1887.) Hinc fit ut in Hispania, ad Sponsalium valorem requiratur interventus, non quidem parochi vel alicuius sacerdotis, quod probe notandum, sed *notarii*.

Quod ius, postulantibus Patribus Concilii plenarii Americae latinae (1899), est decreto S. Congr. super negottis Eccl. extraord. ad. universam Americam latinam, in perpetuum translatum. Decretum est 1 ian. 1900.

§ 2. De Matrimonio

3. I. A Concilio Tridentino matrimonia *clandestina* ea potissimum intelleguntur quae contrahuntur sine praesentia parochi (seu Ordinarii) proprii vel alius sacerdotis legitime substituti, et duorum, minimum, testium.

4. 1. *Parochi* nomine venit quicumque paroeciae proprie dictae a competenti auctoritate praeficitur, vel instar parochi missionem regit.

2. *Proprius* ille est parochus in cuius territorio alter saltem sponsorum domicilium habet vel quasi-domicilium.

Estne autem ab ipso Concilio Tridentino an posterioribus tantum decretis requisitum ut competentia parocho proprio circumscribatur, id controversia non vacat. Cfr. in praesentis decreti praeparatione, votum Consultoris, qui disciplinam istam ex minus recta interpretatione decreti

---

[1] Cfr. BENEDICTI XIV *Instit. eccles.* XLVI, n. 11. 12; *De Synodo dioeces.*, XII. 5, 1.

[2] Quamvis nunc sit abrogatum in foro civili, ubi sponsalia non iam curantur, canonicam tamen vim suam retinet, ut dixit S. Congregatio in hac causa. Cfr. ACTA S SEDIS, XXIV, 34 ss.

Tametsi putabat derivatam [1], et votum Defensoris vinculi, qui diversimode omnino opinabatur [2].

5. *Domicilium* porro constituitur vel *lege*, quae certis personis domicilium assignat, — utputa minoribus apud parentes vel tutorem, — vel *habitatione* vera cum animo eam perpetuo conservandi, nisi causa quaepiam alio vocet. Non repugnat itaque quempiam duplex habere domicilium sive *legale* et *reale*, sive etiam bis reale, ut si quis temporibus moraliter aequalibus, partem anni in civitate, partem ruri degat, et consuetudinem istam servare intenderit. Postquam autem domicilium est acquisitum, servatur donec alterutrum elementum, id est habitatio vel animus, sit retentum. Illud denique est observandum, in iure ecclesiastico domicilium definiri non respectu civitatis vel municipii, sed ultimae divisionis dioecesis vel quasi-dioecesis.

6. Ad *quasi-domicilium* habendum, habitatione vera opus est, — in parochia seu quasi-parochia, — coniuncta cum intentione manendi ibi per maiorem anni partem [3]. Concessa sunt quaedam indulta ut habitatio per sex menses moraliter continuos, seposita omni intentione, sufficeret vel etiam habitatio continua per unum saltem integrum mensem. Id. v g. obtinuit civitas Parisiensis, 9 nov. 1898, et 20 maii 1905 [4]. Habitatio quae comparando quasi-domiciiio sit utilis, non potest esse per modum viatoris, sed oportet ut habeatur domicilii imitatio. Cfr. litt. Benedicti XIV, ad arch. Goanensem, 19 mart. 1758.

7. 3. Parochus autem alium sibi sacerdotem in locum suum substituere potest, facultate expresse vel tacite facta. Immo hanc sibi mutuam ac generalem dare parochi cuiuspiam civitatis possunt valide, et licite, si quaedam cautiones addantur. Cfr. votum R. P. Wernz, approbatum in causa Coloniensi et Aquisgranensi, 18 mart. 1893.

8. 4. In testibus nulla specialis requiritur qualitas vel aetatis vel sexus, vel status, vel familiae, vel religionis. Omnes, quotquot usum rationis habent, valide ut testes adhibentur [5].

9. 5. Vagi quemlibet parochum, saltem in proprio huius territorio, adire possunt, Quod si alter tantum sponsorum vagus fuerit, cum altero suum privilegium communicat.

10. 6. Parochus, dum matrimonium celebratur, utrumque contrahentem de mutuo consensu debet *interrogare* [6]. Omissio tamen interrogationis, ubi constet de consensu, venialis tantum culpa est.

11. 7. Parochus et testes sic *praesentes* esse debent, ut quid agatur advertere possint, et de re testari. Et dummodo partes parochum voluerint coram duabus aliis personis ut testem adhibere, requisitam formam servant, quamvis vi vel dolo usi fuerint.

---

[1] Acta Sanctae Sedis, 40 (1907), p. 534 ss.
[2] Ibidem p. 545 nota.
[3] Cfr. Instr. S. Officii, 7 iun 1867.
[4] Die 20 maii 1905 (Canoniste contemporain, 1905, p. 502), ad civitatem Parisiensem extensa est concessio facta Statibus Foederatis Americae, 6 maii 1886. Americanum tamen indultum pluribus dubitationibus locum dabat. Cfr. De Becker, op. cit. p. 97-98.
[5] Attamen, ubi cathoiici facile adhiberi possint, non licet ad acatholicos recurrere. (S. Officium, 19 aug. 1891.)
[6] Trid. s. 25, c. 1. De Reform. matrimonii.

12. 8. *Ubique locorum* parochus proprius vel eius delegatus matrimoniis interesse potest. Ut tamen ipsi liceat sollemnem nupturientibus conferre benedictionem, oportet ut loci parochus id permiserit.

13. II. Age porro, matrimonia clandestina « sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis ....semper detestata est atque prohibuit [1]. »

Praeterea, celebri capite *Tametsi*, Concilium Tridentinum matrimonia ista nulla fecit, ubi nova ista lex praescripto modo fuerit promulgata, vel consuetudine saltem quae immemorabilis [2] fuerit firmata.

Specialis autem promulgationis ratio in hoc est, ut decretum, in singulis paroeciis, iubente Episcopo et tamquam lex Concili Tridentini, promulgetur. Qua facta promulgatione, decretum, post triginta dies obligare incipit omnes et solos baptizatos, in loco isto exsistentes, etiam haereticos, nisi, promulgationis tempore, distinctam iam effecerint societatem religiosam.

14. III. Lex ista Tridentina *localis simul est et personalis*.

« Quatenus *localis*, afficit territorium eosque qui ibi matrimonio iungendi sunt ; quatenus vero *personalis* est, obligat qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in loco ubi non viget contrahere vellent. » (Instructio S. Officii ad Archiep. S. Francisci, 14 dec. 1859.) Quod ita tamen est intellegendum, ut a lege irritante eximantur quotquot saltem quasi-domicilium in loco exempto acquisierint, quamvis in eorum domicilio caput *Tametsi* vigeat [3]. Immo scriptores fuere qui benignius respondentes, putarent localem exemptionem etiam cum peregrinis communicari, nisi in fraudem legis hunc locum quaesierint.

15. IV. Si tamen praevidetur futurum, ut per mensem moralis copia communiter defutura sit adeundi sacerdotem competentem vel legitime delegatum, a parte legis Tridentinae quam observare nequeant, contrahentes eximuntur. Itaque satis tunc ipsis est duos adhibere testes. Cfr. resp. 1 iul. 1863.

V. Quaedam praeterea loca beneficio utuntur regiminis particularis. Ut potissima commemoremus exempla :

16. 1. Hollandia fere omnis declaratione fruitur Benedicti XIV, 4 nov. 1741, secundum quam, cum haeretici inter se, tum haeretici contrahentes cum catholicis, sanctionem nullitatis effugiunt quae ex clandestinitate foret repetenda.

17. 2. Insula Melitensis, ex decretis 12 ian. 1890 et 2 iun. 1892, a Tridentina dispensatur pro acatholicis *inter se* contrahentibus.

18. 3. In America septemtrionali, regimen cernitur maxime varium. Hic, ne catholici quidem lege Tridentina tenentur : — sic in Provincia ecclesiastica Baltimorensi, Bostoniensi, Philadelphiensi, Neo-Eboracensi, Oregopolitana, S. Pauli, Dubuquensi, Milwaukiensi ; — illic, solos catholicos inter se contrahentes lex astringit : — ita in magna parte regionis

---

[1] C. Trid. 2, 24, c. 1 De Ref. Matrimonii.

[2] De tempore requisito, cfr. Wernz, *Ius matrim.* n. 160 nota 107, et De Becker, *De Sponsal. et Matrim.*, p. 114.

[3] Vagi, cum nullum habeant domicilium, vim *personalem* decreti *Tametsi* experiri nequeunt. Quare dum in locum exemptum se conferunt numquam in fraudem legis agere sunt putandi et nulla alia lege nisi loci ubi contrahunt ipsi tenentur. Cfr. Wernz, op. cit. n. 171, p. 263. 264.

Canadensis, ad quam declaratio Benedictina est extensa, in provincia ecclesiastica Neo-Aurelianensi, S. Francisci — ; alibi decretum est pro omnibus promulgatum : — ita in provincia ecclesiastica Sanctae Fidei, excepta parte septemtrionali Status Colorado. Cfr. Conc. Baltimorense III (1885), vel De Becker, *De sponsalibus*, p. 131 ss.

19. 4. Decreto 18 ian. 1906, in universo praesenti imperio Germaniae, caput *Tametsi* omnes *catholicos* inter se contrahentes a Paschate anni 1906 obligare coepit ; — matrimonia autem *mixta*, vi irritanti legis Tridentinae in posterum subducuntur ; et iam contracta pro validis habenda sunt, nisi ante Pascha 1906, legitima sententia eos propter clandestinitatem infirmaverit ; et dummodo mutuus coniugum consensus usque ad dictam Paschatis diem perseveraverit ; — matrimonia *acatholicorum* inter se (haereticorum et schismaticorum) tam contracta quam contrahenda, nullitatem istam pariter effugiunt.

Itaque decretum istud etiam praeterita matrimonia sanat. Cfr. Acta S. Sedis, 39 (1906) p. 181 ss.

ARTICULUS II. **Novi iuris praefatio**

Praefatio quae ipsis decreti dispositionibus praestituitur in duas partes facile dividitur. In priore opportunitas decreti demonstratur et finis simul explicatur cur sit conditum.

In altera narratur qua maturitate, etiam ex variorum conciliorum collatione, decretum sit praeparatum et confectum.

§ 1. **Decreti opportunitas et finis**

20. 1. **Decreti opportunitas.** Quam opportunum fuerit novis sanctionibus formam munire cum matrimonii tum sponsalium, id de matrimonio prius, dein de sponsalibus, argumentis intrinsecis et extrinsecis efficitur.

1. *De Matrimonio*. Argumentum intrinsecum petitur ex difficultatibus et dubitationibus quibus caput *Tametsi* locum dedit, ob duas potissimum causas. Altera est necessitas *peculiaris promulgationis* in singulis parochiis, quae fertilis ager mox evasit dubitationum et diversitatum localium, unde etiam multis matrimoniis clandestinis, contra mentem Tridentinam, aperta est via. Alteram adducit necessitas *proprii* parochi, in quo definiendo saepe est haesitatum, ita ut condicio ista celebrari potuit ut « *vinea advocatorum* [1]. »

Incommodo ista, antiquitus iam nata, hodie tamen multo magis persentiuntur, ex quo tam frequens est inter varias regiones commeatus.

Exstrinsecum vero argumentum suppeditat concors opinio sapientium et doctissimorum virorum, et supplices libelli ab Episcopis oblati. In ipso Concilio Vaticano vota ista sunt manifestata, ita ut essent qui abrogatum vellent omne istud caput *Tametsi*. Et varia indulta, quae tanto numero sunt expetita, non minus ostendere videntur quantum reformationis necessitas omnibus perspecta sit.

---

[1] Cfr. votum defensoris vinculi, A. S. S. 39, p. 563.

2. *De Sponsalibus*. Hoc argumento intrinseco utitur decretum : Sponsalia privatim inita secum ferunt « incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur ; postea discidia ac lites inextricabiles. » Et re quidem vera, constat multas puellas fictis promissionibus matrimonii decipi ; veras autem clam fieri levius, ita ut prompta succedat paenitentia ; et, ob difficilem probationem, multas exoriri lites. Cum tamen quaelibet valida sponsalia dirimens pariant impedimentum, dubia de validis sponsalibus ipsum matrimoniorum valorem afficiunt.

Tamquam exstrinsecum argumentum afferuntur in decreto postulata Episcoporum, quae, praeter alias regiones, a plerisque Europae Praesulibus sunt porrecta.

Teste PALLAVICINI [1], iam in ipso Concilio Tridentino proposita est nullitas sponsalium clandestinorum, in priore forma capitis *Tametsi*. Saepe dein est de quaestione ista actum apud S. Sedem, sive ad preces Episcoporum reiciendas, sive ad infirmanda decreta Conciliorum provincialium vel Episcoporum quae nullitatem illam inducere praesumpserant. Sic reiectas, 26 ian. 1715, preces episcopi Bracarensis, memorat R. P. WERNZ [2] ; refutatam a BENEDICTO XIV instantiam Episcopi Coloniensis litteris 19 iul. 1755, narrat WERNZ post FEIJE [3]. « Nihil esse innovandum », respondit S. Paenitentiaria alicui episcopo, anno 1865. Die 11 aug. 1852 Archiepiscopus Quebecensis frustra in hunc finem se ad S. Officium convertit [4]. Plures Episcopi Italiae centralis a Conc. Vaticano postularunt ut impedimenta matrimonii non orirentur nisi ex sponsalibus sollemnibus, id est, initis « per syngraphan, aut coram parocho sine testibus aut coram notario et testibus » [5].

Infirmata autem Episcoporum decreta habes ACTA SANCTAE SEDIS, I, 528, ss. ; et XI, p. 227, vel ANALECTA ECCLESIASTICA, VI, 189, ss.

Formam aliquam publicam iam pro sponsalibus commendavit FERD. DE MENDOZA [6], et votum exstat Card. GERDIL, de petitione Episcopi Lausannensi, 1789, ubi praesentiae parochi et testium, e scripturae a partibus subscriptae praefert praesentiam notarii publici ab episcopo delegandi, sponsalia autem clandestina affecta velit clausula resolutoria, nisi sponsi, intra certum tempus, se sistant coram delegato non parocho, ad declarandam suam voluntatem transeundi ad proclamationes vel earum petendi dispensationem [7].

21. II. **Decreti finis**. In perspecta decreti opportunitate, finis ipse perspicitur. Is itaque est, ut nova ordinatione, de matrimonii valore certius constet, ut secundum Tridentini Concilii mentem, clandestinis matrimoniis efficacius remedium afferatur ; ut via denique praecludatur sponsalibus clandestinis eorumque incommodis.

---

1 *Istoria del Concilio di Trento*, l. 22, c. 4, n. 4 ; c. 8, n. 9.
2 *Ius decretalium*, t. 4, n. 89, p. 133, nota 38.
3 FEIJE, *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus*, n. 558, p. 454, nota 5 ; WERNZ, l. c. Cfr. etiam DE ANGELIS, in l. IV, t. I, n. 3, p. 9.
4 WERNZ, loco citato.
5 MARTIN, Omnium Conc. Vaticani,.... Documentorum collectio, p. 184, II.
6 De confirmando Conc. Illiberitano, Matriti, 1594, III, 34, cit. FEIJE, n. 558.
7 FEIJE, op. cit. n. 558, p. 454, nota 5.

§ 2. Praesentis legis praeparatio

22. Ab ipso decreto docemur, excepta prius fuisse placita S. Congregationis Concilii, votum deinde tam coetus Consultorum quam Commissionis Cardinalium a quibus novus Codex canonicus paratur: omniumque, post plures conventus, obtentis sententiis, S. Pontificem voluisse ut S. Congregatio Concilii decretum reformationis adornaret, quale, ab ipso probatum, iam editur.

Quod si potissima praeparationis stadia distinctius exhibere placuerit, haec mutuari possumus a relatione Actorum quae in Periodico Acta Sanctae Sedis, p. 513-575, t. 40, typis est inserta.

Iam die 20 maii 1905, occasione capta causae Wratislavien. et aliarum [1], Emi Patres in plenariis S. Congr. Conc. comitiis, fundamenta novae legis posuisse videntur. Tunc enim decreverunt vota de reformando capite *Tametsi* esse exquirenda a duobus canonistis, quibus simul praecipuas has normas praescribebant, ut praesentiam parochi exigerent ultroneam, ut huic sollicitudinem de statu libero imponerent, competentiam assignarent territorialem, et ut omnes ubique locorum catholicos lege clandestinitatis obstringerent.

Consultores selecti sunt Ill. D. Aug. Sili, qui 6 ian. 1906, votum perfecit, et R. D. Car. Lombardi, defensor matrimoniorum ex officio.

Ad bina haec vota tertium accessit Rev. Secretarii S. Congr. Conc., qui recens Cardinalis est creatus, C. De Lai.

Die itaque 17 februarii 1906, causa est cum relatis votis proposita, et, reservata forma dicendi ac dispositionibus secundariis, Emi Patres de hoc puncto, quasi capite convenerunt: « Catholici omnes, ubique terrarum, etiam in locis ubi hucusque publicatum non fuit caput *Tametsi* Concilii Tridentini, incipiendo a die... non poterunt matrimonium valide contrahere, nisi mutuum consensum praestent coram aliquo loci Ordinario aut parocho catholico, quicumque sit, qui ad assistendum rogatus fuerit, et coram duobus saltem testibus. Et matrimonia ex inopinato aut aliter contracta nulla et irrita erunt. »

Commendatum praeterea est Secretario S. Congr. Conc., facto verbo cum Sanctissimo, ut ageret etiam cum Secretario Commissionis Codicis ecclesiastici. Is autem curavit, ut de forma celebrationi matrimonii praestituenda, prius in peculiari quorundam Consultorum coetu, dein in plenario omnium Consultorum consessu disputaretur. Quibus, pro pleniore informatione, data est etiam relatio disputationis quae in C. S. Officii est habita ante editas litteras Apostolicas *Provida sapientique*, 18 ian. 1906. de catholicis et de mixtis matrimoniis in Germaniae imperio.

Confecto sic schemate, Emi Patres S. Congr. Concilii denuo convenerunt die 14 iul. 1906. Eorum coetui interfuerunt, probante Sanctissimo, Em. Card. Vives y Tuto et Secretarius Commissionis Codicis ecclesiastici (modo Card. Gasparri). Plures ibi propositae sunt emendationes et nova praecepta est schematis editio.

Hanc, pro caetu 16 ian. 1907, confecit Secretarius Congregationis.

---

[1] Pro qua causa R. P. Pius a Langonio votum confecit eruditione et utilitate plenum.

Discussi tunc canones, sunt 23 martii rursus propositi, addito canone de matrimonio vagorum, et canone de sponsalibus.

Sic demum perventum est, in novo ut videtur coetu [1], ad decretum authenticum 2 aug. 1907, cuius iam tenor est, pro viribus nostris, exponendus.

ARTICULUS III. Novi iuris sanctiones

§ 1. De Sollemnitatibus Sponsalium

I. De essentiali sponsalium sollemnitate

Canon I

Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura annotetur ; et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus de quibus supra, scripturam subsignet.

Canon prior de sponsalibus formam definit deinceps ad valorem sponsalium necessariam. Et, quia in hac definitione de parocho facta est mentio, quis parochi nomine veniat in canon II explicatur. Hinc praesentis nostrae § divisio.

23. I. **Litterae expositio** Sponsalibus ea forma sollemnis imponitur, ut contrahantur per scripturam quam, praeter partes, subscribant vel parochus aut loci Ordinarius, vel duo saltem testes. Quod si utraque pars vel alterutra scribere nesciverit, id est in scriptura annotandum, et alius tunc accedere debet testis ad scripturam subsignandam. Haec canonis I praescripta ita exponi posse videntur.

1. *Forma* ut condicio valoris praescribitur. Ergo, a primo instante, sine ulla iudicis declaratione, irrita sunt sponsalia in quibus forma ista penitus omittatur. Ac tam evidens est huiusmodi nullitas, ut sine ullo iudicis interventu, eius ratio haberi possit, quia ipsa validi actus figura desideratur.

2. Forma requiritur ut sponsalia « valeant et canonicos sortiantur effectus ». Haec ea mente videntur scripta ut aliter tentata sponsalia ad nullum matrimonium accessum impediant. Verba itaque « et canonicos sortiuntur effectus » non sunt posita ad nullitatem coartandam, ita ut effectus naturales mutuae promissionis subsistere possint, sed nullitatis perfectae declarant corollarium quod legislatori potissimum cordi erat.

Minus itaque e verbis legis [2] quam ex eius fine et ex mente Condi-

---

[1] Relatio est hoc loco satis obscura. Cfr. ACTA S. SEDIS, p. 575.

[2] Clariore formula utitur Tridentinum, cum professionem infirmans quae fiat ante annum completum noviciatus ait : « Professio ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulae, vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quoscumque effectus. » (S. 25, c. 15, *De Regul.*) Immo BESSON, NOUV. REV. THÉOL. 39 (1907) p. 673, observat expressioribus verbis infirmari, in ipso decreto, clandestina matrimonia quam sponsalia. Cuius rei causa haec esse potest, canones de sponsalibus sero, ut explicavimus, decreto esse insertos.

toris arguentes, dicimus sponsalia aliter contracta ne quidem pacti nudi valorem habere, nec alicuius obligationis naturalis esse fontem. Id nobiscum sentiunt Card. GENNARI [1], et BESSON [2]. Confirmamur ceterum responso 5 nov. 1902, quo S. Congr. super negotiis eccles. extraordin. declaravit pro neutro foro valere sponsalia quae in Hispania et in America latina sine interventu notarii celebrentur. Non est veri simile, sollemnitati quam ipsa constituit minorem ab Ecclesia tribui vim quam mere canonizatae sollemnitati civili, qualis est, ut vidimus, sollemnis forma quae pro Hispania est approbata.

Canonici porro effectus sponsalium hi sunt, ut, quamdiu exsistant, matrimonium cum qualibet alia persona impediant, utque, etiam post eorum dissolutionem, impedimentum dirimens efficiant (*honestatis publicae*) cum consanguineis sponsi vel sponsae in primo gradu. Impedimentum prohibens ipso naturae iure firmatur ; impedimentum dirimens ex solo iure ecclesiastico est repetendum.

24. 3. Sponsalia dicuntur *per scripturam contrahi*. Id est, non alius quilibet consensus prius datus, sed ille qui scriptura ista simul continetur et probatur validorum sponsalium fit effector. Partes, cum nomen apponunt, facere incipiunt contractum qui testium requisitorum subscritione perficitur.

4. Per *scripturam* non per scripturas contractus fieri dicitur. Numero itaque *una* sufficit. Et quilibet eam scribere potest. Immo communis formula typis scribi ad usum omnium contrahentium, non prohibetur. Nec ad valorem requiritur ut apponantur dies et locus [3], nec aliqua verba sunt substantialia. Sed satis erit ut clare reddatur promissio mutua nuptiarum inter determinatas personas [4], sive absoluta, sive sub condicione (suspensiva aut resolutoria), die, modo, demonstratione, causa. Admittuntur enim temperamenta istiusmodi in sponsalicio contractu.

5. Scriptura a partibus subsignari debet, et deinde a parocho (aut loci Ordinario) vel saltem a duobus testibus. Itaque :

a) Cum scribere queunt, partes *ipsae* nomen scripturae apponere debent. Num subsignat is qui alterius manu ductus nomen scribit ? Namque, ne ignorantiam fateri cogantur vel miram oblivionem — quae fraudis suspicionem quandoque inicere possit, ut si antea alios actus subscripserint, — solent rudes id gratum habere, vel adeo postulare. Porro, quamdiu manus porrigitur mere adiutrix alicui qui fere scribere noverit, ita ut parti causalitas maneat principalis, hanc subscribendi rationem valere existimamus. Fictam autem dixerimus subscriptionem si pars ignorantia laboret moraliter completa. Quod si res dubia fuerit, cautius erit curare ut partes subscribant et, mentione dubitationis facta, adiungatur testis. Clausula haec, v. g. addi potest : Subscribit Sempronius testis, qui ad cautelam supplet partem A, vel partem B, scripturae fortasse nesciam.

---

[1] *Breve Commento*, etc. p. 19.

[2] L. c. p. 613.

[3] BESSON, l. c. p. 615. Contrarium nunc de die mense et anno declaravit S. C. 27 iun. 1908. De die falso, cfr. PERIOD. t. 4, n. **282**.

[4] Nisi personae fuerint in individuo determinatae, non habentur sponsalia, sed alius contractus. Ita si promiseris eam ex tribus sororibus ducere quam elegeris. Nec refert mutuam esse factam repromissionem. SCHMALZGRUEBER in l. 4, t. 1, n. 35 ss. ; WERNZ, op. c. n. 98, II, p. 145.

b) Praeter partes, alii subscribere debent. Verum hic optio quaedam datur. Si parochus eligitur aut loci Ordinarius, hi, cum omni exceptione maiores sint, sufficiunt soli. Si ipsi non intervenerint, necessarii sunt ut minimum duo testes.

c) Parochus quisnam sit, fuse in altera huius § parte explicabitur.

25. d) **Loci Ordinarius** est quicumque iurisdictionem fori externi ordinariam vel ordinariae aequiperatam habet. Ergo S. Pontifex pro universo Orbe; Legatus a Latere pro provincia legationis suae, Episcopus, Abbas Nullius, Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, Capitulum sede vacante, et Vicarius capitularis; Vicarius generalis Episcopi [1].

Hodie nequeunt pro talibus haberi Cardinales in suis titulis, vel Nuntii Apostolici, vel Delegati Apostolici, nisi ambo posteriores ex litteris maiorem consecuti sint facultatem. Cfr. WERNZ, n. 175, note 177.

26. e) In duobus testibus nulla specialis qualitas requiritur. Cfr. dicta supra, n. **8** de testibus matrimonialibus. Omnis itaque homo qui naturaliter sit habilis ad cognoscendum et testificandum, et qui subscribere noverit, idoneus testis est reputandus.

f) **Quaeres,** num testes praesentes esse debeant dum partes subsignant, an satis fuerit ut postea nomen apponant scripturae quam a partibus subscriptam probe cognoscant? Respondemus oportere ut praesentes adsint. Ipse enim *contractus* eos debet habere testes. Contractus autem fit per scripturam. Debent ergo *immediate*, non ex aliqua aliorum relatione, testari posse quomodo partes nomen apposuerint. Aliter sentiebat R. D. DE SMET (COLLATIONES BRUGENSES, XIII, p. 57). Cfr. etiam resol. 27 iun. 1908 ad 1.

27. g) Posterior huius canonis pars difficultati prospicit, si utraque vel alterutra pars scribere nesciat.

Scribere *nescit*, in primis qui litteras ignorat; cui, ni fallimur, aequiperandus est qui ob aliud *physicum impedimentum* scribere nequit. Ita etiam BESSON, l. c. Praecipitur tunc: α) *Mentio impedimenti.* Declarandum itaque est quae pars scribere nesciat. β) Praeterea *alius* adhibendus est *testis*. Si stricte quod minimum est teneamus, is ut secundus accedet ad parochum vel Ordinarium loci, ut tertius ad alios testes. Novus iste testis cum aliis scripturam subscribet. Nec declarandum est quisnam ut supplementarius accedat. Legi satis fit, dummodo testes numero sufficientes adsint. Omnes enim aeque ipsum impedimentum testari debent. γ) Quare impedimenti mentio omnes subscriptiones praecedere debet. Sive autem altera tantum pars, sive ambae scribere nesciant, sufficit ut unus addatur testis. Numquam adiunctio duorum est necessaria.

II. **Varia solvuntur dubia de ista forma.** Exposita sic canonis I littera, restat ut de forma ista non nullae solvantur quaestiones.

28. 1. Sicut vidimus, sponsalia ipsa, id est, mutua promissio futuri matrimonii inter determinatas in individuo personas, omni valore destituuntur, nisi explicata forma observetur.

---

[1] Vicarius Apostolicus vicarium generalem proprie non habet, quamvis alicui sacerdoti generalem delegationem conferre possit eumque Vicarii generalis nomine decorare. Quare non putaverim talem Vicarium generalem Ordinariis accenseri, nisi cum, deficiente Vicario, omnis administratio Vicariatus ad eum devolvitur.

Quid autem **iuris.**

De promissione *unilaterali ?*

De *incompleta sponsalium pactione ?* Talis est, v. gr. promissio mutui faciendi sponsalia ; promissio mutua matrimonii quidem, sed quae propter defectum in accurata personarum designatione, pro alio contractu habetur (cfr. supra n. **24**, nota 4).

A mente quidem legislatoris non longe aberrare suspicamur, qui haec omnia valore privari declaret. Nec mirationem nostram moverit authentica istius comprehensionis intercesserit definitio. Donec tamen intervenerit, notis principiis de stricta interpretatione nullitatum et correctionum iuris moti, pactionibus istis vim agnoscimus parienti naturalem obligationem. Sic etiam Card. GENNARI, op. cit. p. 20.

29. 2. **Quid** *de stipulationibus secundariis* quibus principalis promissio non numquam confirmatur ; de *arrhis*, v. g. vel de *iuramento confirmatorio ?*

R. De stipulationibus secundariis valet illud celebratissimum : accessorium sequitur principale. Quare si mere accesserint ad firmandam obligationem verorum sponsalium, haec, cum nulla sint, stipulationibus istis confirmari nequeunt. Sed cum pactione principali cadunt omnes istae stipulationes secundariae. Si autem partes intenderint vel clausulam poenali, vel obligatione religionis, ex iuramento, alio modo ac per sponsalia mutuam sibi securitatem dare matrimonii futuri, dummodo honesta sit obligationis causa, intentionem istam efficacem arbitramur. Iuramentum tamen poterit auctoritate ecclesiastica, sine laesione tertii, relaxari. Nulla enim est laesio proprie dicta ubi non est aliquod ius violatum vel neglectum. Idem videtur sentire BESSON, l. c. p. 613, nota.

30. 3. Testis *qualificatus*, qui solus sufficiat, estne parochus *quilibet* an *proprius* alterutrius contrahentium, an *loci* ubi scriptura conficiatur ?

R. Prima specie dixeris omnem verum parochum in testem qualificatum assumi posse. Etenim, ut aiebat Consultor Ill. D. SILI, disserendo de parocho cuius Tridentinum Conc. praesentiam postulat, « Legislator quod voluit expressit, quod noluit, tacuit [1]. » Nec dissimili modo R. D. BOUDINHON [2] contendit iurisprudentia potius factum esse ut necessitas, ad actus valorem, proprii parochi extra dubium poneretur.

Age porro, sicut Conc. Tridentinum, in ipso loco ubi ad valorem necessarium esse dixit ut matrimonium coram parocho contraheretur, simpliciter dixit « Qui aliter quam praesente parocho » nec addidit, *proprio*, ita in nostro canone de sponsalibus, vox parochi ponitur sine aliqua addita qualitate, dum in canone 3, de matrimonio, limites competentiae parochorum accurate assignantur.

Huic tamen interpretationi repugnat ratio legis. Cur parochus quilibet, cui partes maxime ignotae esse possint, ut testis privilegiatus assumi permittatur, causa nulla apparet. Obstare videtur etiam obvia verborum interpretatio. Dictum « coram parocho » ultro intelleguntur « coram eo parocho quem oeconomia legis competentem fecerit ». Gallice verba sic reddideris : *en présence du curé*, non autem, *en présence d'un curé*

---

[1] Cf. Votum, ACTA S. SEDIS, 40, p. 534. Argum. c. ad audientiam, 12 De decimis (III, 30).

[2] CANONISTE CONTEMPORAIN, 30 (1907), p. 657 ss.

Obstat etiam doctorum placitum. Namque et Card. GENNARI, et BESSON, parocho proprio competentiam circumscribunt. Cfr. BESSON. l. c. p. 618, GENNARI, op. cit. p. 21.

Magis etiam ex omni legis oeconomia perspicitur, parochum non eum intellegi qui proprius sit ratione domicilii vel quasi-domicilii. Renascerentur enim quaestiones intricatae quas nova lex voluit amandatas. Dicemus itaque, cum modo laudatis auctoritatibus, competentem esse *parochum loci* ubi fiat actus. Commendat tamen Card. GENNARI, ut coram proprio personarum parocho sponsalia regulariter fiant, vel saltem alius parochus de factis sponsalibus parochum proprium faciat certiorem. Quamquam, deficiente legis praecepto, id imponere non audet.

Patet etiam parochum quemlibet posse ut testem *communem* cum alio teste advocari.

31. 4. Potestne parochi vel ordinarii *delegatione* alius constitui testis privilegiatus : qui solus sufficere queat ?

Delegatio intellegi possit *generalis*, vel ad universum munus parochiale, aut saltem ad omnes causas matrimoniales, vel *particularis*, ad munus testis in sponsalibus exercendum. Loquendo nunc de *altera* hac delegationis ratione, nam prior in n. II examinabitur, respondemus, contra ac BESSON (p. 618) sentire videtur, delegatum a parocho vel ab Ordinario non posse ut unicum testem sufficere in sollemni sponsalium forma. Ratio cum ex rei natura tum ex contexta oratione petitur. Delegatione enim iurisdictio vel facultas communicatur [1], non autem parochi qualitas, nec, consequenter, munus *testis authorizabilis* huic qualitati coniunctum. Num notarius vel officialis qui actus civiles status recipere debet, alios in suum locum substituere possunt ? Quare, cum agitur de matrimonio, lex diserte (idque arbitramur necessarium fuisse) statuit illud celebrari posse « coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato » (Can. 3). Hic contra, nulla mentio fit de delegato. Nulla etiam est specialis causa huius delegationis permittendae : facile enim alter testis adiungitur, et ipsum matrimonium bene etiam sine sponsalibus contrahitur.

32. 5. **Quid iuris** de *sponsalibus acatholicorum ?*

R. Ex canone 11 praesentis decreti, illud habemus, sponsalia haereticorum vel schismaticornm, catholicae sponsalium formae non esse obnoxia. Aliud per se dicendum est de sponsalibus inter catholicos et acatholicos, salvo speciali quarundam regionum iure.

Canon iste postea ex professo declarabitur. Modo tantum in gravissimum huius exemptionis corollarium lectores intendere velimus. Talis enim est, ut clandestinis acatholicorum sponsalibus omne remedium auferat. Namque, praeter ecclesiasticam auctoritatem, nulla alia valet ad formam efficaciter imponendam. Simul autem exemptio est ita circumscripta, ut formam tantum afficiat, nullatenus alias canonicas leges, v. g. impedimentorum. Fit itaque, ut ex compluribus acatholicorum sponsalibus oriturum sit impedimentum dirimens publicae honestatis, quod in iisdem adiunctis catholicos non attingeret. Cum tamen impedimentum istud

---

[1] Optime WERNZ n. 180, observat de improprie tantum dicta delegatione hic agi posse. « *Concessio licentiae* assistendi non est actus iurisdictionis qua alteri *vere delegatur iurisdictio* ecclesiastica, sed potiore iure dicitur *substitutio* alterius testis authorizabilis, vi facultatis a Conc. Trid. acceptae, quae cum delegatione magnam abet *similitudinem*. »

neglegant acatholici, non pauca rursus ipsorum matrimonia nulla erunt in foro canonico, et quidem sine utilitate boni communis, cum eadem matrimonia inter catholicos valerent. Nescio an huiusmodi corollarium a mente legislatoris satis longe absit.

33. 6. **Quaeres** *de iure sponsalium* quo in posterum uti debeat *Hispania*, id est, num, a proximo Paschate sponsalia ibi coram notario contrahi debent ut valeant ; num contracta coram eodem valebunt ?

R. A proximo Paschate sollemnitates decreto *Ne temere* praescriptae solae requiruntur et sufficiunt. Lex enim, ut postea dicetur, omne ius contrarium amplissima clausula abrogat, ita ut pro solis sponsalibus vel matrimoniis *mixtis* peculiare confirmet regimen a S. Sede inductum. Nec causa perspicitur ob quam Hispaniae servandum sit speciale istud regimen supra descriptum. Ipsa enim civilis lex de sponsalibus sollemnibus est ibi abrogata. In foro autem canonico, optabatur tantum ut sponsalibus clandestinis afferretur remedium, quod etiam nova lege satis efficax praestatur. Itaque, contracta coram notario valebunt plerumque, quia praeter notarium duo alii testes interesse solent ; sed notarii praesentia non erit iam necessaria. Sic etiam Ferreres, Razon e Fe, XIX, p. 363, n. 51. 52.

34. 7. **Quaeres** qua ratione sponsalia fieri possint *inter partes absentes*, ut si, v. g. altera Americam, altera Europam incolat ?

R. Hac duplici, ni fallimur, ratione :

1. Singulae partes coram duobus testibus vel parocho loci scripturam subscribant qua matrimonium promittant et alterius factam vel futuram promissionem matrimonii acceptent. Sponsalia sic per litteras facta tum censentur perfecta, cum pars quae prior misit epistulam (puta Titium), alterius partis (Caiae) acceperit responsum continens huius acceptationem et repromissionem. Si tamen Titius ex nunc iam Caiae repromissionem acceptare declaraverit, sponsalia perficientur post acceptas a Caia litteras Titii et factam ab ea repromissionem, v. g. per epistulam quae officio postali sit commissa. Ante perfecta sponsalia, copia utrique parti manet consensum revocandi. Cfr. Gasparri, *De matrimonio*, n. 32.

Age porro, sufficere putamus ut sic scriptura subscribatur coram distinctis testibus, quia communis haec est condicio contractuum qui per scripturam privatam fieri permittuntur, et quia vix alia commodiore ratione fieri possunt sponsalia inter absentes : quod tamen sponsalium genus Legislator supprimere noluit. De tali enim voluntate, ne minimum quidem exstat vestigium. Nulla etiam clausula postulat ut testes *simul utriusque* consensum, per scripturam datum, testari possint. Sed cfr. nunc t. 4, n. 282 ad 1.

2. Altera pars procuratorem constituat specialem, ad contrahenda sponsalia cum tali determinata persona ; qui procurator, coram duobus testibus vel parocho, scripturam simul cum altera parte subscribat. Procurator is non poterit alium in suum locum substituere nisi id sit sibi concessum ; et invalide aget, si interea mandans consensum, etiam per actum internum, revocaverit. Haec enim de procuratore matrimoniali statuit Bonifatius VIII. c. ult. De procuratoribus in 6o, quod ius auctores ad sponsalia communiter traducunt. Cfr. Gasparri, n. 33, 834, et Wernz, n. 97, b. p. 143.

Ferreres quidem (n. 67, 4) putat sponsalia per procuratorem iam fieri non posse, quia canon scripturam exigat a partibus subscriptam. Verum,

cum de suppressa ista delegationis facultate nullum in actis sit indicum, cum lex ipsa non dicat « per scripturam a partibus *personaliter* subscriptam », putamus valere receptum istud : censemur ipsi facere quod facimus per procuratorem. Praeterea cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, postulabat ut partes coram parocho contraherent, sicut canon praesens exigit ut partes coram testibus scripturam sponsalium subscribant. Quamvis itaque nulla mentio de procuratore esset in lege, censuerunt nihilo minus scriptores, integrum esse partibus ut per procuratorem, sicut antea, contraherent. In causa nostra, idem arbitramur esse dicendum.

Attamen, cum canon de sponsalibus scripturam exigat a *partibus subscriptam*, Patri FERRERES (n. 67, 5) astipulamur contendenti iam non posse parentes pro filiis praesentibus et non contradicentibus (vel absentibus et postea tacite saltem actum ratum habentibus) sponsalia valida contrahere ex tacito filiorum consensu. Huiusmodi pactione soli ligarentur parentes. Cfr. WERNZ, n. 97, nota 65.

II. QUINAM VENIANT NOMINE PAROCHORUM

Canon II

Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae ; sed in regionibus ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiperatur ; et in missionibus ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

35. I. **Varia parochorum genera.** Ex canone II, triplex ratio qua regiones dividuntur triplicem fundat *parochi* notionem, Regio enim :

Vel *canonice erectas* habet paroecias ; ita Belgium, Gallia, Italia, parochus tunc est qui paroeciae legitime praeest.

Vel, quamvis canonice erectis paroeciis careat, *divisa* tamen habet *territoria*, quae v. g. missiones appellantur, et proprio donantur rectore ; ita in Anglia, Statibus Foederatis Americae septemtrionalis : parochus tunc est qui huiusmodi territorio instar parochi praeficitur.

Vel *ne divisa quidem* sunt *territoria*, perfecte saltem ; ita in magis proprie dictis missionibus ubi stationes distingui consueverunt : et tunc parochi nomine venit « omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus ».

Fatendum tamen est exsistere et quartam rationem qua *parochiale munus* assignatur ; id est, non territoriale, sed *personale*. Etenim, in locis ubi varii ritus simul habentur, non raro singulorum rituum communitatibus suus cuique parochus tribuitur, quem usum nuperrime etiam confirmavit S. Pontifex Bulla *Ea semper*, 14 iun. 1907, de ordinando ritu Rutheno in Foederatis Statibus Americae septemtrionalis. Immo, in pluribus eorundem Statuum civitatibus usus fert ut pro natione unde oriundi sint (Germani, Poloni, Americani) fideles suum sortiantur parochum, vel etiam ut quandam parochi optionem exerceant ita ut eum habeant in cuius ecclesia taxam scamni (*pew-rent*) solvere voluerint. Personalis ista parochorum distributio nec paucis nec levibus quaestionibus, ut in ipsa re nostra videbimus, dat locum. Similia alibi etiam occurunt.

II. **De singulis generibus pauca sunt observanda.**

36. 1. *Paroeciae canonice erectae* legitime praeest, ac proin parochi nomine venit : parochus inamovibilis vel amovibilis (succursalista in Belgio), vicarius curatus perpetuus vel temporalis capituli vel conventus vel collegii penes quod sit habitualis cura, oeconomus vel provisor vel ille, quocumque nomine vocetur, qui paroeciam vacantem administrat, vicarius-pro-parochus aut coadiutor, qui a parocho vel ab Ordinario universalem acceperit deputationem ad curam animarum exercendam *loco parochi* diutius absentis vel impediti, nisi assistentia matrimoniorum vel sponsalium *positive* excludatur. (Excludi etiam pariter potest sola facultas delegandi assistentiam.)

Quid autem de *vicariis* vel *coadiutoribus* parochorum absentium ad paucos dies, vel adeo praesentium ?

Per se nomine parochorum quod ad matrimonia vel sponsalia illi non veniunt. Nec specialis deputatio eosdem testes privilegiatos sponsalium fecerit. Parochis tamen satis aequiperantur, si vel ex usu dioecesis (ita Parisiis primus saltem vicarius, non autem in Belgio), vel expressa parochi seu Ordinarii voluntate, facultas pro matrimoniis *in generali deputatione* putetur contenta. Cfr. resp. S. Officii, 7 sept. 1898. (Coll. P. F. ed. 2 n. 2020.)

Atque, ex generali facultate pro matrimoniis facta, iidem, cum ex *officio* in ministeriis parochialibus iam versentur, qualitatem, nostra sententia, accipiunt ut testes unici sponsalium validorum esse possint [1].

Quocirca etiam, ni fallimur, generalis communicatio facultatum, inclusis matrimoniis, quam Vicarius Apostolicus suo dederit vicario generali improprie dicto, hunc testem facit privilegiatum pro sponsalibus.

Si qua autem delegatio, etiam generalis, separata ab huiusmodi officio quasi-parochiali exstiterit, hanc non putamus valere ut delegatus possit tamquam *parochus*, qui solus sufficiat, sponsalia subscribere.

37. 2. *Divisis territoriis* pro parocho est missionis rector. De iis qui deficientem aut absentem suppleant, vel praesentem adiuvent rectorem, perinde erit dicendum ac de vicariis et coadiutoribus parochorum.

38. 3. *In missione non perfecte divisa*, parochorum facultatem habent quotquot a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter sunt deputati.

Missionis moderator est Vicarius Apostolicus, Praefectus Apostolicus, et ubi horum neuter habetur, Superior missionis : Omnis rector, ait Card Gennari, qui a Sancta Sede immediate dependet. Moderator non est Superior regularis, distinctus a Superiore missionis.

In huiusmodi autem missionibus, alii Sacerdotes in variis stationibus residere solent, cum generali deputatione ad ministeria sacra ; alii in collegiis vel certis domibus definitum officium exercent. Priores, canone nostro secundo parochis annumerantur, non autem posteriores.

Sed si missionum moderator aliquem ex his, etiam ad tempus, universali deputatione munierit, iam parochorum facultatem habebit. *Stabilis* enim deputatio non exigitur, sed tantum universalis. Quare ipse Superior regularis missionum, quamvis nulli stationi sit addictus sed omnes visitare

---

[1] De ista qualitate, cfr. Feije, op. cit. n. 285-296 ; Gasparri, n. 908-915 ; De Becker, p. 100 C ; Wernz, n. 176 (p. 169 ss.)

soleat, plerumque, pro facultatibus acceptis, inter parochos locum habebit.

Notetis autem omnes istos per se cumulativam, in missionibus non divisis, habere facultatem, nec tantum in statione sua [1]. Lex enim iam non ei qui stationi praeficiatur, sed omni sacerdoti qui in *aliqua* statione sit deputatus, qualitatem parochi tribuit.

Sin minus, quodnam discrimen foret inter has et modo superius descriptas regiones? Accedit ratio, quia in missionibus expeditior et minus circumscriptus requiritur facultatum usus.

39. 4. Denique ubi *plures parochi in eodem loco* exsistunt, quamvis singuli singulis ritibus vel communitatibus praesint, unum quemque arbitramur qualitate testis privilegiati pro sponsalibus esse praeditum. Conclusio ista maiore ratione efficitur ex dicendis de parocho competente pro matrimonio. Praeterea, sicut in variis missionis non divisae stationibus competens est quicumque pro animarum ministerio generaliter approbatur, sic etiam varii eiusdem loci parochi competentes esse videntur.

Observes nos hic agere de *parochis* qui sponsalium singulares testes esse possint; nondum autem de *fidelibus* qui formam novi decreti observare debeant.

§ 2. De sollemnitatibus matrimonii

Sollemnitates matrimonio praescriptae canonibus 3-8 inclus. proponuntur, et videnter hoc modo capitulatim exhiberi posse:

Canon 3. Summa iuris de substantiali sollemnitate:

Canon 4-6. Celebratio regularis coram ministris sacris et testibus.

1. Coram ministris sacris qui *iure proprio* assistant:
   a) *valide* (canon 4),
   b) *licite* (canon 5).
2. Coram *delegato* assistente valide et licite (canon 6).

Canon 7. De forma servanda, imminente mortis periculo;

Canon 8. De forma servanda, deficiente ministro sacro.

I. Summa iuris de substantiali sollemnitate

Canon III

Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur.

40. Canon tertius perspicuis verbis hanc substantialis sollemnitatis regulam tradit tamquam universalem: ut valeant matrimonia, debent contrahi coram parocho aut loci Ordinario vel coram sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus.

---

[1] Paulo aliter dicere videtur BESSON, l. c. p. 616.

Monemur simul regulam istam perficiendam esse declaratione quae infra apponitur ; et quibusdam exceptionibus, dein tradendis, temperari.

Parochus vel *loci Ordinarius* quisnam sit in hoc decreto intellegendus, id iam supra est explicatum. Cfr. can. 2 eiusque declarationem (n. **34-39**).

Et patet hic ut alibi intellegi posse parochum cum verum, tum etiam qui *errore communi* verus putetur, saltem si *titulo colorato* sit instructus.

De *testium* qualitate nihil edicitur. Firmatur itaque ius superius, quo omnis testis naturaliter habilis admittitur, facta tamen commendatione, ne, ubi facilis copia sit testis catholici, sumatur acatholicus. Cfr. art. 1, § 2 n. **8**.

Nec de modo quo *praesentes* adducti sint testes quicquam statuitur, ita ut rursus subsistant iam usu vigentes regulae. Itaque :

a) Valori matrimonii non obstat testes advocari praeter exspectationem et plane invitos, deceptos fraude vel metu coactos. Conclusio firmatur eo quod in voto suo de nova condenda lege R. D. Lombardi suaserat ut caveretur ne testes valide interessent nisi rogati : quod non est lege contentum.

b) Testes nihil agere debent, sed satis est ut simul, non successive [1], mutuum partium consensum signo non ambiguo manifestatum perceperint.

c) Testium et parochi praesentia requiritur simultanea.

Debetque esse *formaliter* a partibus *volita*. Requiritur enim « ut sponsi saltem de facto et implicite, in ipso actu celebrationis matrimonii, signis indicent, se scienter illos ut testes adhibere velle. » Wernz, n. 192, p. 298, 4.

Formaliter inquam volita, non quatenus aliqua testium electio vel designatio sit necessaria, vel postulatio quibusdam astantibus facta ut de celebrato matrimonio fidem facere sint parati, sed quatenus consciae de praesentia personarum quae ex aptis signis mutuum deprehendant consensum, partes sic contrahere voluerint. Cfr. resp. S. C. de Prop. Fide pro Sinis, 2 iul. 1827, ad 2, « Utrum... quando... matrimonium... ii contrahunt... coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque conjugis, qui celebrationi matrimonii assistunt, non rogatis testibus determinatis, neque formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures qui licet nec rogati nec formaliter adhibiti fuerint de matrimonio tamen more patriae inito et de consensu utriusque coniugis, si non verbis, signis saltem sensibilibus expresso possent facere fidem si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum ? — Ad 2. Affirmative, quatenus testibus certo constet de praestatione consensus. » (Coll. P. F. ed. 1, n. 1401 ; ed. 2, n. 794.)

---

[1] Cfr. resp. S. C. P. F. 2 iul. 1827 ad 3. (Coll. P. F. ed. 1, n. 1401 ; ed. 2, n. 794.)

II. Celebratio regularis matrimonii coram ministris sacris qui iure proprio intersunt

A. *Qua ratione assistant valide*

Canon IV

Parochi et loci Ordinarii valide matrimonio assistunt :

1. *A die tantum adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi ;*

2. *Intra limites dumtaxat sui territorii : in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum, valide assistunt ;*

3. *Dummodo invitati ac rogati et neque vi neque gravi metu constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.* »

Itaque ut valide assistant, condiciones quaedam requiruntur in *persona*, in *loco*, in *modo*. Has definiunt tres canonis IV partes.

41. 1. **In persona** parochi vel Ordinarii, requiritur *positive* ut possessionem beneficii sint adepti vel officium iniverint ; *negative* autem, ne sint publico decreto nominatim excommunicati vel ab officio suspensi.

Dispositio ista, quae iam canone III schematis die 14 iulii 1906 propositi [1] continebatur, derogat iure priori, cuius opposito tenore melius intellegitur. Itaque :

a) Iure hactenus vigente valebat matrimonium contractum coram testibus et parocho iam quidem nominato, sed nondum misso in possessionem [2], dum nunc oportet ut locum habuerit ea quae dicitur « *inthronizatio* » vel « *installatio* », id est legitima apprehensio dignitatis seu officii, vel legitima a competente auctoritate facta introductio in officium [3]. Si beneficium non habuerit sed officium, v. gr. Vicarius generalis, a die quo officium exercere coeperit erit matrimoniorum testis authorizabilis. Besson, Nouv. Rev. Théol., t. 40 (1908), p. 27.

Ut patet, potestatem habebit quamdiu officium possederit. Besson, ibidem. p. 28.

42. b) Iure hactenus vigente, parochus, quamdiu qualitatem parochi seu legalem paroeciae possessionem servabat, tamdiu valide matrimoniis intererat [4]. Nunc autem nominatim excommunicatus [5] vel suspensus, iam amittit suam competentiam.

---

1 Etiam proposito isto canone, excludebatur suspensus ab officio, et expresse addebatur, interpositam appellationem non officere quin nominatim excommunicatus vel suspensus facultate assistendi matrimoniis excederet.

2 « Dummodo, sic Gasparri, n. 908, eius praedecessor possessionem non retineat, et dummodo ex peculiari statuto vel consuetudine, traditio possessionis non sit pro ipsius collationis validitate necessaria. » Cfr. Wernz, n. 176, p. 171, nota, qui insinuat valori matrimonii facile periculum oboriri si parochus antea interfuerit.

3 Qui maiorem obtinet dignitatem generatim per se ipse possessionem capere (ostensis v. g. litteris apostolicis) non prohibetur ; qui minorem vero, saepe a Superiore possessionem obtinere debet. Cfr. Wernz, *Ius Decretalium*, Tom. 2. *Ius constitut. Eccl. cath.* n. 446 et 739.

4 Gasparri, n. 921.

5 Stricte istud sumens, R. P. Ferreres (n. 91) putat valide assistere notorium

Suspensio tamen cum detur a *beneficio*, perceptionem fructuum benificialium et administrationem beneficii auferens ; et ab *officio* : ex ipsis decreti verbis, perspicitur competentiam parocho non auferri nisi ab officio sit suspensus. Sed ipsa haec suspensio totalis vel partialis esse rursus potest. *Totalis*, quae omnem actum potestatis ecclesiasticae afficit : *partialis*, quae a solo ordine vel a sola iurisdictione suspendit. Ac suspensionem a solo *ordine* non sufficere, satis clare constare arbitramur. Quid autem de suspensione a sola *iurisdictione* ? Hanc prima specie sufficere dixeris ut parochus iam assistere nequeat. Assistentia tamen matrimonii non est actus iurisdictionis sed exercitium muneris *testis authorizabilis* [1]. Quare, cum simus in re odiosa, dicemus in articulo nostro non intellegi, ad privandum parochum iure assistendi matrimoniis, nisi suspensionem plenam ab officio, vel partialem, si iusta fuerit causa, ab assistentia matrimoniorum.

Excommunicatio porro vel suspensio quae huiusmodi effectum habeat, debet in vim rei iudicatae transiisse. Unde, appellatio in *suspensivo*, ut aiunt, quae effectus sententiae supendit, effectum nostri articuli etiam impedit. Ita dicimus ex rei natura. Et confirmamur, eo quod Consultor proponebat ut scriberetur, « non obstante appellatione », et haec verba non sunt admissa. Cfr. notam hic supra modo exscriptam ad n. **41**.

43. 2. **In loco** dein oportet ut parochus vel Ordinarius intra limites *territorii* sui agant.

Occurrit hic principalis novi iuris sanctio, et velut cardo reformationis utilissimae : quod ad valorem attinet matrimoniorum, competentia parochi vel Ordinarii facta est *territorialis*. Parochus vel Ordinarius, in suo territorio *omnibus* valide assistentiam praebent ; extra autem territorium, *nulli*. In proposito schemate, reformatio timidior proponebatur ; proprio enim parocho servabatur competentia personalis, qua ubique potuisset suorum matrimoniis valide interresse. Sed, ut in suo voto observabat Secretarius, « abolita disciplina parochi *proprii*, atque extensa facultate parochis valide assistendi matrimoniis etiam non subditorum,... quaelibet necessitatis aut utilitatis ratio desinit ut parochus assistat matrimoniis proprii filiarii in aliena ecclesia [2]. »

Territorium, pro *parocho* (stricte vel late sumpto) est parochia, missio perfecte divisa, vel regio in qua generalem animarum curam accepit ; pro *Ordinario* vero, est dioecesis (non autem provincia ecclesiastica, nisi forte metropolitanus visitatoris officio in dioecesi suffraganei legitime fungatur [3]), Vicariatus, Praefectura apostolica, etc.

Quod si plures parochi sint in una paroecia (seu proprie dicti, ut in paucis [4], seu late dicti, ut in multis) omnes valide interesse posse, iam olim erat declaratum. Ita Gasparri de pluribus qui lato sensu sunt parochi, n. 918.

---

clerici percussorem, quamvis vitandum, cum non sit nominatim excommunicatus, valide etiam qui publici criminis haeresis vel schismatis sit reus. Cfr. Razon y Fe, nov. 1907. t. 19.p. 372.

[1] Wernz, *Ius matrimon.* n. 180. Cfr. Gasparri, n. 921.
Acta S. Sedis, 40, p. 564, nota.
Wernz, n. 176, nota 178, p. 271.

[2] Ni fallimur, in ecclesia Tiburtina.

44. Quid autem in regionibus ubi parochi vel Ordinarii *eorundem* vel *variorum rituum* distinctos catholicorum coetus pascunt ?

Quaestio ista difficultate non vacat. Eamque dirimere nobis difficile fuerit, cum principio careamus quo utamur ad ratiocinandum. Cum distinctae omnino sunt communitates, qui uni praeficitur videtur alteri nequaquam esse parochus vel Ordinarius. Est tamen *in loco* parochus ; et, deficiente ritus proprii communitate, sacerdotem alterius ritus adire possumus et debemus. Quare in sententiam hanc potius propendemus, ut in omni parocho vel Ordinario loci, testem agnoscamus authorizabilem. Confirmamur eo quod de iure hactenus vigente scribit GASPARRI [1] « Parochus autem schismaticus orientalis, vulgo pope.... valide assistit matrimonio tum catholicorum tum acatholicorum ; et si adest quoque, praeter popum, parochus catholicus, uterque assistere potest. »

Nostrae conclusioni astipulatur BESSON [2], quatenus verbis legis sit standum, namque propter faciles gravium discidiorum occasiones quae cumulativa huiusmodi competenia parantur, certa sententia danda abstinet.

Difficultas augetur in parochis *mere personalibus*, qui definito territorio carent. Tales sunt, teste FERRERES [3], parochi ritus mozzarabici in Toletana civitate, tales parochi castrenses Hispaniae. Priores tamen munus exercent in definito templo, quod posteriores habere proprium non solent. Utrum itaque dices parochos mere personales non posse matrimonia celebrare nisi in propria ecclesia, si quam habeant, in nullo autem loco, si ecclesia careant, an contra, ipsorum ius et competentiam admittes in omni territorio ubi sunt personae ipsis subditae, id est pro parochis mozzarabicis, in toto municipio Toletano, pro castrensibus, in toto districtu ubi versatur pars copiarum cui praeficiuntur ? Donec facta sit declaratio authentica istius dubii, posteriores has partes tenemus, praesertim cum minus sic recedatur a iure pristino, quo proprius parochus erat ubique competens, et a mente legislatoris, quae non fuit ut parocho cuipiam omnem adimeret facultatem assistendi, sed potius ut planiores faceret condiciones validae assistentiae.

45. 3. **In modo** denique, exigitur ut invitati ac rogati. et neque vi neque metu gravi constricti, parochus vel Ordinarius requirant excipiantque contrahentium consensum.

Modus iste imponitur ut condicio *sine qua non* assistentiae validae. Dicitur enim, *Dummodo*. Et finis in actis clare apparet. Ad consulendum dignitati sacramenti et parochi, efficaciter impedire voluit legislator ne insidiose vel violenter necessariam ministri sacri obtinerent praesentiam.

Si iam verba legis consideremus, legitimus iste modus tribus partibus concrescit.

---

[1] Op. cit n, 921, post d'ANNIBALE, III, 461, nota 62. Ita respondetur quia C. PAULI V, *Cum ex apostolatus*, 15 feb. 1559, qua publice haeretici et schismatici suo beneficio, ac proin iurisdictionis t.tulo ante omnem sententiam privantur, Orientales schismaticos non afficit. Hinc fit ut Episcopi schismatici Orientales, parochos valide instituant.

[2] NOUV. REV. THÉOL. t. 40 (1908), p. 32.

[3] In sua interpretatione, n. 150-154. Ipse (n. 155-159) suadet ut vel Ordinariis mandetur ut parochiis personalibus assignetur territorium, vel ut exceptio canoni V, § 2, apponatur : « nisi subditi sint parochiarum personalium : hi enim licite tantum contrahent iaxta peculiares leges canonice statutas. »

a) Oportet ut parochus vel loci Ordinarius invitati ac rogati fuerint. Qua condicione efficaciter cavetur ne insidiose atque ex inopinato ut testes assumantur. De aliis dolosis artibus tacet decretum.

Nullo tamen pacto exigitur ut alio loco quo ipsum matrimonium invitatio sit facta. Possunt itaque partes parochum adire de matrimonio nihil cogitantem et ipsum rogare ut matrimonii e vestigio testis esse velit. Sufficit etiam tacita et implicita invitatio.

b) Ultronei debent parochus vel Ordinarius esse testes, quatenus nulla vi vel gravi metu coacti matrimonio intersint : clausula ista minas et violentias efficaciter excludit.

Secundum verba legis, *omnis* gravis metus exsulare debet ; non tantum iniustus sed etiam iustus ; nec eum tantum quem partes incusserint, sed a quocumque proficiscatur auctore, dummodo fuerit *exstrinsecus*, et ad contractum matrimonii directus.

c) Parochus vel Ordinarius requirere et excipere debent contrahentium consensum.

De ipso modo praeterea plura dubia sunt brevibus verbis tractanda.

46. a) Num tertia ista condicio, ut parochus vel Ordinarius loci requirant excipiantque contrahentium consensum, eodem rigore postulatur quo duae priores ? Sistant se v. g. partes coram parocho, invitato et ultroneo teste ; atque ibi, nulla interposita mora, sponte mutuum de praesenti consensum exprimant. Nonne hoc satis erit ut lex observetur, an debebit praeterea parochus sponsos formaliter interrogare et novam obtinere consensus manifestationem ?

Si solum respexeris legis finem, illud facile intellexeris esse caput ut parochus a vi atque insidiis sit tutus. Intentio ista se prodidit ab initio, et in mente expressa est S. Congregationis, 20 maii 1905 : « *Che il parroco debba assistere al matrimonio, rogato e volontariamente, di maniera che restino aboliti tuti i matrimoni fatti per sorpresa* [1]. » Non aliter Ill. D. Sili, ut dignitati sacramenti prospiceretur, oportere scripsit ut invalidum sit matrimonium « cui parochus aut alius pro eo non rogatus assistat aut ad assistendum vi vel gravi metu cogatur [2] ». Haec quidem pro benigna conclusione, qua sufficere dixeris ut parochus ultroneus ac invitatus sit testis, facere possunt. Nihilo minus sententiam severiorem amplectendam esse ducimus. Etenim **a**) Verba de formali interrogatione non fere casu et sine reflexa attentione apposita sunt, sed contra, ex concepta intentione sunt superaddita. Hinc fit ut clausulae substantiali inserta, ipsius clausulae necessitatem participare videantur ; **b**) Nec ratio deest ut formalis interrogatio requiratur. Condicione ista magis cavetur ne matrimonia ex inopinato fieri possint ; interrogando et excipiendo responsa, magis constat ipsum parochum ultroneum testem fuisse et ultroneum partium excepisse consensum, ita ut non paucae praecidantur lites.

Consulto autem et deliberate haec verba fuisse inserta, ex ipsa Actorum relatione perspicitur. Consultor enim Ill. D. Sili, hoc modo canonem scripserat : « Matrimonium, ut validum sit, contrahi debet coram parocho

---

[1] Acta S. Sedis, p. 531. Latine : « Parochus rogatus et ultroneus testis assistere debeat matrimonio, ita ut suppressa maneant omnia matrimonia ex inopinato facta. »

[2] Acta sanctae Sedis, p. 538.

vel Ordinario, qui sint rogati [1]. » Pariter defensor vinculi, R. D. Lombardi hoc modo suum octavum redegerat canonem : « Infirmantur prorsus quaelibet coniugia quae ex inopinato vel coram parocho invito attentari contigerit [2]. » Secretarius tunc S. Congregationis canonem II proposuit ita sonantem: « Ordinarius vel parochus, ut valide assistat, debet esse rogatus, et requirere ac excipere matrimonialem contrahentium consensum [3]. »

Schema tamen quod, post consultationem Commissionis de novo Codice est confectum, simpliciter habebat : « Parochus vel Ordinarius, aut sacerdos delegatus, ut valide assistant debent esse rogati nec contradicentes [4]. » Denique, in schemate novo quod Secretarius in coetu 26 ian. 1907, can. III proposuit, ad formam praesentem fere est perventum : « Ordinarius loci et parochus, vel sacerdos qui loco parochi est..... non possunt valide matrimonio assistere,.... nisi sint ad matrimonium celebrandum rogati ac requirant et excipiant praescriptum contrahentium consensum [5]. »

Praeterea, iam ante legem nostram, plures auctoritates videntur huiusmodi condicionem in votis habuisse. Sic WERNZ scribebat iure tridentino partibus non licere ut antequam a parocho interrogentur, consensum suum mutuum exprimant : quod iudicat a congruente sponsae pudore alienum, et inopportunum pro testibus qui « non raro de illo consensu praepostere dato difficulter deponere possent ». Deinde addit : « Ex natura rei nihil obstaret, quominus Ecclesia sollemnes illas interrogationes et responsiones in Rituali Romano ad *licitam* celebrationem nuptiarum statutas requireret ut *sollemnitates essentiales*.... Qua disciplina instituta, parochi, qui nunc in ordine ad *valorem* matrimonii sola sua assistentia passiva interveniunt, sed contra improvisas nuptias et sponsorum dolos sunt fere inermes, melius essent protecti. » *Ius Decretalium*, t. 4, n. 190, nota 273, p. 305.

Patet autem parochum cui intercepta sit loquela, posse per nutum, scriptum vel per interpretem, consensum istum rogare et excipere.

47. Conclusio nostra **corollarium** inducit non spernendi momenti. Anno 1867, die 30 ian., interrogatum quid iuris de matrimoniis eorum qui fidem quidem abiecerant sed nulli alli religioni vel sectae nomen dederant, S. Officium respondit « Quando parochus nullo modo potest huiusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur), et prudenter timet ne ex denegata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, rem deferendam esse ad R. P. D. Episcopum, qui sicut ei nunc opportuna facultas tribuitur, inspectis omnibus casus adiunctis, permittere poterit ut parochus matrimonio *passive* intersit tamquam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae prolis aliisque similibus condicionibus ; » et anno 1899, 11 ian., declaravit facultatem istam, facta verbo cum Sanctissimo, omnibus Episcopis competere.

---

1 ACTA SANCTAE SEDIS, p. 540, can. I.
2 Ibidem, p. 548.
3 Ibidem, p. 565.
4 Ibidem, can. 5, p. 570.
5 Ibidem, p. 573.

De *massonibus* autem vel adhaerentibus sectae clandestinae damnatae, anno 1867, confirmatum est decretum 28 iun. 1865, quod sic sonat : « dummodo absit scandalum, Ordinarius, habita circumstantiarum ratione pro casibus particularibus, ea decernat quae magis expedire iudicaverit. »

Age porro, cum passiva assistentia ad valorem iam non sufficiat, quaeri potest utrum necne in posterum, possint, ex Ordinarii auctoritate, parochi *activam* assistentiam praestare, ubi sola passiva permittebatur. Quod omnino affirmandum censemus, cum P. Besson, Nouv. Rev. Théol., t. 40, p. 36. Sed cfr. decr. S. Officii, 21-23 maii 1912.

48. b) Satis est ut *alterutra* pars parochum invitaverit ac rogaverit ; nullo pacto requiritur *utriusque* partis nomine facta invitatio. Postulatur enim invitatio ut parochus sit tutus ab insidiis, minime autem ut iam ipsa invitatione demonstretur consensus in matrimonium.

c) Parochus dum praesentiam suam non recusat, minime ipsum matrimonium approbare censetur neque huiusmodi approbatio lege requiritur.

49. d) Fieri potest ut parochus officio suo desit, ac contra contrahentium ius nolit eorum matrimonio interesse. Nec tunc, ut diximus, possint, salvo matrimonii valore, partes uti coactione. Sicut ipse observavit Ill. D. Sili [1], facultate adhibendi, ob iustam ac proportionatam causam, parochum non proprium, utilitati partium atque eorum iuri satis prospicitur.

50. e) **Quid** iuris autem si vi cogatur non ipse parochus vel Ordinarius loci, sed alterutrius delegatus ? Quid iuris rursus, si parochus vi delegare cogatur ?

De vi quae sacerdoti *delegato* inferatur, dicemus infra, exponendo canonem VI. Qui cum in delegato easdem assistentiae condiciones quas in parocho postulet, inefficacem declarare videtur delegati praesentiam quae vi vel insidiis sit extorta.

Libertas autem *delegantis*, qua talis, nulla peculiari iuris dispositione protegitur. Firmum itaque manere arbitramur quod scribebat R. P. Wernz: « Si *metu* extorqueatur (licentia), valida est, cum nullibi in iure de irritatione cautum sit, nec metus deleganti incussus tollat libertatem in contrahentibus sponsis ; si vero eliciatur dolo, pariter pro valore standum est, nisi intercesserit error substantialis, v. gr. quod ad delegatum vel sponsos, vel delegans dolosae expositioni tamquam causae finali suum allegarit consensum [2]. » Idem quod nos sentit Ferreres, op. c. n. 169.

51. f) Dum ius vigebat tridentinum, matrimonium, ut notum est, celebrari poterat valide per interpretem, per procuratorem (speciali et ne interne quidem revocato mandato munitum contrahendi cum determinata persona), quin etiam per litteras. Licitus usus procuratoris et litterarum gravem postulat causam ac licentiam Ordinarii [3].

Nec sanctiones praesentis articuli contractum per interpretem vel procuratorem faciunt impeditiorem.

De litteris vero perinde non est dicendum. Non iam satis profecto erit ut littera coram parocho et testibus legantur. Etiam si altera pars compareat, quo modo requisita habebitur utriusque partis interrogatio, quae consensus efficacis significationem praecedere debet ?

---

[1] Acta S. Sedis p. 538.
[2] *Ius matrimoniale* n. 180, p. 286.
[3] Cfr. Feije, n. 300 ; Gasparri, n. 832-840 ; Wernz, n. 45.

Si tamen **a)** Per litteras vel ore tenus ab alterutra parte vel eius nomine invitatus, **b)** Parochus, *coram testibus*, absenti alteri (vel, quod rarius, utrique) parti litteras miserit ad exquirendum consensum, et **c)** Sic interrogata pars (vel partes) rescribat offerens se et acceptans alterius consensum, — post lectas sic litteras coram parocho et testibus, dummodo usque ad peractam lectionem consensus perseveraverit, omnes validi matrimonii condiciones impletae videntur.

Si autem solum respiciamus valorem, cum novo iure omnis parochus sit competens in suo territorio, ad omnem parochum, in sua parochia praesentem, litterae istae dirigi poterunt.

52. Canon praesens notabile istud gignit consectarium, ut Ecclesiae medium tribuat satis efficaciter impediendi matrimonia quae, maxime ob prohibens impedimentum, sunt illicita. Si enim est parochus testis ultroneus et activus esse noluerit, nulla iam erit catholicis copia valide contrahendi matrimonium. Fraudi tamen et dolo aditus non praecluditur, cum non ita difficile sit extraneum parochum circumvenire et mendaciis capere. De *dolo* enim, praeter cautionem de invitatione et interrogatione, nihil novi est lege nostra statutum.

53. Simul tamen operae pretium videtur monere, parocho proprio *non licere ut praesentiam suam declinet*, nisi matrimonium canonico obstaculo impediatur, vel ipse gravi et proportionato incommodo excusetur, quale est, v. g. quod civile vetitum creare potest.

Non sufficit ergo, ut noverit alteram partem in statu peccati versari, vel promissione quapiam contrariam obligationem suscepisse, nisi promissio ista canonicos habeat effectus. Multo minus sufficit ut matrimonium prospiciatur infelix.

B. *Qua ratione licite assistant*

Canon V

Licite autem assistunt,

1. *Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis ;*

2. *Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius in loco matrimonii ;*

3. *Quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio assint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset ;*

4. *Quod ad « vagos », extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere nisi, re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit ;*

5. *In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset ».*

54. Cuinam parocho vel loci Ordinario matrimonium celebrare liceat, id quinque paragraphis canonis V definitur. His postulatur ut parochus vel loci Ordinarius sit legitime certus de statu libero, ut matrimonium eius auctoritate celebretur quem ius matrimoniale proprium facit alterutrius

contrahentium ; denique ut proprius sponsae parochus regulariter praeferatur. De singulis pauca.

I. **Quo modo de statu libero constare debeat.** § 1 sic sonat :

« Licite autem assistunt (parochus vel loci Ordinarius) :

« § 1. Constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis. »

Liber contrahentium status immunitatem designat impedimentorum, praecipue impedimenti ligaminis.

55. Porro, spectato iure communi, hactenus promulgato, parochus debebat, pro singulis matrimoniis, ab Ordinario suo fidem recipere de statu libero contrahentium [1], ac dein ipse examinare sponsos [2], tum banna proclamare.

Sed fere ubique, extra status pontificii dioeceses, lex ista non est usu firmata, nisi cum agitur de matrimoniis vagorum, ita ut, ubi nulla dispensatio est quaerenda, parochus ipse per se et testimonia postulet aliorum parochorum, si quae sint necessaria, atque omne istud negotium componat. Cfr. WERNZ, op. cit. n. 133 ; GENNARI, op. cit. p. 36.

Hanc consuetudinem iam praesenti paragrapho probatam putat Card. GENNARI, ita ut scripta etiam lege processus de statu libero parochis aeque atque Ordinariis sit addictus [3]. Aegre tamen id ex verbis legis erui posse arbitramur. De Ordinario loci et de parocho promiscue in dicta paragrapho agitur. Cum ergo dicatur de libero statu constare debere « servatis servandis », nonne reici videmur ad ius constitutum, secundum quod Ordinarius iubetur examen instituere, parochus autem fidem ab Ordinario recipere ?

Sed, utcumque se res illa habet, parochi recepto suae regionis usu stare poterunt.

56. Hactenus de eo cui competit statum liberum explorare. De ipso autem legitimo explorationis modo, veri simile est fore ut instructio conficiatur quae temporibus nostris sit accomodata. Valde enim desideratur lex quae hodie sine nimia difficultate observari queat. Interea dicemus, officium esse parochi et Ordinarii ut de statu libero diligenter se reddant certiores, per media quae vel rerum natura postulantur, vel, *quatenus in loco vigeant*, per positivas sanctiones sunt imposita.

1. *Ex rerum natura*, a) Quo magis dubia causa videbitur, eo cautiorem instituent parochi investigationem. — b) Conabuntur authentica testimonia accipere condicionum quae ad rem faciunt : fidem baptismi (recentem, cfr. n. **81**), et, pro usu recepto, etiam confirmationis [1] ; documentum obitus prioris coniugis, status liberi a parochis regionum ubi alter sponsorum ita sit commoratus ut istiusmodi indagatio videatur prudenter facienda.

Et quamvis per se sufficere nequeant acta requisita ad civile matrimonium contrahendum, his tamen minister sacer plurimum iuvabitur.

---

[1] Instr. S. Officii 21 aug. 1670. Id saltem requiritur quando mora contrahentium in loco matrimonii non fuerit continua per plures annos. Cfr. S. Officium 1 febr. 1865, ad 3. *Collect. Prop. Fidei*, n. 1267.

[2] Cfr. GASPARRI, n. 140-148.

[3] Op. cit. p. 49 § III.

[1] Cfr. GASPARRI, n. 121.

Si demum dubium superfuerit, a sponsis et a personis quae magis probae videantur et magis idoneae ad testificandum, iuramentum postulabunt de statu libero. (Observes nos hic non agere de iuramento isto suppletorio, quod ex S. Sedis licentia solus Ordinarius deferre permittitur, sed de iure-iurando quod, ex rei natura, probationem compleat.)

2. *Ex iure scripto*, a) Duae saltem personae (per se singulis sponsis duae sunt assignandae, sed in utriusque causa eaedem esse possunt testes, dummodo idoneae) consanguineae et cives potius quam extraneae et exterae, examinandae sunt ad tramitem Instructionis 21 aug. 1670 [1], vel secundum receptum usum.

b) Facultate accepta a Sancta Sede, defertur, ad supplendas deficientes probationes, iuramentum suppletorium.

c) Proclamationes fiunt bannorum, nisi Episcopus dispensaverit.

Et quia variant recepti usus, et saepe nulla copia est accurate observandi particularia iuris praescripta, summa haec esse videtur, quam tradit R. D. De BECKER : « Donec aliter a Sancta Sede statuatur, dicendum nobis videtur veram saltem adesse obligationem pro parochis non assistendi nuptiis exterorum quotiens aliquod subsistit dubium de exsistentia alicuius impedimenti, ac meliore quo fieri potest modo, colligendi documenta quae status libertatem comprobant. [2] »

57. II. **Quisnam parochus sit contrahentium proprius quod ad matrimonium** [3] ? Ex paragrapho secunda, parochum proprium, seu legitimum matrimonii ministrum, facit in primis *domicilium* vel *menstrua commoratio ;* tum *licentia* ministri proprii vel *gravis necessitas* ; dein, quod ad *vagos*, *licentia Ordinarii* vel sacerdotis delegati. De singulis ordine est dicendum.

1. Hanc parochi proprii descriptionem tradit § 2. « Constito insuper de domicilio vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii. »

Itaque parochus fit proprius tum pristina domicilii ratione, tum nova ratione, id est menstrua commoratione in loco matrimonii. Altera haec ratio inducitur pro quasi-domicilio, quod, respectu matrimonii, perfecte aboletur. Ac, sicut ante iam statutum erat, ut parochus sit proprius matrimonii, satis est ut alteruter sponsorum condiciones impleat domicilii vel menstruae commorationis.

Domicilii notio ex superiore iure est repetenda, ita ut possit esse legitimum (legale), vel reale, quod animo et facto acquiritur. Cfr quae supra diximus, n. **5**.

Menstrua autem *commoratio* tota consistit *in facto*. Sive casu, sive concepta intentione, sive per modum habitantis, sive per modum viatoris, in loco per mensem affueris, parochus vel Ordinarius fit tibi proprius. Sed contra, animus etiam nihil operatur. Quare, etiam si per annum habitare *volueris*, parochum non acquires proprium, nisi post menstruam commorationem.

---

[1] Confirmatae a Leone XII 25 dec. 1827. Vide *Collect. Prop. Fidei*, n. 192. Cfr. de ista forma, FEIJE, n. 254-261 ; GASPARRI, I, n. 127-139.

[2] Op. cit. p. 290.

[3] Ut per se patet, in omni ista tractatione, parochum habemus proprium vel non proprium respectu *solius matrimonii*.

Interpretatio ista, proprietati verborum consentanea, ipsa legislatoris intentione omnino exigitur. Amputare voluit multas dubitationes quae ex domicilii vel quasi-domicilii notione oriebantur ; et facilem inducere rationem certiorandi expeditam competentiam. Inefficax autem foret eius consilium, nisi omnes quaestiones intentione et modo vellet suppressas.

58. Quaeres iam quo modo ipsa menstrua commoratio sit intellegenda.

R. a) Quia commoratio menstrua exigitur ut aliquid minimum, oportet ut mensis vere sit completus. Benignius tamen de ultima die Oietti, n. 98.

b) Mensis autem intellegitur spatium 30 dierum. Ita, in suo voto, defensor matrimonii (in suo canone IV) explicabat mensem ; et cum absolute fit mensis mentio, intellegitur triginta dierum spatium [1].

c) Menstrua commoratio debet esse moraliter continua. Sin minus, menstruam commorationem non habes, sed repetitam commoriationem per hebdomadas vel quindecim dies. Ut condicionem istam rationabiliter interpretemur dicemus :

Absentia aliquot horarum, praesertim per diem, nihil officit, dummodo singulis mensis diebus, principalis commoratio in loco manserit ;

Absentia vero unius alieriusve diei, si facta apparet cum animo redeundi, causa erit cur dies isti in mense utili non computentur, ita tamen ut praecedens commoratio possit cum sequente coniungi ad triginta dies perficiendos. Supponamus virum qui ad unum vel plures menses cubiculum conduxerit. Post 15 commorationis dies ad urgens componendum negotium alio per duos vel tres dies vocatur. Redux, post 15 alios dies, parochum loci ut proprium habebit.

Si autem sine animo redeundi abierit, quamvis post unum diem casu revocatus, vel si per plures dies, utputa octo, afuerit, tempus istud ante elapsum iam non computabitur, ita ut post reditum, mensis integer commorationis denuo requiratur. Dicere possimus, usurpando verba iuris possessionis, per absentiam unius vel alterius diei, commorationem, cum animo redeundi, *suspendi*, per aliam absentiam *interrumpi*.

d) Inter vim domicilii et menstruae commorationis, illud interest, ut domicilium permaneat ex solo animo redeundi, etiam post discessum, dum vis commorationis ipso discessu necessario pereat. Ut ergo parochus sit ob commorationem proprius, non sufficit ut alteruter sponsorum per mensem in aliquo loco *habitaverit*, sed requiritur ut actu *habitet*, idque a mense saltem.

59. e) Denique *l cus matrimonii* in quo alterutra pars domicilium vel commorationem habere debet, est territorium in quo minister sacer ordinariam suam possidet iurisdictionem : i. e. *quaelibet peroccia* pro Ordinario, pro parocho vero *paroec'a cui praeficitur*. Paroecia, inquam, *non municipium*, quia constat considerationem municipii esse civilem non autem canonicam ; *nec* etiam *dioecesis* (quamvis Em. Gennari [2] rem sic pro Ordinario intellegere videatur), quia subsistere arbitramur responsum S. Officii. 9-12 nov. 1898, in Parisiensi, communi sententia

---

[1] Reiffenstuel, III, 5, 495.
[2] Op. cit. p. 26.

doctorum confirmatum [1], secundum quod, in iure canonico, domicilium vel quasi-domicilium pro matrimonio est necessario parochiale, nullumque dioecesanum agnoscitur. Attende tamen ad resp. S. C. 12-13 mart. 1910.

In suo quidem voto voluit defensor vinculi (Can. VI. ACTA S. SEDIS. p. 548) notionem istam mutare, et dioecesanum inducere domicilium. Sed canon iste in lege non legitur, incommoda autem quae oriri poterant ex superiore disciplina, evanuerunt ex quo, in territorio suo, Ordinarius et parochus matrimoniis omnium semper valide assistunt. Sic etiam FERRERES, n. 113. 114. Itaque, nisi in aliqua suae dioecesis parochia sponsus vel sponsa sint per mensem continuum commorati, vel in ea domicilium habuerint, Ordinarius [2] eos licite per se non coniunget. Excipe si vagi fuerint, vel minister proprius licentiam dederit, vel gravis necessitas ab ea petenda excusarit.

2. « Quod si deficiat (domicilium vel menstrua commoratio), sic habet § 3 ; ut parochus et loci Ordinarius Licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas quae ab ea excuset. »

Itaque, parocho vel Ordinario non proprio matrimonium celebrare licet :

60. a) *Ex licentia* parochi vel Ordinarii *proprii* alterutrius contrahentis.

Proprius, ex § superiore, intellegendus est Ordinarius vel parochus domicilii aut menstruae commorationis.

Cum de licentiae istius forma nihil in lege dicatur, et scripta esse potest et viva voce concedi. Opportunitas autem eam concedendi in prudenti arbitrio parochi vel Ordinarii est posita.

Immo, cum ad valorem non requiratur, sufficere etiam videtur licentia tacita vel rationabiliter praesumpta. Idem putat Card. GENNARI, op. cit. p. 27.

61. b) *Ob gravem necessitatem*, quae ab licentia petenda excuset. Gravis requiritur necessitas, non quaelibet sufficit. Est tamen in morali existimatione posita. Atque orietur, quando urgens causa celebrandi matrimonii coniungetur cum difficultate obtinendi tempestive licentiam. Urgens ista causa nasci potest ex minus bona voluntate partium, ut si ob dilatum sacramentum, matrimonium mere civile fuerit pertimescendum. Vexatio proprii parochi, qui matrimonio interesse noluerit, etiam iustam causam praebere potest. Observes tamen, si copia et tempus fuerint, recurrendum prius esse vel ad Ordinarium loci proprium vel ad alterum parochum proprium, si alter habetur. Postulat enim lex ut gravis causa *a petenda licentia* excuset. Eodem modo paragraphum istam interpretatur Card. GENNARI, p. 27. Post factum autem nulla est saltem ex hoc titulo obligatio, nisi fortasse urbanitatis, monendi parochi vel Ordinarii proprii sponsorum.

Gravis autem necessitatis *iudex* est parochus in cuius paroecia velint

---

[1] Cfr. v. gr. WERNZ, *Ius matrimoniale*, n. 177 ; DE BECKER, p. 91. Responsum est in ACTA S. SEDIS, t. 31, 402 ; vel ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 7, p. 6.

[2] Dici possit Ordinarii competentiam repetendam esse ex eo quod est Ordinarius, non dioecesis praecise, sed singularum parochiarum, quasi eminenter parochus omnium locorum.

partes nubere. Quare, si parochus proprius licentiam recusaverit, et nimia iam sit difficultas adeundi Ordinarium vel alterum qui facultatem facere possit, parochus loci, si iudicet gravem esse causam, matrimonio interesse non prohibetur.

Em. Card. GENNARI prudens addit consilium, ut parochus non proprius tabulis inscribat vel acceptam licentiam vel gravem causam cur matrimonium sine licentia celebraverit, et non tantum, ut debet, de veritate causae inquirat, sed etiam paret sibi aliquod probationis medium, si forte oriatur aliqua contestatio.

62. 3. Regulae de parocho vel Ordinario proprio sanctione de *vagis* complentur. « Quod ad vagos, ait § 4, extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis assistere nisi, re ad Ordinarium vel sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi impetraverit. »

Ad valorem matrimonii personae vagae requiri ut fiat coram parocho vel Ordinario loci, vel ex eorum licentia, in eodem loco, satis ex prioribus sanctionibus iuris novi perspicitur, cum, in suo territorio, parochi et Ordinarii locorum, pro omnium matrimoniis exclusivam habeant competentiam. Quare de condicione ad valorem requisita nulla clausula vagorum propria fuit commemoranda.

Vagi porro, *quinam sunt ? Novo iure* vagi esse videntur, quotquot in nullo loco habent domicilium vel saltem commorationem menstruam [1]. Num autem in omnes istiusmodi vagos praesentem dispositionem transferes, ita ut sine Ordinarii licentia parochus eorum matrimoniis interesse prohibeatur ? Observes sanctionem istam iam Concilio Tridentino contineri. Sic enim habet : « Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt : cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere.... parochis.... praecipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » (s. XXIV, c. 7. De ref. matrim.)

Perspecta ista ratione, iam sub iure Tridentino, scriptores canonistae huic legi de vagis non astringebant eos qui mere respectu parochiae sunt vagi, sed in eodem loco (municipio) habebant domicilium, nec etiam eos qui momentanee tantum sunt canonice vagi, quatenus domicilio relicto, in itinere sunt ad novum acquirendum, vel donec novum adepti sint per aliquot dies in parochia quapiam versantur [2].

Regulariter autem a iure vagorum proprio non sunt eximendi ii qui dioecesim quidem egredi non solent, in ea tamen sedem stabilem non habent. Ita S. Officium 1 febr. 1865, de huiusmodi vagis respondit, generatim loquendo, liberum sponsorum statum esse ab Ordinario post iuridicum testium examen attestandum. (*Collectanea Prop. Fidei*, ed. 2, n. 1267.)

Servando itaque iam receptos usus, dicemus, iis qui *momentanee* tantum sunt vagi, proprium esse parochum loci ubi contrahere voluerint,

[1] Ita etiam GENNARI, p. 27, BESSON, p. 89. Dubitant BOUDINHON, n. 74 ; FERRERES, n. 130-132.

[2] Cfr. GASPARRI, op. cit. n. 166 ; WERNZ, *Ius matrim.* n. 178, p. 279.

nec parochum istum speciali Ordinarii facultate opus habere ; dum vagi vere vagantes, quibus ratio Tridentina applicatur, coniungi non possunt nisi ex facultate Ordinarii loci vel *sacerdotis ab eo delegati*. Postremis his verbis legislator expeditam ostendit esse facultatem Episcopis ut varios constituant sacerdotes delegatos qui causam istam vagorum dirimere possint. Atque in amplis dioecesibus, vedetur usum etiam suaderi. Olim respondebatur severius, Vicarios foraneos (seu decanos), quibus ab Episcopo examen testium committeretur, debere acta ad curiam episcopalem transmittere. Cfr. resp. 24 febr. 1847, ad 1. *Collec. Prop. Fidei* ed. 2. n. 1011, (ed. 1, n. 1367).

63. Quid, si alter tantum sponsorum fuerit vagus ? Quia ratio legis omnino de illo casu valet, regimen vagorum proprium est omnino servandum. Cfr. FEIJE, n. 228.

Obtenta autem licentia sui Ordinarii vel sacerdotis delegati, parochus loci fit omnino proprius pro vago et altero coniuge. Sicut ante enim, perget vagus cum parte altera communicare suum privilegium contrahendi coram parocho praesentis commorationis. Nulla itaque requisita facultate parochi vel Ordinarii alieni, poterit quilibet parochus, si alterutra pars vaga fuerit, *in suo territorio* matrimonium celebrare vel alii sacerdoti facultatem concedere.

Denique, si intercesserit necessitas (intellegenda sicut in § superiore) nec copia fuerit petendi debitam licentiam, § nostra parocho loci plenam tribuit facultatem celebrandi matrimonium vagorum. Quo casu debebit, ut per se perspicitur, de statu libero, quantum fieri potest, se reddere certiorem.

64. III. **Celebratio matrimonii ad parochum sponsae regulariter spectat.**

Ita habet § 5 articuli V. « In quolibet autem casu, pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset. »

Hac lege positiva firmatur nunc quod usus paene universalis iam habebat, ut, cum sponsus et sponsa varios haberent parochos, parochus sponsae praeeligeretur.

In quolibet casu : id est, sive ambo habeant domicilium vel menstruam in aliquo loco commorationem, sive solus sponsus, ita ut sponsa sit vaga [1].

Gravis tamen non imponitur obligatio. Mere enim dicltur ut ita *regulariter* fiat. Quaelibet ergo causa (convenientiae vel utilitatis, ait GENNARI, p. 28 ; ipsa consuetudo [2], ut subiungit FERRERES, n. 145, 146) a regula ista observanda excusat.

Coram sponsae parocho. Haec legis verba idem sonant quod, in sponsae parochia : sive per se sive per delegatum parochus intersit.

---

[1] Hoc ne putes frustra scriptum. Canonice enim vagus esse potest qui civile domicilium habeat in municipio. Plerumque tamen si vaga fuerit sponsa, iam causa aderit contrahendi coram sponsi parocho.

[2] Teste III. D. AICHNER, in Brixin. dioecesi « regula viget : *Ubi sponsa, ibi sponsalia ; ubi sponsus, ibi nuptiae* » *Comp. iur cccl.* § 192. not. 5.

Appendix de Bannis

65. Ad licitam matrimonii celebrationem, requiritur etiam ut debitae fiant proclamationes, quae vulgo *banna* dicuntur, Quaeres itaque, quibus in locis sint, novo vigente iure, facienda banna. De sola lege communi hic, ut patet, respondemus, praetereundo peculiares usus et leges, quae omnino sunt consulenda.

1. Iure porro Tridentino, banna proclamari debent a parocho *proprio*, qui intellegebatur parochus *domicilii* et *quasi-domicilii*. Cum autem novo iure, quasi-domicilium iam sit pro matrimonio suppressum, proprius vero parochus habeatur cum domicilii tum menstruae commorationis, in ambobus his locis requiritur et *per se* sufficit ut fiant proclamationes.

Per se, inquam, sufficit ut ibi fiant ; namque, ut finis legis melius obtineretur, practice volebant, ut si qui sponsi domicilium omnino recens mutassent (ante unum vel duos menses, pro usibus receptis) proclamationes tum in novo tum in pristino domicilio fierent. Cui consuetudini praesente lege non derogatur. Cfr. de pristino iure Gasparri, n. 160-163 ; Wernz, n. 139.

2. De *bannis vagorum* haec habet Card. Gasparri, quae adhuc praesenti iure valent : « Matrimonium vagi publicari debet in parochia ubi nuptiarum tempore vagus moratur, nam iste parochus est certe proprius ; praeterea requiri solent etiam publicationes in loco originis. Quod si agatur de vago in eodem loco, publicationes fient in loco ubi diutius habitavit. » Op. cit. n. 163.

N. B. Proclamationes omittuntur in matrimoniis *mixtis* et etiam in matrimoniis inter partem *fidelem et infidelem*, post obtentam dispensationem ab impedimento disparitatis cultus. Cfr. Gasparri, n. 457 et 622.

III. Celebratio matrimonii coram ministro delegato

Canon VI

Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii assistat.

Delegatus autem, ut valide et licite assistat, servare tenetur limites mandati, et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

66. De illa iam non agitur delegatione qua quis lato sensu in celebrandis matrimoniis parochus seu pro-parochus constituitur. Haec enim delegationis ratio est supra, n. **36**, satis exposita. Sed cum in canone III dictum sit matrimonium valide contrahi posse « coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab utroque delegato... iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas », iam praesens canon nuntiatas regulas tradit quibus valida et licita delegatio continetur.

Duplex porro est istius canonis paragraphus. In priore de *delegandi* potestate, in altera de valido et licito *acceptae delegationis* usu agitur.

I, § 1. *De potestate delegandi.*

Parochus et loci Ordinarius. Hi iure proprio delegare possunt. Nomine

autem parochi et loci Ordinarii veniunt *per se* omnes quotquot diximus n. **36**. *Per se*, quia stricte dictus parochus vel Ordinarius possunt ei qui est tantum pro-parochus, facultatem delegandi positivo actu auferre. Praeterea, inter Ordinarium et parochum delegantem hoc interest, quod Ordinarius loci potest subditis delegationem efficaciter, preasertim per statutum [1], imponere ita ut sine delegati acceptatione delegatio operetur ; dum parochus facultatem aliis quasi aequalibus communicat per modum donationis, quae, ut valeat, acceptari debet [2].

Licentiam concedere possunt. Cur vox licentiae magis quam iurisdictionis hic proprie usurpetur, dictum est supra n. **31**, nota.

Licentiam istam, in suo territorio, numquam alibi, exercendam semper *valide* concedunt, atque etiam per se *licite*, si facultatem delegant quam ipsi quod ad istos sponsos exercere potuissent.

Alii sacerdoti. Quamvis parochus ante suceptum presbyteratum nominari possit et infra annum ei ad suscipiendum sacerdotium relictum, ipse nuptiis interesse [3] possit et facultatem alii delegare, eius tamen mandatarius debet esse *sacerdos*.

Quid tamen, si delegatio pro alio parocho, eoque nondum sacerdote, postuletur ?

Respondemus, si postuletur ad complendam condicionem necessariam ut secundum § 3 can. V, parochus loci licite possit matrimonium peregrini in sua paroecia celebrare, procul dubio parochus iste, quamvis nondum sacerdos, obtinere potest facultatem quam § 3 petere iubetur. Si autem in territorio delegantis exercenda sit delegatio, presbyteratus est omnino requisitus, etiam in parocho, qui tunc non formaliter ut parochus delegatur.

Determinato ac certo. Iure superiore, delegatio valide (regulariter tamen illicite) sacerdoti etiam indeterminato concedi poterat, v. g. quem partes eligerent, dummodo partes saltem ipsae iam nominatim essent designatae [4]. Nunc autem delegandi facultas ita est circumscripta, ut assistentia valide conferri nequeat nisi sacerdoti determinato ac certo.

Determinatus autem ac certus esse potest, per designationem vel perpersonalis nominis vel etiam Officii : v. g. Parochus pro tempore, Superior talis Instituti. Alteruter modus sufficit. Quia enim correctio iuris est odiosa, facultatis, antea plenae, limitationem stricte interpretari debemus : praeterea meliorem praedicabant designationem quae indicato officio quam quae nominata persona fiebat [5]. Num melior iste modus iam censendus est inefficax ?

67. Hinc **quaeres**, num delegato generalis facultas fieri possit *sub-*

---

[1] Cum fit per statutum, habilitas ad celebranda matrimonia iam pars est assumpti officii.

[2] Id tamen in aliquam controversiam venit. Cfr. WERNZ, n. 180, III, et nota 218. Eodem loco WERNZ addit : « Quod si ipso delegato conscio fuerit petita facultas (assistendi), valida sed non licita est assistentia delegati, si fiat post licentiam datam, et nondum intimatam et cognitam. »

[3] Pro sollemni tamen interrogatione quam sequatur *benedictio*, sacerdotem sibi substituere debet (WERNZ, n. 190 nota 270).

[4] WERNZ saltem, cum pluribus aliis, frustraneam et nullam dicit esse licentiam generalem « contrahendi coram quocumque sacerdote et cum quacumque persona, peculiariter et nominatim non designata ». N. 180, p. 286, nota 217.

[5] WERNZ, n. 280, III, b. p. 286.

delegandi ? Obstare dixeris delegationem tunc a parocho vel Ordinario non fieri sacerdoti determinato ac certo. Nihilo minus, cum superiore iure facultas subdelegandi certo concedi posset, principio de odiosa iuris correctione rursus innixi, arbitramur hanc facultatem etiam nunc valere. Re vera, iure superiore, triplicem distinguebant delegationis rationem : delegationem *unius*, delegationem *complurium*, et delegationem *indeterminatae* personae. Sola ultima nunc est suppressa. Facultas autem subdelegandi non putabatur esse delegatio indeterminata sed complurium [1]. Ac delegatio indeterminatae personae et facultas subdelegandi hac re differunt, quod in delegatione sacerdotis indeterminati, electio cuivis, sacerdoti vel laico, linqui potest facienda, dum, quando facultas subdelegandi conceditur, prior delegatio et ipsa subdelegatio non possunt nisi sacerdoti determinato concedi.

68. **Quaeres** praeterea num in magnis civitatatibus, dummodo praescriptae cautelae (ut accedat saltem consensus Ordinarii, nisi ipse facultatem per statutum tribuat, utque parochi accurate determinentur [2]) observentur, poterunt in posterum parochi generalem accipere delegationem, ut in sua quisque parochia adesse possint matrimoniis parochianorum alterius eiusdem civitatis ?

Id affirmat Card. GENNARI, p. 29, et recte quidem nostra sententia. Sed alia ratio suffragari videtur. Novo quo utimur iure, delegatio ista non est ad valorem sed ad liceitatem tantum requisita. Ea si quidem est, de qua canone superiore, V § 3 est actum. Quare casus iste, a nostro canone alienus, huius iuri non est obnoxius.

Intra limites sui territorii. Sui, id est *delegantis*. Id apparet, cum quia delegatus saepe nullum habet territorium, tum quia delegatio in territorio delegati non est requisita nisi ad liceitatem et secundum can. V § 3 est postulanda, tum quia clausula ista posita videtur ut plane constet [3] parochum vel Ordinarium loci, sicut nequit iam ubique per se matrimonium celebrare, sic nec ubique iam facultatem delegare posse.

69. *De forma exteriore* mandati, nihil est lege edictum, quamvis et Consultor et auctores communis schematis propositi 14 iul. 1906, voluerint eam non nisi scriptam concedi debere [4]. Sicut antea, itaque, etiamnum poterit concedi « *Expresse*, sive scripto sive verbis, viva voce sive signis aequivalentibus, vel *tacite* per facta vere concludentia et praecedentia, non per praesumptionem vel ratihabitationem, *personaliter* vel per *procuratorem* et *nuntium*, *specialiter*, vel *generaliter* ad universalitatem causarum, *absolute* vel *condicionate* vel cum *modo*, denique cum *limitatione* quod ad tempus et locum vel sine illa. » Ita WERNZ, qui addit ; « Generatim delegatio eo modo fiat necesse est, ut de illa in foro externo per certam probationem constare possit [5]. »

70. II. § 2. *De usu valido et licito acceptae delegationis.*

---

[1] WERNZ, n. 180, p. 286.

[2] Cfr. votum R. P. WERNZ in causa Coloniensi, probatum a S. Congr. Concilii 18 mart. 1893. ANAL. ECCL. I, p. 112 et cfr. p. 205.

[3] In voto Consultoris et in schemate 14 iul. 1906 proposito, volebant parochum proprium ubique assistere et delegare posse. Cfr. ACTA S. SEDIS, p. 537 et 568.

[4] Cfr. ACTA S. SEDIS, p. 539 et 569.

[5] WERNZ, p. 288.

1. *Limites mandati servare debet delegatus.* Delegans enim, ut vidimus, facultatem concedere potest condicionatam, vel etiam tempore ac loco circumscriptam, v. g. pro omnibus matrimoniis hodie occurrentibus.

2. *Servare tenetur « regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.* » Formula ista ansam quandam praebere potest dubitationum. Etenim n. IV plura sunt quae parochus non ipse quidem praestare debet sed quae contra ipsum fieri non possunt, ut cum invitus cogitur. Sed, ex contexta oratione, arbitramur hanc esse clausulae vim, ut in delegato reperiri debeant quaecumque in parocho seu Ordinario requiruntur, et quidem sub eadem sanctione nullitatis vel prohibitionis. Itaque :

a) Ex n. IV, 1, contra atque antea obtinebat [1], delegatus ipse non potest esse publico decreto nominatim excommunicatus vel ab officio suspensus ;

b) Intra limites territorii delegantis assistere debet.

c) Interesse debet invitatus, ac rogatus, nec vi nec gravi metu potest esse constrictus, ac requirere et excipere debet contrahentium consensum.

3. Ex n. V, quatenus delegans varia ibi ad liceitatem requisita ipse non curaverit, delegatus haec opera propria supplere debebit.

IV. De forma servanda, imminente mortis periculo

Canon VII

Imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, ad consulendum conscientiae, et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide et licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus.

Canone isto VII, speciali necessitati prospicitur in qua moribundi versari facile possunt, ut, premente causa celebrandi nuptias, copia desit legitimi ministri. Quem canonem ut exponamus, ordine dicemus de requisitis *adiunctis*, de requisita *causa*, et de requisito *modo*.

71. I. **Requisita adiuncta** haec sunt : 1. Ut alteri sponsorum immeneat mortis periculum ; 2. Ut nec Ordinarius loci, nec parochus, nec alterutrius delegatus haberi queat.

1. Hic, ut saepe, sufficere dicemus *probabile* mortis *periculum*. Periculum, inquam, namque, ut scite observat Card. Gennari, lex non postulat *articulum*. Periculum istud habetur in non paucis gravibus morbis vel infirmitatibus.

2. Ita imminere debet periculum, ut copia desit quaerendi Ordinarium vel parochum vel sacerdotem delegatum, aut delegationem petendi.

Copia ista facile deerit in navigatione maritima. Ex generali autem regula, sufficienter deesse rursus censebitur si veri simile fuerit ut propter moram seu dilationem, infirmus morte vel alio impedimento (v. g. delirio) contrahere prohibeatur. « *Basta una vera probabilità, o anche il dubbio* [2]. » (Gennari, p. 31.)

---

[1] Cfr. Wernz, n. 180, p. 285.

[2] Latine : Sufficit vera probabilitas vel etiam dubium.

72. Quid autem si tempus desit itineri ad Episcopum vel parochum instituendo, non autem petendae facultati per *telegramma* vel *telephonium?* Cum telegramma [1] et telephonium media putentur esse extraordinaria et parum tuta, istis abstineri posse videtur. Sic etiam Card. GENNARI, p. 31. Si tamen, ut in dissitis regionibus accidere potest, vel quando sacerdos aegrotum deserere nequit et alii adire parochum nolint vel prohibeantur [2], si, inquam, facultas per litteras impetrari possit, litterae nobis videntur esse scribendae.

73. II. **Requisita causa**. Non ob quamlibet causam sed ut conscientiae vel legitimationi prolis consulatur, forma extraordinaria celebrationis permittitur.

1. *Conscientae consulit*, non is tantum qui eius praeceptis paret, sed etiam qui eius suasionibus obtemperat. Quare, praeter strictam obligationem, aliud etiam serium conscientiae motivum sufficere nobis videtur ut facultate praesentis dispositionis frui possis. Non haec itaque tantum afferri possunt exempla : si aliter ac contracto matrimonio removeri nequeat proxima peccandi occasio ob tentationes quas aegrotus patiatur, vel cessare scandalum ex publico concubinatu aut matrimonio civili, vel prospici securitati et honestae sustentationi personae superstitis ; — sed etiam haec et similia sunt addenda : si per matrimonium fama melius restituatur, damnum magis plene sarciatur.

Quotquot exempla adduximus, denique tandem in carnis peccatis vel tentationibus originem habent. Quid autem si casus sexto vel nono praecepto fuerit prorsus extraneus ? Supponamus aegrotum auctorem fuisse damni materialis, quod, attenta lege regionis, per ius viduae acquisitum melius reparetur, vel posse per nuptias diuturnum exstingui odium inter familias, vel impediri quominus patrimonium in malos impendatur usus.

R. Cum lex non distinguat, etiam hanc conscientae rationem sufficere arbitramur.

2. *Legitimatio prolis* altera est causa ob quam specialis ista forma admitti potest. Atque, ubi ipsa civilis lex vim agnoscit matrimonii-sacramenti ad prolem legitimandam, non raro debebit moriens ex pietatis officio matrimonium contrahere. Alibi, stricta obligatio raro occurret. Utilitas tamen legitimationis in facie Ecclesiae sufficiens erit ut locus sit praesenti privilegio.

Sapienter lex addit « *Si casus ferat.* » Etenim, ii tantum filii matrimonio legitimantur qui spurii non sint, seu quorum parentes tempore *conceptionis* prolis, vel saltem *nativitatis* vel tempore *intermedio*, ad iustum validumque matrimonium habiles fuerint [3].

Quamvis autem prolem legitimare nequeat, matrimonium, cum dispensatione ab impedimento contractum, Principem impellere potest ut rescriptum legitimationis facilius concedat. Supponamus iam moribundo adesse sacerdotem qui facultate polleat impedimentum dispensandi.

---

[1] Tum 10 dec. 1891, tum 5 ian. 1892, Secretaria Status Episcopis commendavit ne gratiae per telegraphum peterentur. Cfr. ANALECTA ECCLES., f. 3, p. 476, nota, et t. 4, p. 494.

[2] Utputa in nosocomio parisiensi, quod spiritu « anticlericali » sit infectum. WERNZ n. 686, p. 998-999.

Poteritne ob spem futurae legitimationis facilius consequendae, uti facultate nostri canonis, et quamvis nec proprius sit nec delegatus, parentes coniungere ?

Benignae huic iuris interpratationi [1] fatemur nos non repugnare.

74. III. **Modus servandus**. Ubi condiciones istae affuerint, quilibet sacerdos fit idoneus minister, ita ut, *modo simul duo assint testes*, matrimonium coram ipso valide et licite celebretur.

Sacerdoti itaque tribuitur auctoritas ad assistentiam praestandam, nulla autem confertur specialis potestas ad solvenda impedimenta. Quare non poterit nisi privilegiis suis, aliunde fortasse acceptis, uti ad dispensandum.

Card. GENNARI (p. 31), spem insinuat novi Indulti quo possint tunc sacerdotes uti extraordinariis facultatibus quae decretis 20 feb. 1888 et 9 ian. 1899 sunt Episcopis concessae [2].

Praeterea si casus perplexus occurrerit, i. e. si urgentissima causa famae servandae vel conscientiae omnino postulet ut impedimentum occultum et dispensabile auferatur, sacerdoti in istis angustiis posito usum non negaverimus opinionis qua impedimentum tunc in contrahendo vel convalidando matrimonio neglegi potest. Cfr LEHMKUHL, *Theol. mor.*, t. 2, n. 826 sq. WERNZ, n. 619, nota 87, p. 893, 894, et DE BECKER, p. 380.

N. B. Ex Indultis 1888 et 1899, quae etiam nunc vigent, fieri potest ut Ordinarius vel parochus ab ipsa testium praesentia dispenset aegrotum civiliter coniunctum vel in concubinatu viventem et in gravissimo periculo constitutum.

75. Quaeres de iuridica talis matrimonii probatione. Probatio ista difficilis fieri potest, cum non sola praesentia sacerdotis et testium requiratur sed et periculum mortis et conscientiae (quae occulta esse potest), valorem intercidere debeant.

Pro viribus certe sacerdos minister allaborare debet, ut testes omnia requisita elementa suo testimonio confirmare possint, vel alia assint probationis adminicula, v. g. scriptum medici testimonium de morbo et urgente causa.

Dein, in foro canonico, aliqua certe praesumptio pro valore habebitur ex ipsa matrimonii celebratione, tum quia omnis actus censetur valide factus nisi probetur infirmus, tum quia sacerdos, qui iudex causae constituitur, et gravissimo tenetur officio, existimandus est in munere suo non peccasse.

---

[1] Benigne interpretanda esse huiusmodi iura docere videtur WERNZ, n. 617, nota 69, p. 887.

[2] Notum est privilegium concessum a LEONE XIII per S. Officium 20 febr. 1888 et 9 ian. 1899, quo Ordinarii locorum cum iis tantum qui civiliter sunt coniuncti aut in concubinatu vivunt, quando in gravissimo mortis periculo constituti sunt, ita ut non sit tempus recurrendi ad S. Sedem, dispensare possunt super impedimentis quantumvis publicis, matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita. Hanc facultatem exercere possunt per se vel per alium, non tamen habitualiter delegare, nisi parochis et pro casu quo tempus desit recurrendi ad ipsos et periculum sit in mora. Satis est ut impedimento aegrotus afficiatur indirecte, puta votum sollemne in comparte non aegrota.

V. De forma servanda deficiente ministro sacro

Canon VIII

Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis designatus coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum condicio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.

76. Substantialis matrimonii forma ita urgeri non potuit ut hominibus nimis difficilem redderet usum facultatis naturalis contrahendi nuptias. Ideo mox manifestum fuit rigorem capitis *Tametsi* esse in specialibus adiunctis temperandum, ne lux utilissima in detrimentum commune cederet. Casus quidam, magis expediti, sunt ab auctoribus propositi et responsis S. Congregationis admissi ; de aliis, ut fieri consuevit, est disputatum in utramque partem. Sic sensim sine sensu perventum est ad regulam satis definitam quae potissimum continetur in responso S. Officii 1 iulii 1863 ad Episcopum Vallispratens. (hodie Sacramento, Cal.) : « Quando difficilis nec tutus est accessus et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et praevidetur spatio saltem unius mensis a loco afuturus, nullusque alius sit qui vices parochi suppleat, matrimonium valet absque praesentia parochi, servata tamen in eo quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. »

Age porro, iam novo iure scripto similes sanctiones exhibentur. *Similes*, inquam, nam planiores et clariores, ut exposito canone patebit.

1. *Si contingat ut in aliqua regione*. His verbis prima traditur condicio exemptionis. Impedimentum debet esse *regionis*, non aliquot personarum in regione ; ut aliis utamur vocibus, impedimentnm postulatur commune, non particulare aliquorum. Regionis autem vocabulum est parum definitum : regnum, vel provinciam, vel urbem significare potest ; immo partem unius valde amplae parochiae, quales adhuc in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis habentur. Nec necesse est ut frequens ibi fuerit populus. Paucae familiae quae ibi vivant, beneficio regionis uti poterunt. Requiritur autem ut regio haberi moraliter possit tamquam alia ac locus ubi copia sit sacerdotis idonei. Moraliter autem aliam dixerimus quae satis distet ab alia ut ambae pro nullo officio templum commune habere nec a missionario simul visitari possint.

Sed praeterea verbis *in ea regione* beneficium statuitur *locale*, quo omnes uti possunt qui in loco commorantur, etiam ii qui per accidens sacerdotem satis facile adire possint. Perspicitur hic rursus, ni fallimur, territoriale legis systema, dum antea a forma servanda non dispensabantur nisi ii qui re vera parochum habere non poterant. Cfr. Gasparri, n. 968, ex Feije n. 301.

Navis non est regio. Nec solent navigantes velle ut in itinere maritimo coniungantur. Quare nullum putamus esse praesentis articuli usum etiam in diu protracta navigatione per altum, sed superioris tantum, quo, in mortis periculo, ut conscientiae consulatur vel legitimationi prolis, quilibet sacerdos est competens. Si vero nullus fuerit sacerdos in navi, R. P. Ferreres, n. 204, 205, probabile existimat posse sponsos, in mortis periculo,

saltem post mensem, coram solis duobus testibus contrahere. Verum attendas nunc ad benignum respons. 12-13 mart. 1910 ad 1.

2. *Parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis designatus coram quo matrimonium celebrari queat haberi non possit.* Oportet itaque ut in ea regione *nullus* adsit sacerdos idoneus.

Haberi non potest qui nimia difficultate vel arcessitur vel aditur. Stricta enim impossibilitas non requiritur. Namque ipsa S. Sedis monumenta causam necessariam ita describunt : « Quotiens (lex tridentina) aut non amplius observari potest, aut non potest observari quia pericula et obstacula insuperabilia, aut superatu difficilia offendantur : idque accidit quando aut parochi desunt, aut facilis ad eosdem et tutus non patet accessus ». Sic Instr. S. Officii 6 iul. 1817. (*Coll. Prop. Fidei*, ed. 2 n. 725.) Die autem 2 iul. 1827, casus est sic propositus, eique sine animadversione est responsum : « Quando ob persecutionem vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium (Ibid. n. 794 ad 2.) ». In responso 1863, S. Officium rursum dicit : « Quando difficilis nec tutus est accessus. » (Ibid. n. 1240.)

Difficultatis autem *causa* esse potest distantia, sive per se, sive consideratis condicionibus viarum, saltem per aliquam anni partem, vel potest esse persecutio, vel etiam defectus aut absentia sacerdotis ; immo eius neglegentia vel mala voluntas, ut si consuetas visitationes facere detrectet. Sicut contra, maior alius sacerdotis zelus causa esse poterit cur copia habeatur ubi per se deforet.

Denique *iudicium* de difficultate, in concreto, ferendum est secundum mores regionis, et communem existimationem. Sic DE BECKER, op. cit. p. 127.

3. *Eaque rerum condicio a mense perseveret. Mensem* rursus accipias triginta dies. Ita etiam Card. GENNARI, p. 32. In voto Secretarii et in schemate propositio 28 ian. 1907 requirebatur ut impedimentum *praevideretur* per annum vel saltem per sex menses duraturum. Per mensem *duraturam* generalem impossibilitatem postulabat schema commune propositum 15 iul. 1906. can. VI. Hodie, itaque, nulla praevisio futura est necessaria. Satis est ut a mense minister haberi nequeat, ut exemptio sit concessa, quamvis post brevissimum intervallum parochus sit affuturus. Sic etiam Card. GENNARI, p. 32.

Ac sic condiciones recitavimus. Nulla praeterea postulatur, v. gr. nullum speciale incommodum exspectantium, cum non iam sint perpendendae condiciones cuiusdam epikeiae sed constitutum de hac re canonem observare satis sit.

77. Quid, qui in talem locum se conferat *in fraudem legis?* Quia lex tacet, eius beneficio fraudator minime excidit. Atque a prima die adventus, *valide* ibi, sine ministro contrahet matrimonium, sicut a prima die, in alio loco sacerdotem parochum habuisset ministrum *validi* matrimonii. Nisi autem fuerit vagus, non poterit sine gravi causa ibi contrahere matrimonium, sicut parochus non proprius opus habuisset licentia proprii parochi vel gravi causa ab ea exusante. (Cfr. can. V. § 3.) Post vero 30 dies, *licite* etiam beneficio nostri canonis utetur.

78. 4. *Matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus.* Deficiente sic ministro sacro,

duo testes, coram quibus consensus *formaliter* reddatur, sunt ad valorem necessarii, et sufficiunt ut matrimonium sit licitum.

De casu quo ne testes quidem haberi possint, non agit praesens ius, nec difficultas ista communitatem aliquam, etiam parvam, afficere potest. Si contigerit duos, virum ac mulierem sic valde diu, sine ulla copia esse ministri vel testium, non negaverimus ipsis facultatem ut per epikeiam se subductos existiment positivae legi Ecclesiae de forma matrimonii.

Quotiens autem matrimonium sit sine ministro sacro contractum, prorsus decet, postea sponsi a ministro sacro benedictionem nuptialem implorent. Cfr. De Becker, p. 129.

§ 3. De tabulis nuptialibus

Canon IX

§ 1. *Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum ; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio astiterit.*

§ 2. *Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum annotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem, transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.*

§ 3. *Quotiens matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priore casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum annotetur.*

Tribus istius canonis paragraphis praescribuntur sapientes regulae, quibus legitimae demonstrationi et probationi matrimoniorum accurate prospicitur.

79. I. § 1. Iam ipsum Conc. Trid. (s. XXIV. c. 1 De Ref. matr.) praecepit ut parochi libros matrimoniales haberent. Quod confirmat Rituale, *De sacramento matrimonii*. Atque obligatio libros habendi et inscribendi matrimonia iudicatur gravis. Cfr. Gasparri, II, 1045.

Magis autem perspicue nostra § indicat quis, quando, quid, quo modo in tabulas referat.

1. *Quis*. Relatio in acta ab eo semper est facienda quem lato sensu parochum vocavimus, ita ut de eius competente qualitate facile constet in foro exteriore ; numquam autem ab ipso delegato sacerdote. Id iam erat Rituali statutum. Praeter alias utilitates, perfectioris inscriptionis, stimulandae diligentiae, hoc accedit ex hac regula commodum : quod sic ipse qui delegandi habebat facultatem, delegationem legitime datam suo testimonio confirmare possit.

Quare si quis non stabili aliqua ratione sed ad paucos dies parochum suppleat, satius existimamus ut ipse quidem celebrata matrimonia sibi statim ac diligenter annotet, parocho tamen linquat curam omnia in librum referendi.

2. *Quando*. Relatio statim praecipitur facienda. Ergo saltem intra tres dies. Optandum est ut fiat e vestigio, atque in ipsa sacristia liber sit paratus.

3. *Quid*. Describenda sunt nomina coniugum, testium, locum, et diem matrimonii et alia quae ex *natura rei*, puta delegationem, dispensationem impedimenti publici, vel ex *statuto positivo* sunt addenda.

Contra, cavendum est ne aliqua fiat annotatio quae famae nocere possit vel iniuriosa reputari [1].

4. *Quo modo*. a) *In ipso* matrimoniorum *libro* sunt matrimonia referenda, nec tantum in parvis separatis foliis, quae dein facile amittuntur. Minime probandus est iste aliquorum usus, ut acta conscribant in schedulis (foliis volantibus), quorum acervus subinde magnus fit et confusus.

b) *Eo modo* relatio fiat quem libri rituales vel proprius Ordinarius indicaverint.

Formula describendi coniugatos in fine Ritualium reperitur.

Observes, *convalidationes*, pro foro externo factas, vel contra, irritationes, solutiones matrimoniorum esse etiam inscribendas, sive in margine, sive, melius, nova inscriptione, ad quam prior remittat.

80. Quaeres, num debeat praeterea parochus loci matrimonii parochum domicilii (si distinctus sit) utriusque sponsi vel saltem sponsae de facto matrimonio monere ? De obligatione superiore, cfr. GASPARRI, n. 1049.

R. Iure novo communi, quod nititur competentia territoriali, id iam non videtur praescriptum. Difficultati autem quaerendi et detegendi matrimonia contracta prospicitur per novam dispositionem § 2, cuius momentum praecipuum inde statim demonstratur.

81. II. § 2. In libro *baptizatorum* annotatio marginalis matrimonii est facienda. Quare, si alter coniugum vel uterque extra matrimonii locum fuerint baptizati, debet parochus matrimonii parochum vel parochos baptismatum de contracto matrimonio facere certiores. Nuntius porro mitti potest immediate ad parochum vel per mediam curiam episcopalem. Haec, cum lex nihil definiat, esse poterit curia parochi qui baptizavit vel parochi qui matrimonio interfuit. Ordinarii erit modum istum pro variis adiunctis accuratius definire, ac tempus breve praecipere intra quod haec communicatio sit facienda.

Leges civiles solent similia praecipere officialibus quibus cura mandatur conscribendi actus civiles. Utilissima haec legum civilium imitatio multis fraudibus aditum praecludet et viam parabit facillimam reperiendi contracta matrimonia. Quare iure ac merito monet Card. GENNARI (p. 34) obligationem istam esse gravem, atque addit curandum parocho esse ut de recepto nuntio fiat certior.

Ex iure isto merito infert BOUDINHON [2] a sponsis, quorum status liber sit probandus, postulandum esse *recens* baptismi documentum, ut hoc modo innotescat si forte alicubi matrimonium sit celebratum. Cfr. etiam instr. S. C. de Sacramentis, 6 mart. 1911.

82. II. § 3. Cum matrimonium in extremis contractum fuerit forma

---

[1] Cfr. Causam Melitensem, 1780, citatam a GASPARRI, n. 1050.

[2] In brevi legis propositione quam ex REVUE DU CLERGÉ mutuatus est libellus periodicus LES QUESTIONS ACTUELLES, t. 95, p. 40.

permissa canone VII, vel sine sacerdote in adiunctis can. VIII, obligatio in solidum imponitur vel sacerdoti et contrahentibus, in priore casu, vel testibus et contrahentibus, in altero, curandi ut matrimonium, sic contractum, quam primum in tabulas referatur.

Obligatio ista in solidum, aeque omnes tenet ; ita tamen ut si unus fecerit, alii onere leventur. Obligatio ergo haec erit uni cuique, ut vel nuntium dent, vel certiores se reddant de alius diligentia.

Ex verbis legis, curare debent « ut initum matrimonium *in praescriptis* libris quam primum notetur. » Praescripti libri sunt et liber matrimoniorum et liber baptismorum. Num ergo de relatione in utrumque librum sacerdos non parochus, testes et sponsi debebunt esse solliciti ? Quamvis id sit verbis legis magis consentaneum, Card. GENNARI, l. c. contentus esse videtur, ut partes moneant parochum loci, qui et ipse curabit inscriptiones in libris baptizatorum. Debebunt tamen partes parocho isti copiam facere istius diligentae, indicando, v. g. quo loco sint baptizati.

Iam ante, in Instructione pro Tunkino Orientali, quae exscribitur in Instructione ad Vicarios apostolicos Sinenses, 23 iun. 1830 [1], commendabatur coniugibus qui sine ministro sacro matrimonium facerent, ut dein missionarium convenirent.

83. **Quid** autem si matrimonium fiat in loco ubi nulla sit parochia vel quasi parochia ? Res tunc erit ad Ordinarium transmittenda : quae obligatio rursus gravis erit.

§ 4. De poenis contra parochos violatores harum legum

Canon X

Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinariis pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper, si alicuius matrimonio astiterint contra praeceptum 2 vel 3 num. V., emolumenta « stolae » sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant.

Praesenti canone sanctiones poenales contra solum parochum edicuntur, tam contra eum qui quaelibet praesentis legis praescripta violaverit, quam contra eum qui, illicita assistentia, alterius iura usurpaverit. Itaque :

84. I. Parochus *cuiuslibet praescriptionis* violator, poenas committit arbitrarias, id est quas, ad tramites legum canonicarum, Ordinarii pro modo et gravitate culpae infligent.

II. Qui nulla gravi causa excusatus, vel sine parochi proprii licentia, *sponsos coniunxerit* qui nec domicilio nec commoratione menstrua nec vagorum qualitate, sui erant, sua facere prohibetur stolae emolumenta, quae proprio parocho remittere iubetur.

1. Ius istud hanc brevem postulat expositionem : *Per se*, iura stolae parocho competunt loci matrimonii. Idque etiam si ex alius licentia, vel ob gravem causam a petenda licentia excusantem matrimonium celebraverit [2]. Cfr. GENNARI, p. 27.

2. Qui autem illicite egerint contra ius parochi proprii, « ne sua faciant

---

[1] Cfr. *Coll. Prop. Fidei*, ed. 2, n. 816.

[2] Aliter de hoc sentiendum esse putat BOUDINHON, *Le mariage et les fiançailles*, n. 95.

emolumenta [1]. » Quae verba idem sonare putamus quod haec alia : « Sua non faciunt », id est inhabiles sunt ad ea acquirenda.

Praeterea, positive iubentur ea remittere proprio parocho, cui proin, ipso iustitae titulo sunt solvenda, seu restituenda.

Quid autem si celebrans nulla emolumenta, vel infra taxam synodalem parochi proprii perceperit ?

Ac si non recepit quia nihil solutum, patet ipsum nullius pecuniae esse debitorem. Si autem ipse, fortasse in fraudem legis, summam sibi debitam remiserit, gratis celebrando, dici quidem potest remissionem debiti esse pro solutione, ita ut virtualiter accepisse existimetur. Nihilo minus, quia in odiosis versamur, et lex mere eum iubeat emolumenta remittere, de emolumentis vere perceptis id intellegemus, ita ut, nisi severior accesserit declaratio, omni restituendi obligatione dispensamus eum qui nihil acceperit.

Stolae porro emolumenta sunt quae *parocho qua tali* solvi consueverunt ; non ergo stipendium missae, nec mercedes officialium, nec donum quod ex amicitia vel grato animo a sponsis offeratur.

85. Age porro, cum, ex iure novo, quattuor saltem possint esse parochi proprii pro matrimonio, quaerendum est cuinam ex propriis sit pecunia ista mittenda. Ac fortasse hic desideratur authentica explicatio. Interea, modeste arbitramur emolumenta ei deberi parocho proprio coram quo nuptiae fuissent factae. Et deficiente alia probatione, is est praesumendus fuisse, coram quo regulariter matrimonium celebrari debuit. Ergo, parochus sponsae ; et, quia maior probabilitas ipsi favet, parochus domicilii potius quam simplicis commorationis, nisi tamen potior residentia fuerit extra domicilium. Fere idem tenet Card. GENNARI, nisi quod ipse simpliciter pecuniam addicit illi parocho sponsae, qui, ex domicilio vel residentia, videtur praeferendus.

86. Ex Conc. Tridentino, s XXIV. c. 2. De Reformatione matrimonii, « Si qui parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiam si sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, *ipso iure* tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius parochi qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. » Haec pars cap. *Tametsi* non obligavit umquam nisi ubi ipsum caput vigebat. Nunc autem num subsistit haec sanctio ? Et quia, in locum capitis *Tametsi*, novum omnino ius inducitur, nec poena ista repetitur, dicemus suspensionem istam esse sublatam. Sic etiam Card. GENNARI, op. cit. p. 52.

N. B. Ut per se patet, poenae arbitrariae sunt ab Ordinario parochi *rei* irrogandae, secundum notissimum istud : « actor sequitur forum rei. »

§ 5. De matrimoniis in quae praesens lex cadat

Canon XI

§ 1. *Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia*

---

[1] Poena ista non afficit parochum sponsi, qui sponsae parocho se praetulerit. BOUDINHON, op. c. n. 94 optat ut Episcopus praecipiat etiam restitutionem taxae, si qua fabricis ecclesiae solvi consuevit.

baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sivi illi ab eadem postea defecerint), quotiens inter se sponsalia vel matrimonia ineant.

§ 2. *Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.*

§ 3. *Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam.*

Tribus itaque istius articuli paragraphis, agitur de sponsalibus et matrimoniis quae *catholici*, vel catholicis, lege praesenti, aequiperati, contrahunt inter se, dein de sponsalibus et matrimoniis *mixtis*, tum de sponsalibus et matrimoniis *acatholicorum*.

87. I. § 1. **De contractibus catholicorum inter se.**

1. In primis accurate definitur quinam, in praesenti lege, pro catholicis habendi sint, quatenus regimini catholicorum maneant astricti. Sunt autem:

a) *Omnes in catholica Ecclesia baptizati.* Proprie quidem, nemo baptismate fit haereticus, nec proin in haeresi baptizatur. Vulgo tamen dicitur in haeresi baptizatus, quicumque ipsis baptismatis adiunctis prospicitur in haeresi instituendus. Age porro, regulam hanc, satis planam, tradit praesens paragraphus discernendi catholicos ab acatholicis, ut primo ad baptismum respiciamus. Praesenti ergo legi subduntur sponsi qui ipso baptismo ad Ecclesiam catholicam pertinere demonstrantur. Tales in primis sunt qui ex parentum vel tutoris voluntate ad ecclesiae catholicae fontes deferuntur; tales etiam qui ex parentibus catholicis oriundi, a laico in necessitate sunt baptizati. Tales, contra, non erunt, quos ministellus haereticus vel schismaticus ex voluntate parentum (sive hi acatholici fuerint, sive etiam catholici, puta filios principis Rumeniae) baptizavit. Ac, ni fallimur, simili modo res ista est intellegenda quo, in iure canonico, domicilium originis sumitur pro eo quod dat nativitas in loco, non qualiscumque, sed quae parentum sede explicatur. Id est, non attendemus qua manu collatus sit baptismus in necessitate vel invitis seu nesciis iis in quorum potestate maneat baptizatus, sed quam directionem baptizatus *in baptismi momento* habere demonstretur.

Ut paucis exemplis rem illustremus: Catholicus est filius liberi cogitatoris vel socialistae, qui, consentiente parente, a parocho baptizatur catholico, quamvis dein extra omnem religionem instituatur, vel in secta protestante; catholicus etiam ille, cuius parentes, mox post ipsius baptismum, schismatici fiant vel haeresi nomen dent; vel ille quem parentes catholici, ultro vel coacti baptizatum tradant instituto protestanti (brephotrophio) instituendum. Contra, non est ex *baptismo* saltem catholicus, filius baptizatus ab haeretico, quamvis mox parens alter vel ambo convertantur, nec filius liberi cogitatoris qui, insciis vel invitis parentibus, ab ancilla baptizatur. Fatemur tamen postremum hunc casum magis dubium videri. Sed cum Ecclesia nolit, saltem propter vitanda odia et perversionis periculum, ut pueri, extra periculum mortis, invitis vel nesciis parentibus baptizentur, his auctoritatem tribuit ad definiendam, per electionem baptismi catholici, acatholici vel nullius, formam matrimonialem cui filii erunt

obnoxii. Num illicita collatio baptismi, saepe occulti et ignorati, poterit, nisi catholica dein accesserit professio, auctoritati isti praeiudicium afferre? Id ab aequitate canonica putamus esse alienum. Sed cfr. decr. S. Officii, 31 mart. 1911.

Quid, si parentes sint ignoti? Ex *institutione* tunc dixerim rem esse definiendam.

b) Catholici praeterea sunt omnes ad catholicam Ecclesiam *conversi* ex haeresi vel schismate et iam baptizati. (Catechumeni enim forma baptizatorum non tenentur.) Dum baptismus recipitur etiam sine propria voluntate, in infantia, conversio dicit actum personalem. Quare, non ipsa parentum conversione, *conversi* putandi sunt etiam filii, sed oportet ut ipsi, actu satis personali, fidem catholicam sint amplexi. Secundum regulam propositam a Card. ALBITIO [1] et probatam tacite in litt. S. Officii 8 mart. 1882, formalis abiuratio sectae non est, ante usum sacramentorum, imponenda pueris, nisi sint maiores 14 annis, ante quam aetatem non censentur formaliter fuisse haeretici [2]. Num formalis conversio seu professio fidei catholicae etiam ad eandem aetatem est differenda, ita ut anterioris conversionis ratio non sit habenda pro matrimonio, ac possint qui nati in haeresi, dein cum parentibus conversi et ad haeresim redeuntes, si nondum 14 annos compleverint, inter acatholicos poni potius quam inter apostatas? Id minime putamus, quia alia causa est eorum qui mere in secta in qua nati sunt perseverant, alia causa eorum qui formalem fecerunt optionem. Profecto ante aetatem 14 annorum, potest homo religioni assensum formalem dare. Quodnam ergo erit habituale criterium personalis professionis? Ni fallimur, erit regulariter ultronea atque conscia susceptio sacramenti in Ecclesia catholica: confessio, confirmatio, et vel maxime, prima communio. Procul dubio, qui catholice primam fecerint communionem, censebuntur satis professi religionem catholicam, ut numquam immunitate acatholicorum frui possint.

c) Regula enim istius paragraphi est, ut conversi ab haeresi ad catholicam fidem, inter catholicos locum sortiantur, nulla autem *apostasia* regimen acatholicorum alicui tribuere possit.

88. 2. Ex nostra paragrapho, omnes isti statutis legibus tenentur, si sponsalia vel matrimonium faciant cum parte etiam catholica.

Immemorabilis tamen consuetudo sinit **Orientales** immunes manere ab omni lege disciplinari, nisi expressa declaratione comprehendantur [3]. Huiusmodi declaratio quidem hic desideratur. Sed observes legem novam transmissione ad Ordinarios promulgari. Cfr. n. **95**. Quam cum etiam ad Orientales factam noverimus, dicemus ipsos lege teneri. Orientis tamen Ordinarii iure suo usi sunt proponendi S. Sedi difficultates et dubia ob quae, ut veri simile est, temporaria aliqua immunitate potientur. Causa pendet coram S. Congr. Concilii quae mox, pro sua prudentia, eam diiudicabit. Cfr. decl. 1 feb. 1908.

II. § 2. **De sponsalibus et matrimoniis mixtis.**

89. 1. Generalis huius § regula (quam temperat exceptio) fert ut, legi

---

[1] *De Inconstantia in Fide*, p. 1, c. 14, n. 58, p. 77,

[2] Cfr. *Coll. Prop. Fidei*, n. 1565.

[3] Cfr. Litter. encycl. Prop. Fidei, 8 nov. 1882, referens discussionem coram Card. PAMPHILI, praesente PROSPERO LAMBERTINI, qui postea fuit BENEDICTUS XIV.

praesenti subdantur sponsalia et matrimonia inter *partem catholicam* et *acatholicam* contracta. Suppressa itaque sanctione positiva, qua pars a forma Tridentina immunis suam cum altera parte immunitatem communicabat [1], iam effectus naturalis restituitur, vi cuius alterutrius inhabilitas contractum nullum efficit.

Atque haec vis regulae ponitur esse, ut obliget sive sine Ecclesiae dispensatione, sive obtenta dispensatione contrahatur ; ut perinde sit dicendum sive baptizati sive non baptizati sint acatholici ; utque sponsalia aeque ac matrimonia afficiantur.

Quid iam de *Orientalibus ?*

Lex oecumenici Concilii Tridentini Orientales per se affecisse videtur, ita ut quod ad ipsos sicut quod ad baptizatos latinos, considerandum sit utrum necne specialis promulgatio C. *Tametsi* sit facta. Et quia in plerisque Orientalium partibus fuit omissa, scribere potuit PAPPSZILAGYI [2] : « certum est ius Orientale non agnoscere nisi clandestinitatem veteris iuris (ante-Tridentini) videlicet prohibitionem contrahendi matrimonium absque publicis caerimoniis ab Ecclesia pro eiusdem celebratione praescriptis, quae quidem necessariae sunt ut matrimonii celebratio licita evadat et non prohibita. »

Nihilo minus, caput *Tametsi* est promulgatum inter Ruthenos Galliciae, et fortasse etiam in Syria.

Cum ita res se habeant, Orientales territorialem vim c. *Tametsi* non effugiebant, sed si versabantur in communitate latina, ubi lex Tridentina vigebat, non secus ac reliqui non poterant valide nisi coram proprio alterutrius sponsorum parocho vel eius delegato ac duobus testibus matrimonio coniungi.

Hinc denique, *quatenus temporaria fruantur exemptione a decr. « Ne temere », ac nisi res aliter positive ordinentur*, sic de Orientalium iure interea dicendum putamus :

a) Sponsalia Orientalium valebunt ut antea, quamvis clandestina. Videtur tamen, si in loco latino fiant, aliter esse dicendum, propter principium: *Locus regit actum*.

b) In sua ipsorum communitate, forma matrimonii eodem iure regetur quo ante decretum *Ne temere*.

c) Inter catholicos autem ritus latini, formam localem observare debebunt. Num tamen proprius ipsorum parochus Orientalis (si quem habeant) universalem competentiam quam ex iure superiore possidebat amiserit, id minus nobis constat. Obstat tamen rursus illud : *Locus regit actum*.

Sicut ergo, ante decretum *Ne temere*, matrimonium clandestinum catholici latini cum parte graeca catholica vel acatholica validum erat, quamvis prohibitum, sic nunc etiam, ni fallimur, matrimonium istud propter neglectam novi iuris formam valore non destituetur. Manebit enim pro ipsis principium antea inconcussum, quod pars a forma Tridentina immunis suam cum altera parte communicat exemptionem. Quod etiam ad matrimonia inter partem baptizatam et non baptizatam (obtenta dispensatione a disparitate cultus) transferebat Card. GASPARRI. n. 963.

Dummodo tamen in loco *regiminis Orientalis* matrimonia contrahantur.

---

[1] Cfr. WERNZ, n. 40, IV et V, et n. 173, III ; et GASPARRI, n. 963,

[2] *Enchiridion iuris Ecclesiae Orientalis catholicae*, p. 464.

Salva positiva declaratione, eodem iure, si nulla ibi fuerit communitas latina, utetur latinus saltem post menstruam commorationem. (Sed cfr. de isto argumento 5am ed. nostram Commentariorum Decreti *Ne temere*, n. **88** [1].

90. 2. Severitas tamen ista habet exceptionem, si pro aliquo particulari loco vel regione aliter sit a Sancta Sede statutum.

Sic statutum est pro Germania [2], 8 ian. 1906. Statutum etiam esse contendunt doctores pro Hungaria, Hibernia, universo imperio Russiarum et Regno Poloniae eidem subiecto, ac pro Georgia [3].

Quaeritur autem num regimini particulari subdantur regiones quae declaratione utuntur quam BENEDICTUS XIV tulit pro foederatis Belgii provinciis [4], et concessio S. Sedis ad varias traduxit regiones. Card. GENNARI eius est sententiae, ut res dirimatur ex natura ipsius Benedictinae declarationis, utrum sit mera declaratio an etiam vera dispensatio. Res autem ista cum controvertatur, ita ut triplex sit sententia, existimat Eminentissimus vir lege nova regiones istas comprehendi, nisi benignior accedat declaratio.

Ut dicamus quid in hac re sentiamus, minus e verbis legis quam ex legislatoris intentione pro sententia ista argui posse arbitramur. Per se enim, sine clara novi iuris dispositione, sua immunitatis possessione non videntur excidere qui in Foederatis provinciis mixta fecerint matrimonia. Sed, cum variae istius declarationis applicationes vel extensiones maximam pepererint confusionem, cui mederi statuit legislator, mens eius videtur fuisse ut quaestiones istae radicitus, suppressa ipsa declaratione, amputentur. Utcumque se res ista habet, mox, ut accepimus, opportuna declaratio omne dubium auferet.

91. Quaeres etiam num in regionibus ubi regimen particulare vigeat, haeretici intellegi possint secundum responsum S. Officii, 6 april. 1859, quod datum est ad Episcopum Harlem, [5] (id est regionis pro qua Benedictina declaratio est facta) sed probabili sententia ad alias regiones, ubi viget regimen particulare dispensationis, extenditur [6]? Secundum istud responsum, ad effectum validi matrimonii, inter haereticos comprehenduntur : **a**) Illi qui catholice baptizati, a pueritia nondum septennali, in haeresi educantur, ac haeresim profitentur : — **b**) Qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquotiens participato ; **c**) Qui adhuc pueri, in manus haereticorum incidentes, haereticae sectae adiunguntur ; **d**) apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes ; **e**) Qui nati et baptizati ab haereticis, adoleverunt quin ullam sollemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis. » Secundum expli-

---

[1] Cfr. nunc de Ruthenis decr. P. Fid., 5 maii 1911.

[2] Iam antea, Bavaria et provincia Rhenana Borussiae subdita, regimine isto fruebantur.

[3] Cfr. GASPARRI, n. 980 ; GENNARI, p. 40, nota, etc.

[4] I. e. pro Hollandia, non autem pro praesente Belgio. Cfr. accuratam locorum descriptionem apud FEIJE, n. 320-322.

[5] *Collect. Prop. Fid.* ed. 2, n. 1174.

[6] GASPARRI, l. c.

cationem supra propositam, excepta secunda et quinta personarum classe, reliquae, iure praesenti sunt pro catholicis habendae.

Per se quidem dixeris, regiones pro quibus regimen istud speciale est inductum, idem posse ut ante intellegere. Faciunt tamen in contrarium haec duo : **a**) Lex nostra pro solis matrimoniis *mixtis* regiones distinguit sub speciali regimine constitutas. Ubique ergo, pro matrimoniis quae inter se fecerint, erunt haeretici secundum praesentis iuris significationem sumendi. Num in iisdem locis, sine vitanda ingenti confusione, vocem *haereticum* aliter in matrimoniis haereticorum inter se, aliter in matrimoniis mixtis accipies ? **b**) Interpretatio ista non est directe facta pro regione quae novo regimine utitur, sed a regione ubi declaratio Benedictina vigebat, est probabili tantum interpretatione ad alias traducta. Cfr. nunc decr. S. Off. 31 mart. 1911.

Putamus itaque, in posterum voces haereticorum secundum decretum *Ne temere* intellegi debere.

92. Age porro, in regionibus ubi *mixta* matrimonia praesenti legi non sunt obnoxia, secundum quamnam *formam* erunt celebranda ?

Donec Ecclesia aliter pronuntiaverit, omnem legis positivae vim, quod ad formam celebrationis attinet, effugient mixta matrimonia. Namque, saltem ex dispositione Ecclesiae, matrimonia inter partem baptizatam et non baptizatam, quae nulla sunt sine Ecclesiae dispensatione, soli formae canonicae satisfacere debent si dispensatio concedatur. In casu autem praesenti, nulla forma canonica ipsis imponitur. Cfr. GASPARRI, n. 963.

Si vero ambae partes fuerint baptizatae, iam per se constat solam formam canonicam esse observandam.

N. B. Ecclesia non solet dispensationes ab impedimentis concedere nisi in gratiam partis *catholicae*. Unde ad usum parum refert investigare qua forma regatur matrimonium inter partem acatholicam baptizatam et partem non baptizatam.

93. III. 3. **De contractibus acatholicorum inter se**

Ex tertia nostri canonis paragrapho, in matrimoniis acatholicorum inter se, forma praesens nusquam est servanda. Quare, ut modo dicebamus, si utraque pars baptizata fuerit, nulla clandestinitate vitiabuntur ; si neutra pars fuerit baptizata, secundum communem iam sententiam, statutum civile erit observandum. De tertia specie, id est de matrimonio inter baptizatam partem acatholicam et non baptizatam, potius erit negandum suppositum. Valori enim matrimonii obstabit disparitas cultus. Praesens enim ius acatholicos forma quidem servanda eximit, sed nullo alio impedimento levat.

94. **Quaeres** quid iuris de matrimoniis quae hactenus invalida contraxerunt acatholici plurimi, ob neglectam Tridentinam formam ?

R. Cum nulla sanatio in radice, in actis proposita [1], sit concessa, ad commune ius reicimur.

Age porro, ut revalidetur matrimonium, oportet ut conscii nullitatis prioris matrimonii, pseudo coniuges vel verbis vel facto, id est libere vitam coniugalem protrahendo, novum matrimonialem consensum, sub sta conscientia ponant. Cfr. LEHMKUHL, t. 2 n.824.

[1] Cfr. votum R. D. LOMBARDI, ACTA S. SEDIS. p. 553, 560, 563.

§ 6. Legis promulgatio

Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios.

95. Itaque, transmissione ad Ordinarios praesens decretum legitime promulgatur. Quod quo modo sit intellegendum, iam videndum est. Quaeritur si quidem utrum transmissio *principiative* an *terminative* sit accipienda *Principiative*, id est a momento quo mittitur, *terminative*, id est a momento quo decretum est ab Ordinariis receptum.

Praeterea estne *singulis* transmissionibus effectus tribuendus *singularis*, an *omnibus* effectus *collectivus*? Id est, utrum decretum in singulis dioecesibus sit promulgandum, promulgetur autem per transmissionem, an promulgatio quidem in singulis dioecesibus non requiratur, sed transmissio ad Ordinarios valeat pro promulgatione universali?

Em. Card. GENNARI, p. 44, transmissionem intellegit *principiative;* utrum autem eandem simul sumendam velit cum valore tantum singulari, non plane constat, dicere autem videtur[1]. Lex tamen non dicit « praesens decretum legitime promulgatum habeatur in *singulis* dioecesibus per eius transmissionem ad *singulos* Ordinarios » sed modo infinito ait: « Promulgatum habeatur per eius transmissionem *ad Ordinarios* », et statim addit diem qua *ubique* obligare incipiat. Praeterea, si transmissio ad singulas dioeceses pro singulari promulgatione valere deberet, mirus videretur modus selectus, saltem si transmissio principiative intellegatur. Promulgatio enim tunc haberetur eo momento quod *per se* latet *omnes* pro quibus censetur facta. V. G. Supponamus decretum esse prima die ianuarii missum ad Archiepiscopum Australiensem, ad quem 15 aprilis fortasse sit perventurum. Num dicemus esse a 15 ianuario *in illa dioecesi* promulgatum? Neque huc desinunt difficultates. Ad stricte singulos episcopos est tunc mittendum decretum ut omnes ac singulas dioeceses afficere queat. Quid autem si in aliqua dioecesi non perveniat? Per se nullus nuntius authenticus renuntiat ad quasnam dioeceses sit re vera missum. Ac Romae etiam dioecesis praetermitti potuit. Denique, si in aliqua mundi parte nondum exsistat ecclesiastica auctoritas, locus iste non foret decreto obnoxius. Erecto autem Vicariatu vel praefectura apostolica, sollicita cura etiam post multos annos, habenda erit ut transmittatur decretum, nisi malint locum manere ista lege exemptum.

Quocirca, salvo meliore iudicio, simpliciorem praeferimus sententiam. Intellegimus quidem transmissionem *principiative*, sed transmissioni, qualis *regulariter* fieri consuevit, effectum tribuimus collectivum et universalem. Id est, a die qua, pro more recepto, decretum est ab Urbe ad Ordinarios transmissum, quamvis forte aliquis eorum sit neglectus, promulgatio facta est universalis, sicut poterat esse universalis ab ipsa publicatione quae fit in Urbe. Hanc autem generalem transmissionem et ephemeridibus et multis indiciis cognoscere possumus et eam factam in comperto habemus.

---

[1] Sic habet Em. vir.: « *La trasmissione di questo decreto ai singoli Ordinarii basta alla sua publicazione e promulgazione. Si noti la parola trasmissione; e vuoi dire che, mandato questo decreto agl' Ordinarii, vale cone promulgato. Si richiede cioè l'invio, non il ricevimento. E pero, quando anche qualche Ordinario non abbia ricevuto il decreto direttamente dalla S. C. del Concilio per possibile dispersione postale, il Decreto nondimeno deve considerarsi promulgato anche nella sua Diocesi* ».

§ 7. Obligationis initium et legis vacatio

Quae in eo (decreto) disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die sollemni Paschae resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908.

96. Itaque, Romae data die 2 aug. 1907, lex vacat ad proximum usque Pascha, id est ad 19 aprilis. Ab hac die, seu a media nocte qua dies 18 transit in diem 19 aprilis, decretum suas exseret vires.

Quae ante, ob neglectam formam Tridentinam, invalide contracta fuerint matrimonia, convalidare poterunt vel servata forma novi iuris, vel etiam, si agatur de personis iam exemptis, renovato consensu (facto vel verbis) sub conscientia nullitatis, ut dictum est supra.

§ 8. Legis divulgatio

Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quam primum in vulgus edi, et in singulis suarum dioeceseum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur.

97. Nulla opus habet explicatione praeceptum istud, quo iubentur Ordinarii curare ut quam primum decretum in vulgus edatur et in singulis parochiis populo explicetur.

§ 9. Clausula derogatoria

Praesentibus valituris de mandato speciali SSmi D. N. Pii Pp. X, contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus.

98. Ultima decreti verba specialem continent confirmationem Pontificis, et simul omne ius vel usum contrarium amplissime supprimunt, sive generale fuerit sive peculiare, sive privilegio sive qualibet consuetudine innixum.

ARTICULUS IV. Optata complementa vel declarationes

Postquam praeclarum istud de matrimonii forma decretum pro viribus sumus commentati, fas iam erit de optatis quibusdam complementis vel declarationibus paucis verbis modeste dicere, quo utilissima lex suam efficaciam plenius obtinere queat.

99. I. Atque in primis occurrit nobis votum, quod, a non paucis annis, novimus maxime cordi haberi ab egregiis istis viris qui in conubiis legitimandis plurimo merito indefessam operam navant, et a parochis, quos, maxime ruri, contristat scandalum concubinatuum pro quibus remedium desideratur.

Nemo ignorat, in non paucis regionibus, religiosam matrimonii celebrationem, non tantum omni civili praesidio destitui, sed etiam, ante impletam formam civilem, sub poenis *ministro sacro*, sive proprio sive delegato [1], prohiberi. Inde fit, ut quotiescumque lege civili statuatur

---

[1] Ita dicimus, quia v. g. in Codice poenali Belgii, art. 267, poenae non afficiunt nisi ministrum sacrum. Testes non plectuntur nisi complices fuerint ministri sacri. Sic enim habet articulus : « *Sera puni d'une amende de 50 fr. à 500 fr. tout ministre d'un culte qui hors les cas formellement exceptés par la loi, procédera à la bénédiction nuptiale, avant la célébration du mariage civil. — En cas de nouvelle infraction de même espèce, il pourra en outre être condamné à un emprisonnement de huit jours à trois mois.* »

impedimentum vel exigantur documenta difficilius obtinenda seu condiciones nimis onerosae, quae lege ecclesiastica nullatenus vel saltem non quod ad valorem sunt necessaria, fere totiens vel honestae nuptiae proxime fieri nequeant, vet tristissimus concubinatus sit diu passive tolerandus.

Centena huiusmodi exempla in solo Belgio narrari possint.

Novo autem iure, fieri potest, ut, multiplicatis parochis competentibus, aliquanto facilius sit ministrum reperire qui sponsos clam coniungat sine nimio periculo. Per se tamen subsistit magnum obstaculum. Atque etiam si superetur, praescriptae annotationes (ne prodatur minister) eo tantum modo fieri possunt qui praesentis legis oeconomiae valde adversetur.

Quocirca menti legislatoris iudicamus consentaneum, ut amovendae difficultatis aptus quaeratur modus. Qui, nostra humili sententia, in novo canone quo lex augeatur haud aegre reperiri possit.

Ambo haec esse providenda satis constare videtur, ut canon novus valido matrimonioio viam ita sternat, ut temerarios ausus volentium clandestine contrahere compescat, et simul ministrum Ecclesiae a poena civili plene faciat immunem. Atque optandum etiam est ut civili Principi nulla rationabilis offensae causa praebeatur. His porro condicionibus satisfecerit, ni fallimur, canon qui his ferme verbis statuatur : « Quotiens sponsi, oblato scripto libello in quo futuros matrimonii testes designaverint, responsum scriptum obtinuerint a parocho competente : quo is declaret, se, *consulto Ordinario*, matrimonio interesse non posse, valide et licite contrahent coram testibus in suo supplici libello designatis, nisi tamen parochus nomine Ordinarii, matrimonium positive prohibuerit. Partibus et testibus imponitur obligatio in solidum curandi, ut matrimonium in praescriptis libris quam primum annotetur. »

Supponamus itaque gravem adesse causam cur partes, neglecta lege civili, ecclesiastice coniungantur. Libellum supplicem ad parochum proprium offerent. Is Ordinarium consultum adibit. Qui si putabit ipse matrimonio ecclesiastico esse obsistendum, istud per parochum positive vetabit. Si contra, gravi causa permotus, formali interdicto iudicaverit abstinere debere, parochum sinet, in responso suo, ministerium quidem, ob grave obstaculum ita declinare, ut nulla addita prohibitione matrimonium impediat. Tunc tantum integrum erit partibus matrimonium contrahere, non coram quibuslibet testibus sed coram iis qui in ipso supplici libello fuerint designati.

Interventus Ordinarii, praesentia testium quos partes eligent notae probitatis, omnes abusus in antecessum satis amputare videntur.

Cum nullus minister sacer aliquam partem activam in huiusmodi matrimonio habeat, nulla poena a lege multari potest. Omnem etiam effugient testes, cum nulli ministro sacro cooperentur. Nec civili potestati odiosum esse potest istud ius quo minister sacer se mere declaret impeditum quo minus ministerium sacrum exerceat. Contra dixeris eum civilis legis observantem, si haec ministerio exercendo obstiterit. Et cum in ipso canone nulla legis civilis fiat mentio, atque alii re vera casus impedimentorum oriri possint, ne quidem contra legem civilem videtur lex praecipue statuta.

Inscriptio denique curatur sicut quando, deficiente ministro in regione, matrimonium coram testibus fieri permittitur.

Denique, cum huiusmodi nuptiae nulla poena civili multentur, palam fieri possunt et manifestari, ita ut vera clandestinitas efficacius amoveatur quam occulta celebratione, quae, in loco dissito, coram ministro sacro, cum magna difficultate et omissis annotationibus, secus est tentanda (si quid tentetur).

100. II. *De sponsalibus*, nonne expediens fuerit praesentem legis dispositionem ampliare, ita ut non sola sponsalia clandestina infirmentur, sed etiam ad omnem aliam nuptiarum promissionem, etiam unilateralem, fideles inhabiles declarentur? Satius enim videtur, pro hodiernis moribus, ut plena libertas matrimonii quam minime coartetur.

Iuvarit etiam aperte declarare, *canonice* suppressam iam esse hispanicam sponsalium formam, quae ad Americam latinam fuit extensa.

101. III. Authentica etiam desideratur definitio de modo quo novum regimen ad parochos personales sit traducendum. Cfr. dicta supra, n. **35**. **44**.

102. IV. Sacerdoti qui, deficiente copia ministri competentis, matrimonio aegrotantis assistere permittitur, nonne opportune concedantur facultates dispensandi in aliis matrimonii impedimentis quas, ad medendum concubinatui vel matrimonio civili, Episcopus parochis habitualiter delegare permittitur. Votum istud est a Card. GENNARI insinuatum, p. 31 et confirmatum a FERRERES, n. 180, 184.

103. V. Plures *sanationem in radice* postularunt matrimoniorum quae ante praesentis legis vigorem contraxerint acatholici in posterum exempti.

104. VI. De *locis* ubi *banna* iam sint facienda; non inutilis fortasse fuerit declaratio facta.

105. VII. Omnium votis expectatur declaratio qua plane constet utrum necne lege communi teneantur regiones quae *declaratione Benedictina* fruebantur.

106. VIII. De iure quo Orientales uti debeant, sive in suis partibus, sive cum degunt inter latinos, opportunissime declaratio edatur.

107. IX. Denique definiri possit magis ad quemnam, et quo titulo, debeantur *iura stolae* indebite percepta a parocho non proprio.

N. B. Cum plures factae sint declarationes huius decreti, omnino 5ª Editio (1912), nostrae interpretationis adeunda est.

---

235. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

DECRETUM IUSSU SS^mi EDITUM 13 NOV. 1907

Festum Apparit B. M. V. ad univers. Ecclesiam extenditur

Memorantur Apparitiones et mirabilia incrementa devotionis Imm. Virg. de Lourdes.

Immaculatae Mariae Virginis vulgatum nomen de *Lourdes*, e celeberrimis ipsius Deiparae apparitionibus quae prope Lapurdum, Tarbiensis Dioecesis oppidum, anno quarto a dogmatica definitione de Immaculato Conceptu eiusdem Virginis evenerunt, cum in dies magis magisque inclaruerit, simulque Fidelium pietas et cultus ob innumera exinde accepta beneficia, saepissime additis prodigiis, ubique terrarum mirifice adauctus

sit ; multi Romanae Ecclesiae Patres Purpurati, ac plurimi sacrorum Antistites et Praesules e cunctis orbis regionibus, praeeunte Episcopo Tarbiensium, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X supplicia vota enixe porrexerunt rogantes, ut festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae vulgo *de Lourdes*, a. fe. re. Leone XIII petentibus tantummodo Ecclesiis et Religiosis Familiis concessum, ad universam Catholici Orbis Ecclesiam suprema Auctoritate Sua benigne extendere dignaretur.

Hinc oblatas Cardinalium et Episcoporum preces libentissime excipiens,

Quare Sanctitas Sua, exceptis libentissime eiusmodi precibus, Praedecessorum suorum vestigiis inhaerens, qui Lapurdense Sanctuarium permultis attributis privilegiis cohonestarunt ; innumeris quoque peregrinationibus permotus quae, mira sane fidei professione, frequentissimo Fidelium turmarum concursu numquam intermisso ad memoratum Sanctuarium peraguntur ; maxime vero pro Suamet erga Dei Genitricem primaeva labe expertem constanti pietate ac spe fretus ob ampliorem Immaculatae Virginis cultum, rebus in artis Christi Ecclesiae adauctum iri potens Ipsius opiferae auxilium ; festum Apparitionis B. M. V. Immaculatae, quod a plurimis Dioecesibus et Regularibus Familiis iam diu celebratur, inde ab anno insequenti, qui a Deiparae Virginis ad Gavi fluminis oram apparitionibus quinquagesimus erit, vel a nongentesimo nono supra millesimum in universali Ecclesia sub ritu duplici maiori, cum Officio et Missa iam diu approbatis undecima die februarii quotannis recolendum iussit : servatis Rubricis et Decretis.

Pontifex pluribus rationibus permotus, Festum Apparitionum ab anno 1908 vel 1909 universae Ecclesiae imponit celebrandum.

Praesens vero Decretum per me infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationis Praefectum expediri mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 novembris 1907.

Decretum edi iubet. Clausula Dies (13 nov. 1907.)

SERAPHINUS Card, CRETONI, *S. R. C. Praef.*
D. Panici, Arch. Laod., S. R. C. Seeret.

ADDITIO BREVIARIO INSERENDA

Die 11 februarii in festo Apparitionis B. M. V. Immaculatae. Duplex maius

Officium et Missa propria, a S. R. C. approbata die 11 iulii 1890, cum sequenti additione ad calcem VI Lectionis : Tandem Pius X Pontifex Maximus, pro sua erga Deiparam pietate, ac plurimorum votis annuens sacrorum Antistitum, idem festum ad Ecclesiam universam extendit. »

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente me infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptam additionem inserendam Officio proprio de Apparitione B. Mariae Virginis Immaculatae benigne approbare dignatus est. Die 27 novembris 1907.

SERAPHINUS Card. CRETONI. *S. R. C. Praef.*
D. Panici, Archiep. Laod., S. R. C. Sec.

ANNOTATIO

Quia ea die editum est decretum qua iam non poterat ad omnes dioeceses opportune pervenire, Sanctissimus Dominus quandam optionem concessisse videtur celebrandi festum vel ab hoc anno 1908 vel a proxime sequenti.

236 — SS. D. N. PII PP. X

BREVE 30 IUL. 1906

Indulgentia Portiunculae Congr. SSmi Sacramenti conceditur

Praestantia festi Corporis Dni et votis Super. gen. permotus, S. Pontifex libenter concedit indulg. totiens quotiens a I vesperis sollemnitatis corp. Christi lucrandam in qualibet Congregationis ecclesia.

Neminem latet festum SSmi Corporis Christi Domini inter alias Ecclesiae sollemnitates omni modo eminere, ideoque Nobis nihil est antiquius quam ut dies quo Mysterium illud recolitur etiam caelesti indulgentiarum thesauro per universum terrarum orbem eniteat. Hoc consilio votis hodierni Superioris Generalis Congregationis SSmi Sacramenti ultro libenterque annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, de speciali gratia omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere paenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, quotiens a primis Vesperis ad occasum solis sollemnitatis Corporis Christi, Ecclesiam quamcumque ipsius Congregationis SSmi Sacramenti ubique terrarum exsistentem devote visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant ;

Clausulae.

Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem misericorditer in Domino concedimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris.

Dat. 30 iul. 1906.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXX iulii MCMVI, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Pro Dno Card. Macchi.
N. Marini

ANNOTATIONES

1 Ad catalogum itaque indulgentiarum « a Portiuncula » haec accedit, quam Patres Congr. SS. Sacramenti in suis ecclesiis lucrandam proponunt in ipso festo Corporis Christi, etiam in Belgio et Gallia, quamvis ibi sollemnitas in dominicam sequentem transferatur.

Ut pleraeque huiusmodi indulgentiae, initium habet a primis vesperis sollemnitatis, et usque ad solis occasum protrahitur. Cfr. nunc n. **486** in tomo VI.

N. B. 2. Age porro, de die quo anticipari possint confessio et communio, accepimus ad hodiernam S. Congregationis mentem minus quadrare quod dicebatur in indulto 14 iul. 1894, et a nobis est exscriptum, t. 3, p. 152. Quare tabella ibi proposita videtur ex parte reformanda, ita ut confessio et communio a die 15 iulii tantum fieri possint ad lucrandam indulgentiam Carmelitanam et a sabbato tantum, ante Dominicam SS. Trinitatis, ad lucrandam indulg. Trinitariam ; communio denique ad lucrandam indulgentiam Rosarii non possit fierri nisi sabbato vel die ante ipsam sollemnitatem.

Perinde hic erit dicendum. Confessio et communio non fient, salvo indulto, utiliter nisi a die quae ipsam sollemnitatem Corporis Dni immediate antecedit. Sed cfr. nunc infra n. **260**.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ius canonicum

Didacus Van Geyseghem. O. F. M. *De Geprofeste Kloosterzuster in België*, of *Verhandeling over de plichten welke v or de Kl.osterzusters in België uit hunne Professie ontstaan*, bestemd vooral voor geestelijke bestuurders, biechtvaders, oversten en noviciemeesteressen van vrouwenkloosters. Gent, Huyshauwers en Scheerder, 1907, 1 in-16, 174 p.

Eerste Deel. Plicht van naar de volmaaktheid te streven. — Tweede Deel. Onderhouding des regels. — Derde Deel. Over de beloften.

F. Hilgers, S. I. *Dei Bücherverbote in Papstbriefen.* Kanonisch-Bibliographische Studie. Freiburg in Breisgau, Herder, 1907, 1 in-8, VIII-108 p. (M. 2,50).

Der Artikel 47 des kirchlichen Buchergezetzes. — Erster Teil. Ueber das Bücherverbot in den ersten christlichen Jahrhunderten ; in Papstbriefen von 325-1600 ; in Papstbriefen von 1600 bis 1907, welche in neuen Index nicht erwähnt sind. — Zweiter Teil. Die Bücherverbote in Papstbriefen (nach 1600), welche im neuen Index vermerkt sind. — Dritter Teil. Anlagen. Seltene Apostolische Schreiben mit Bücherverboten. — Anhang. Die Unterwerfung Fénelons Index der unter Pius X (1903-1907), verbotenen Bücher.

Ferreres Juan, S. I. *Las Cofradias y Congregàtiones Ecclesiasticas, segun la disciplina vigente.* Tratado Canonico con numerosas anotaciones sobre las terceras Ordenes Seculares. 2 ed. Barcelona, Gustavo Gili, 1907, 1 vol. in-16, 216 p. Artic. XIX.

Ferreres Juan, S. I. *Commentario Canonico sobre el deorcto « Recenti », complementario del decreto « Ut debita » sobre Misas Manuales*, Madrid, sucesores de Rivadeneyra. 1907, 1 vol. in-12, 10 p. Decreto Anotaciones. a) Parte expositiva ; b) Parte dispositiva.

Laurentius Iosephus, S. I. *Institutiones Iuris ecclesiastici*, edit. altera, emendata et aucta. Friburgi Brisgoviae, Herder, 1908, 1 vol. in-8, XVI-712 p.

Liber I. De fontibus iuris ecclesiastici ; II, Ecclesiae Constitutio ; L. III, De Officiis et Beneficiis ecclesiasticis ; L. IV, De Gubernatione Ecclesiae ; L. V, De administratione magisterii et ministerii ecclesiastici ; L. VI, De Societatibus ecclesiasticis ; L. VII, De bonis temporalibus ecclesiasticis ; L. VIII, De Ecclesiae relatione ad alias Societates.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert Librairie, Bruges.

Tractatus canonico-morales

A. Lehmkuhl, S. I. *Compendium theologiae moralis*, ed. 5. Friburgi-Brisgoviae, Herder, 1907, 1 vol. in-8, XXIII 610 p. THEO. MOR. GENERALIS : Liber unicus. THEOL. MOR. SPECIALIS, P. 1. De virtutibus et officiis vitae christiaenae ; P. 2. De subsidiis vitae christianae agendae. Documenta.

Bastien Petrus, O. S. B. *De frequenti quotidianaque Communione, ad normam decreti, « Sacra Tridentina Synodus »*. Romae, Desclée, 1907. 1 vol. in-8, XIV-240 p.

SECTIO PRIMA De frequenti, cotidianaque Communione, Expositio historica. — SECTIO SECUNDA. De frequenti, cotidianaque Communione, ad normam decreti : « Sacra Tridentina Synodus. » — Appendices. Praecipua de frequenti cotidianaque Communione Documenta.

H. Hello, R. D. *Le Décret sur la Communion quotidienne appliqué aux œuvres ouvrières*. Tournai, Casterman, 1907. 1 vol. in-16, 50 p. (1=0,15 ; 25=3.00 ; 100=10 fr.). L'autorité, la Doctrine du Décret : l'Eucharistte et la jeunesse ouvrière. Comment appliquer le Décret aux apprentis et aux jeunes ouvriers ; dans les patronages ; aux cercles d'ouvriers ; aux écoliers, dans les patronage ; dans les maisons d'éducation. Conclusion.

J. Lintelo, S. I. *La Communion fréquente et quotidienne*, Tournai, Casterman, 1908. 1 vol. tn-24, 42 p. précédé d'une lettre de son Em. le Card. MERCIER. I. Un mot d'histoire ; II. Les préjugés ; III. Le secret des bonnes communions ; IV. Donnez-nous des communiants.

Ferreres Giovanni, S. I. *L'insegnamento del catechismo, prescritto da Pio X.* Commentario Canonico-morale, sopra la Enciclica « Acerbo nimis. » Tradotto da **Luigi Riessi**. Torino, Marietti, 1908, 1 vol. in-16 136 p. L'obligo dei parroci, dei vescovi ; la preparazione per la confessione, la cresima, la prima comunione, la compagnia della dottrina cristiana ; l'insegnamento dei giovani ; degli adulti. Modo pratico di fare il Catechismo.

Van Kempen Ansfridus, O. S. B. *Verzameling van Teksten voor bidprintjes, rouwgedichtjes en authentieke schietgebeden* met HH. Aflaten verrijkt. Brugge, Verbeke, 1907. 1 vol. in-16, 340 p. Het oude Testament. Het Nieuwe Testament. HH. Vaders en andere gewijde schrijvers. Rouwgedichtjes, Schietgebeden, Liturgische gebeden.

Oeconomia politica

Schryvers Jos., C. SS. R. *Manuel d'économie p. litique* avec une préface de G. C. **Rutten**, O. P. Roulers, De Meester, 190 p. XV-354 p.

PREMIÈRE PARTIE. — Science économique en général. — SECONDE PARTIE. La production des richesses. — TROISIÈME PARTIE. La circulation des richesses. — QUATRIÈME PARTIE. La répartition des richesses. — CINQUIÈME PARTIE. La consommation des richesses.

(Anon.) *La Société et les Œuvres des Aumôniers du Travail :* Notice. Seraing, Imprimerie des Aumôniers, 1907. 1 vol. in-8, 64 p. Origine ; But ; Moyens ; Esprit ; Œuvres.

SUPPLEMENTA

QUAESITA VARIA

I. De electionibus capitularibus

Quaeritur primo, quo modo intellegenda sit maioritas *ultra medietatem* seu absoluta, quae requiri consuevit ut aliquis eligatur.

Dubium de necessaria maioritate tunc tantum oriri potest, quando Vocales adsunt impari numero. Sint, v. g. quindecim. Num a maiori parte electus censebitur qui octo tulerit suffragia ? Cum enim media pars quindecim suffragiorum sit septem cum dimidio, octo suffragia non superant medietatem nisi dimidio suffragio.

Id tamen sufficere probat usus communis ; probat etiam sententia canonistarum. Exemplo sit Reiffenstuel, l. I, t. 6, n. 139. « Sufficit autem quicumque excessus ultra medietatem, etsi foret unius medii voti, v. g. si essent tredecim Vocales, septem vota iam sufficerent.

« Cum enim iura loquantur indistincte, quod valeat electio facta a maiore parte capituli, et nullibi addant debere esse excessus : nam ubi iura non distinguunt neque nos debemus distinguere. Abbas c. Cumana, n. 9, h. t. Card. De Luca, t. I, disc. 1, De parochis, n. 17, Bernardus Sannig, h. t. c. 4, n. 9, Passerinus, c. 29, De electione, n. 18, citans alios. »

Ac simili ratione computabuntur duae tertiae partes, ubi hae requirantur. Ita, si tredecim sint capitulares praesentes, cum tertia pars istius numeri sit 4 et 1/3, duas partes efficient bis 4 et 1/3, seu 8 et 2/3 quae in 9 suffragiis continebuntur. Neque aliter, 10 suffragia component 2/3 ex 14 capitularibus.

Quaeritur deinde, quid si aliquis dederit suffragium *caecum* seu *vacuum (billet blanc) ?*

Constat vacua suffragia intra numerum non computari. Sint v. g. 20 capitulares quorum 4 dent suffragia vacua. Novem suffragia component absolutam maioritatem. Cfr. PELLIZARIUM, tr. 9, c. 2, s. 1, n. 33, vel REIFFENSTUEL, l, I. t. 6, 203, et CRAISSON, n. 400.

N. B. Observes, denique, facta suffragiorum collatione, electionem immediate ab eo qui Capitulo praeest denuntiari debere, ut sic constet quisnam sit electus et authentica habeatur electionis proclamatio. Cfr. PELLIZARIUM, ibidem, n. 31 et 35.

II. De condicione Sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium

Variae de criminoso isto moveri possunt quaestiones quae seria consideratione dignae videntur. In duo porro genera omnes facile cogi possunt.

Quaeri siquidem prius potest quasnam censuras ac poenas commiserit reus ;

Dein, qua vi, qua facultate absolvi vel dispensari possit, ita ut sacris operari rursus queat ?

Ut ordini consulamus, utramque questionem, alteram post alteram, examinabimus.

A. *Quasnam censuras ac poenas commiserit reus ?*

1. In primis bifariam committit *excommunicationem* C. *Apostolicae Sedis*, *Ordinariis* reservatam, quatenus : a) Ut clericus in sacris constitutus ; b) Ut regularis post solemne castitatis votum, matrimonium attentare praesumpserit.

Namque, ex S. Officii declaratione, 22 dec. 1880, etiam, qui mere civile contraxerit matrimonium in excommunicationem incidit.

Ratio tamen excommunicationis videtur utrique, id est clerico et professo, esse communis, quatenus gravi ista censura plectere et cohibere voluerit legislator violatam consecrationem, quam, sive ex sacra ordinatione sive ex solemni professione receptam, vereri debebat reus. Quocirca contumaciam arbitramur esse formaliter unicam, ita ut una tantum contracta sit excommunicationis censura [1]. In qua

---

[1] De principiis multiplicationis, cfr. BONACINA, d. 1, q. 1, p. 5, n. 11 ; D'ANNIBALE, *Summula Theol. mor.* t. 1, n. 327 ; et, pro irregularit. GASPARRI, *De Sacra Ordinatione* n. 197.

sententia confirmamur eo quod impedimentum voti et ordinis sacri pro uno sumitur matrimonii obstaculo [1].

Aliunde notum est, cum lex praesumptionem exigat, a censura immunem fore qui, dum matrimonium attentat [2], censuram ignoraverit, idque etiam si crassa et supina ignorantia laboraverit.

Observes denique, contra ac de irregularitate dicemus, ad excommunicationem istam non esse opus ut pseudomatrimonium sit perfecta copula consummatum.

2. Quamvis in ipso communi iure, *apostasia a religione* nulla puniatur censura, latae saltem sententiae, solent nihilo minus Ordines religiosi privilegio muniri quo eorum apostatae vel fugitivi re ipsa excommunicationem committunt S. Sedi vel Superiori generali reservatam.

Plerumque ergo, ne dicam semper, infelix iste reus hac altera etiam excommunicatione erit affectus.

3. Si alterutrius censurae conscius, sollemniter in ordine suo ministraverit, v. g. sacrum celebraverit, irregularitatem contraxit ex delicto.

4. Communis denique opinio illud etiam addet : statim ut matrimonium istud attentatum opere consummaverit, fit etiam *ex delicto* irregularis ob bigamiam quam *similitudinariam* vocare solent.

Haud dubium enim est quin bigamia etiam interpretativa intercidere possit, ut si, qui nunc, spreta professione, civiles nuptias consummat, alterum ante professionem matrimonium consummaverit, vel iam affectu maritali feminam cognoverit, vel si, post professionem, cum duabus feminis matrimonium attentare praesumpserit. Quam irregularitatem, ubi bigamia interpretativa concurrat cum similitudinaria, nihilo minus censeri similitudinariam et ex delicto, opportune monet Wernz, t. 2, n. 121.

Idem fuerit casus eius qui, post sollemnem professionem, contraxerit cum muliere quae vidua sit vel carnalem cum altero habuerit copulam. Cfr. Lehmkuhl, II, 1025.

Ut nunc ad speciem quam proprie contemplabamur redeamus, sacerdotis professi, inquam, qui nuptias cum virgine attentaverit et consummaverit : sententiae communis auctores, Suarez, *De censuris*, d. 49, s. 4 ; Sanchez, *De Matrimonio*, tr. 7, d. 65, quibus adhaeret S. Alphonsus, l. 7,

---

[1] Lehmkuhl, *Theol. mor.* II, 749.

[2] Excommunicatione plectitur ipsa matrimonii attentatio, non autem subsecuta cohabitatio.

n. 448, in primis rem non ita undequaque certam proponunt.

De clerico enim in sacris, qui virgini nubere attentaverit, SUAREZ probabilem habet sententiam negantem, pro qua SANCHEZ non spernendos affert patronos. De professo autem, innititur SUAREZ lectione dubia et minus probata canonis (Cfr. D'ANNIBALE, I, 420 ; GASPARRI, 393-396). Canon enim ad quem provocat [1] sic habet : « Quotquot virginitatem pollicitam *praevaricatae* sunt » Sermo ergo fit de *muliere*, ita ut de irregularitate agi nequeat. SUAREZ, contra, legit *praevaricati* sunt.

Haec iam ostendunt rem non esse manifestam. Si vero ipsa argumenta perpendere voluerimus, haec reperiemus :

a) *De clerico*. Afferunt c. De diacono 1, et Ex litterarum, 2, Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt (IV, 6). Verba haec sunt : « De diacono qui in sabbato sancto alium diaconum vulneravit et uxorem accepit, hoc tuae prudentiae respondemus, quod si contrito et humiliato corde ad ecclesiam redire voluerit, dimissa illa quam accepit in uxorem et absolutione obtenta, iniuncta sibi paenitentia de utroque excessu, post eam peractam dispensative poteris ei diaconatus officium reddere ; et si perfectae vitae et conversationis fuerit, eum in presbyterum ordinare. » Ita cap. 1. Cap. autem 2 hoc modo dicit : « Ex litterarum tuarum tenore accepimus, quod lator praesentium in subdiaconatus officio constitutus, quandam sibi in coniugium copulavit, quam eandem abire fecisti. Super quo prudentiam tuam in Domino commendamus, mandantes quatenus, si ad monasticum ordinem transire voluerit, et tibi, post laudabilem conversationem ipsius, visum fuerit, eum ad maiores ordines promoveri concedas ; quod si ad religionem se transferre noluerit, eum neque in subdiaconatu ministrare, neque ad ulteriores permittas ordines promoveri. In minoribus tamen ordinibus poterit ministrare. »

Age porro, locus iste iuris est ab argumento irregularitatis prorsus alienus. Verba quid sonant? Cuinam, in priore capite, redditur officium ? Ei qui ab officio erat suspensus. Ac re vera, huiusmodi reum esse per poenam suspensionis et excommunicationis coercendum, tradit idem ALEXANDER III, c. Si qui, 1. De clericis concubinariis (III, 3). Praeterea naturae irregularitatis adversatur ut quis in peracta paenitentia titulum ad dispensationem reperiat. Verba autem

[1] Est can. *Quotquot*, 24, C. XXVII, q. 1.

proxime sequentia irregularitatem potius negant, cum admittant eundem posse in presbyterum ordinari. Accedit auctoritas Abbatis et Hostiensis, qui similem casum c. 4, Sane sacerdotes, de suspensione intellegunt.

Perinde est de altero capite dicendum. Cfr. v. gr. SANTI, *Praelectiones,* l. 1, t. 21, n. 11. Definit itaque certum ius. Constat autem irregularitates non haberi nisi quae in certo iure sint expressae. Quare merito irregularitatem istam negat D'ANNIBALE, n. 419, nota 18, et GASPARRI, cuius eruditam dissertationem conferas, *De Sacra Ordinat.*, n. 393, 394. Nec dissentit WERNZ, l. c. n. 121.

b) *De Professo.* Iam labilis probatur demonstratio, eo quod ex synodo particulari Ancyrana foret depromenda. Quia tamen can. Quotquot, 24, C. XXVII, q. 1, (ex can. 19 Ancyrani concilii, 314) usu est receptus, rationem illam silentio praetermittimus. Sed gravius, ut iam diximus, vitium in sententiam incurrit, quod canon agit de feminis, quae irregulares fieri nequeunt.

Quod si quaeras quomodo inter bigamos haberi iubeantur, suppetit haec facilis explicatio, tunc temporis bigamos quidam paenitentiae fuisse obnoxios, quae praevaricantibus virginibus hic simul imponi potuit. In qua re cernitur quaedam analogia utriusque casus, id est, verae bigamiae, et status in quem decidunt istae virgines. Verum analogia casuum non sufficit ut in argumento strictissimi iuris, quale est irregularitas, positivas iuris sanctiones ultra vim verborum extendas.

Quocirca, vanam prorsus existimamus ratiocinationem SANCHEZ (*De matrimonio,* 7, 85, 6) : « Licet sermo sit de feminis, id a fortiori in viris procedit. » Nec proinde contendere potest, viros qui post sollemne castitatis votum maritaliter feminam cognoverint esse ad bigamos ascribendos, ita ut fiant irregulares. Namque et perfecta utriusque speciei aequiperatio negari potest, cum virgo sacra maiore infamia peccet quam vir ; nec dicta de virgine ob analogiam ad viros, in re poenali, transferri possunt ; nec tandem quia locum inter bigamos occupare iussus fueris, iam dici possis bigamiae etiam irregularitatem contrahere. Praesertim cum, ex ipsa SANCHEZ sententia, irregularitas bigamiae verae sit ex defectu, irregularitas autem bigamiae similitudinariae foret ex delicto.

Nec felicius arguas ex can. Monachus, 32, C. XXVII, q. 1 (ex can. 1 Aurel. 511), quippe quae synodus sit particularis. Postea autem ex Clementina unica De consanguinitate et

affinitate, (IV, 1) et C. *Apostolicae Sedis*, rei isti excommunicatione plectuntur.

Cum etiam S. Thomas eos inter irregulares minime recenseat, tuto sententia d'Annibale et Gasparri stari potest.

N. B. Quia bigamia vera non fit multiplex eo quod quis ter vel quater sit matrimonio iunctus, recte infert Gasparri (n. 404), nec similitudinariam, si qua fuerit, multiplicari ob plura delicta, seu attentata matrimonia.

Perinde dicendum est de causa duplici (ordinis sacri et voti professorum) ob quam quis attentati matrimonii sit reus.

Nobis autem qui tenemus irregularitatem ex attentato matrimonio esse ex delicto [1], irregularitas contracta ob matrimonium cum vidua (seu irregularitas interpretativa) alterius videtur esse rationis atque irregularitas similitudinaria ob attentatum matrimonium, ac proinde distinctam postulat dispensationem. Ita Gasparri, n. 404. Cfr. tamen dicta supra n. 4 initio, ex Wernz, n. 121.

B. *Qua vi vel facultate absolvi vel dispensari possit huiusmodi criminosus, ita ut sacris rursus operari permittatur ?*

1. Excommunicationem qua plectit delinquentem, quia clericus in sacris et sollemniter professus matrimonium contrahere praesumpsorit, ius Ordinario reservat.

A censuris autem quas ius Episcopo reservat, possunt Praelati regulares suos subditos absolvere. Etiam recens, S. Officium istam potestatem agnovit Cfr. Resp. 22 martii 1881 « Posse (Praelatos regulares) absolvere a censuris Episcopis reservatis etsi occultis. »

Nec obstat hic facti notorietas, dummodo sincera fuerit paenitentia.

2. De excommunicatione in quam forte propter suam apostasiam a Religione incurrerit, consulendae sunt Ordinis Constitutiones, quae, ut veri simile est, Praelato Ordinis facultatem non denegant. Quamquam casus poterit vel Provinciali vel Generali reservari.

3. Ab irregularitate contracta ob Ordinis exercitium quo censura violetur, Praelati regulares dispensare possunt. C. Pauli III, *Licet debitum*, 18 oct. 1549 ; Sixti IV, *Regiminis universalis*, 29 sept. 1474.

4. Ab irregularitate, si qua contracta sit bigamiae *similitudinariae,* possunt etiam Praelati regulares dispensare. Cfr.

[1] Quidam putant eam esse ex defectu. Cfr. Santi, l. 1, t. 21, n. 11.

S. Alphonsum, *De Censuris ;* l. 7, n. 453 ; Gasparri, n. 403. Ratio depromitur ex ipso iure communi. Paris rationis enim est bigamia clerici in sacris constituti qui matrimonium attentet, et religiosi professi qui eodem crimine inficiatur. Sed prioris irregularitas, si qua fuerit, ex ipso iure communi Episcopo committitur dispensanda. Ergo, quod ad regulares, idem poterit eorum Praelatus, ex formali concessione S. Pii V, C. *Romani Pontificis*, 21 iul. 1571.

Maior difficultas oriri possit ex bigamia *interpretativa*, si qua accesserit. Facultas enim Praelatorum regularium persuasione plurimorum doctorum probatissimorum potius quam rationibus nititur. Quae enim a quibusdam afferuntur valde debiles sunt. Privilegium appellant quod, C. *Dum ad Congregationem,* 13 iun. 1571, S. Pius V Congregationi Cassinensi concessit, sed videtur huius Congregationis esse proprium. Ipsum autem privilegium Pauli III, contentum Indulto *Exponi nobis*, 12 martii 1545, quo Benedictinis Vallisoletanis amplissima fit facultas dispensandi in irregularitatibus, feria 2 in Quadragesima, videtur, ob extraordinariam gratiae rationem, beneficio communicationis exclusum. (Cfr. Piat, *Praelectiones iuris regularis*, t. 2, p. 95.)

De variis itaque his facultatibus, hoc modo dicendum videtur. *Per se*, ex principiis iuris, vix aliquid certum eruere possis. Sed doctores quibus Ecclesia permittit ut fidamus, ita quasdam acceperunt facultates, ut usum omnibus concederent regularibus. Praeterea ipsa irregularitatum multiplicatio statum genuit complexum et propensionem ad facultates dilatandas. Actus autem S. Sedis qui benignae isti interpretationi clare sit contrarius non habetur.

Quare pacem turbare nolimus eorum qui eam ad usum suum transferant.

3. Verum alia succedit consideratio. Similitudinaria enim bigamia inter delicta numeratur quae quempiam de haeresi faciunt suspectum. Suspecti autem de haeresi sunt deferendi Inquisitoribus vel S. Officio. Estque excommunicatio lata contra Superiores vel subditos regulares qui religiosos eiusdem Ordinis deferre omiserint. (Cfr. *De Religiosis,* t. 1, n. 418, nota.)

Hac nixus ratione, Piat, t. II, p. 94, post Giraldi, *Expositio*, etc. p. 513, n. 686 contendit dispensationem istam iam stricte S. Sedi reservari.

Nos fugit tamen vis huiusmodi illationis. Inquisitor enim natus est Episcopus. Quare, etiam si vigere supponimus ius de

deferendis haereticis et suspectis, nulla obligatione cogimur eosdem S. Officio deferre, sed vel S. Officio vel Episcopo qui, in foro etiam externo, causam haeresis iudicare, et, recepta abiuratione, absolutione dirimere potest.

Denuntiatio ista intra mensem per se facienda foret.

Hodie tamen, de generali huiusmodi legum vigore agens, scite observat Lehmkuhl, (I, 813), « Pro regionibus ubi impune haeresis grassatur... illa positiva legum iussio non ita urget... quod multo magis nostris temporibus verum est, tum circa haeresim formalem, tum circa crimina quae suspicionem haeresis faciunt. » Sed, ubi nullus haereticus vel suspectus de haeresi est deferendus, nonne rationabiliter etiam infertur, in Superiore qui ipse debitas adhibeat cautiones, remque meliore quo potest modo componere satagat, deesse contumaciam ob quam in eum censura modo relata incurrat? Immo, nonne argumentum pro benigna conclusione erui potest ex ipso nuperrimo decreto S. Officii, 15 maii 1901, in quo omissa omni censurae mentione, in generali monito « in rebus ad S. Officium spectantibus nullo modo ad Superiores Regulares pertinere subditorum suorum causas agnoscore » specialis fit mentio abusus Sacramentalis confessionis. « Quos religiosi viri ex suis subditis vel confratribus vel etiam Superioribus huiusmodi criminum (praesertim quod ad abusum Sacramentalis Confessionis spectat) reos vel sucpectos noverint, strictim teneri... eos S. Officio aut locorum Ordinariis incunctanter denuntiare. » Quorsum ista peculiaris mentio, nisi ut inculcetur hac saltem obligationem vigere et nulla tolli excusatione?

6. Denique sacerdos professus qui matrimonium attentaverit, re ipsa fit *infamis*. Hac permanente infamia, admitti nequit ad celebrandum cum religionis dedecore.

Infamia tamen ista per notoriam et constantem vitae emendationem tollitur. Quare, interposito saltem aliquo temporis intervallo, per quod emendatum se palam probaverit, ad celebrandum admitti poterit reus. Probationem plures exigunt triennalem. Ita S. Alphonsus, « universim loquendo », l. 7, n. 346, Lacroix, l. 7, n. 517; d'Annibale, n. 122, nota 31. Melius autem Gasparri, *De sacra ordinatione*, n. 310, et Wernz eam dicunt « non numero quodam authentico annorum circumscriptam, sed prudenti iudicio Superiorum ecclesiasticorum definiendam » Ac miratio eorum qui reum cognoverint facilius cessabit in monasterio, quam in publica Ecclesia.

III. De obligatione Missae Conventualis pro Regularibus

« Ex decreto S. Rituum Congregationis, 2 decembris 1891, inter decreta authentica, n. 3757, dixeris minimam obligationem Regularium esse ut unam legant missam conventualem officio diei respondentem. Sed, ut observatur in Periodico Monitore Ecclesiastico, 1900, t. 12, p. 274, memorato decreto declaratur obligatio quae exsistere supponitur, nulla autem nova inducitur obligatio, nec aliqua induci potuit, cum ad alias Congregationes, id est, ad Congr. Concilii vel Episcoporum et Regularium spectet praeceptis ligare Regulares [1].

« Manet itaque conclusio quam post Cavalieri, *Opera liturgica*, t. 3, c. 8 et alibi, De Herdt, *S. Liturgiae praxis*, t. 1, n. 14 (3 ed.), Patroni, Adoni, etc. defendunt scriptores Monitore, t. 7 part. 1 p. 183 et part. 2 p. 116, id est, nulla lege canonica regulares missa conventuali dicenda teneri, nisi Constitutiones vel consuetudo obligationem creaverint.

« De ipsis tamen Constitutionibus, Cavalieri addit : Non « novi ex mendicantibus religionem aliquam cuius Consti- « tutiones aut consuetudo in rigoroso praecepto constituant « celebrationem missae conventualis. »

« Age porro, in hac nostra provincia (Fr. Praed.), ab anno 1860, missa cotidie celebratur, et quidem cum assistentia Fratrum, etiam quando missa non cantatur. De usu antiquiore non constat. Tres ex antiquioribus Patribus, de re interrogati, anteriorem obligationem, cum Fratrum assistentia in choro, ignorarunt. Alius declaravit se nusquam observasse Fratres qui se ad missam exstimarent obligatos. Alius observantiam anteriorem ad unam missam in ecclesia sine assistentia Fratrum contrahebat. Tertius refert celebratam fuisse missam conventualem, sed tempore quo in choro recitabantur parvae horae. (Tres isti religiosi ad tres distinctos conventus pertinent.)

« **Quaeritur** iam num praesens usus habendus sit pro consuetudine quae vim habeat gravem inducendi obligationem. »

Responsum. 1. Argumenta quibus causa diiudicanda est haec fere sunt. Num Fratres ab initio novi usus, vel saltem postea, voluere se obligare, id est obligationem contrahere ? Num suppressio missae excitatura videtur

[1] Sed cfr. nunc novas rubricarum normas, t. 6, n. **552**, p. 135.

difficultates et perturbationes ; v. g. si Superior siverit Fratres abesse, num alii id indigne ferent et querentur ?

Si utrumque affirmari potest, consuetudo vim legis obtinuit. Si neutrum, non est inducta obligatio. Si prius saltem est affirmandum, obligatio etiam inducta videtur. Si solum alterum, de obligatione non constat. Haec eruimus ex principiis generalibus de animo requisito ad inducendam consuetudinem praeter legem. Cfr. Bauduin, *De consuetudine in iure canonico,* n. 130-134.

2. Quia iam observat Suarez (*De legibus*, l. VII, c. 15, n. 13), « non esse facile iudicare de obligatione praecepti per consuetudinem inducta, et in dubio, ac ceteris paribus, potius esse inclinandum in eam partem quod consuetudo sit devotionis vel honestatis, et ad melius esse, potius quam obligationis », magis veri simile existimamus usum istum ad observantias perfectionis, non autem ad strictam obligationem esse ascribendum.

IV. De indulgentiis Portiunculae

Quaeritur quaenam sit vis indulti generalis quo, tribus diebus ante indulgentias pluries in die propositas, necessaria confessio utiliter fieri potest ?

Respondetur eam esse vim, ut pro vario regimine quo utebantur, succedat iam regula generalis et facilis. Quare, in tabula quam t. 3 p. 152 posuimus, dies confessionis hoc modo sunt mutandi, ut dicatur *ex gratia generali* confessio fieri posse a 30 iul. pro Portiuncula Franciscana, a 13 iulii, 27 iun. 30 oct. pro Carmelitana, SS. Cordis, Benedictina; a feria V praecedenti pro Portiuncula Servorum B. M. V., SS. Rosarii et SS. Trinitatis ; et a feria II praecedenti pro Portiuncula SS. Sacramenti.

Praeterea, ut observat Canoniste contemporain (1908, p. 227), indulgentia totiens quotiens etiam lucranda proponitur in ecclesiis Ordinis Minimorum, die 2 aprilis, festo S. Francisci de Paula, ex gratia Gregorii XIII, confirmata a Benedicto XIV, ut constat etiam ex S. C. Indulg. 15 mart. 1884, ad 1 et ad 3. (A. S. S. XVI, 433). Necessaria confessio a 30 mart. fieri potest.

V. De invalida Superioris electione

In Monasterio quodam filiali, Regularis Superior erat primum constituendus. Capitulo praeerat Abbas domus matricis, sicut volunt Constitutiones. Hoc autem modo peracta est electio. Abbas, proposito candidato qui ipsi omnibus dotibus instructus videbatur, interrogavit capitulares professos num eum eligere placeret. Quod cum plerique *publico suffragio* affirmassent, Abbas monachum istum legitime electum pronuntiavit.

Quaeritur iam : 1. De valore istius electionis.

2. De valore noviciatus et professionis eorum qui in monasterium cooptati sunt per quattuor annos quibus sic electus Superior monasterium rexit.

Resp. ad I. Modo descripta electio certo *nulla* fuit. Ex ipso C. Trid. s. 25, c. 9, *De Regular.* electio Superiorum districte fieri praecipitur per *vota secreta ;* atque aliter facta electio irrita decernitur.

Ad II. Generalis sanatio utiliter impetrabitur. *Firmas* tamen arbitramur *relatas receptiones*, *professiones*, quia Ecclesia, ob communem errorem et titulum coloratum, iurisdictionem in gratiam communitatis supplevit.

Ipsa pacifica gubernatio communem prodit errorem. Titulum afferebat electio, maxime coloratum iis qui capitulo non interfuerant. Capitulares quidem in iure errarunt, sed excusantur quia Praesidi fidebant, et primam electionem regulis immunem suspicari poterant. Sunt quidem qui negent errorem iuris sufficere, sed probabilis est opinio benignior. Quare electus fruebatur iurisdictione saltem probabili : quam ab Ecclesia suppleri constat.

SUPPLEMENTUM TERTIUM DECIMUM[1]

RITUS SACRI RELIGIOSORUM AB EDITA AUTHENTICORUM DECRETORUM COLLECTIONE (1900)

IX Patronus loci, regni, provinciae, dioecesis

ANNOTATIONES reliquae in decreta citata, t. 3. p. 157

(De modo quo dioecesani patroni sint a Religiosis colendi)

Immo aliquousque applicuerimus dubiis circa huiusmodi patronos, — eos saltem qui uti sollemnitate gaudentes in Kalendario dioecesano indicantur, — quod habetur in decreto 15 maii 1819. In hoc porro vituperantur Regulares qui de ipsa consecratione Ecclesiae Cathedralis dubia excitaverant, licet illius festum in Kalendario dioecesano fuisset assignatum... « Ad illius officii recitationem omnes etiam tenentur Regulares, quibus permissum non est de illarum consecratione dubia excitare. » Cfr. GARDELLINI nº 4559 (Regni Hispaniarum) cum notula adiecta.

Cave tamen ne hac praesumptione imprudenter utaris in iis dioecesibus in quibus, ut in Tornacensi, servatur usus (et quidem alicubi ex indulto, cfr. STIMART p. 200) transferendae etiam Sti TITULARIS sollemnitatis.

4. Est qui, quod ad Belgium et Galliam spectat, obiciat ex decreto CARD. CAPRARA, 9 apr. 1802. Hoc nempe prohiberet quominus decretis supra citatis (16 febr. 1906 et 16 febr. 1907) in Belgio et Gallia fiat satis, saltem relate ad patronos regni, dicionis aut dioecesis. Sed distinctione, ni fallimur, opus est. Hoc enim decretum CARDINALIS CAPRARA huiusmodi patronos non attingit nisi quod ad feriationem, ita ut eorum festi sollemnitatem — quae feriationis locum iam obtinet — si hoc infra hebdomadam occurrat, transferre non liceat in Dominicam proxime sequentem (cfr. Decr. 3444 et 3469). Cultus vero liturgicus reliquus celebrationis eorum festi sub ritu duplicis primae classis in propria die — et cum octava apud clerum saecularem — remansit et nihil in eo mutatum est. Dixerim ergo ex decretis supra citatis inferendum in regionibus ubi viget indultum CARD. CAPRARA, quod spectat ad patronos regni, dicionis aut dioecesis, nequaquam teneri regulares, non magis ac saecularem clerum, ad huiusmodi patronorum *sollemnitatem*, teneri vero ad eorum — modo, utique, feriati olim fuerint — cultum liturgicum reliquum ipsa die qua festum occurrat.

Cultum liturgicum reliquum celebrationis festi Patronorum nequaquam suppressum fuisse hoc decreto, utriusque cleri opinio fuit ab ineunte saeculo decimo nono, ut patet tum ex multiplicibus kalendariis antiquis cleri saecularis tum ex eo quod regulares patronum dioecesis qua talem eo modo colere perrexerunt post decretum CARD. CAPRARA. Cfr. v. g.,

[1] Cfr. PERIODICA t. 3, p. 92, 118, et 155. Verum de toto isto argumento cfr. nunc in t. VI decreta de novis rubricis, et in t. VII, n. 630. p. 24. synopticam relationem decretoram S. R. C. ex novo volumine Decretorum authenticorum.

directorium FF. Recollectorum anni 1824 ; — item directorium anni 1817 eorundem FF., ad diem 17am septembris : « In dioecesi Leod. S. Lamberti, dupl. 1 cl. » Quae posterior indicatio reperitur, item, v. g. in Kalendario anni 1825 FF. Minorum.

5. Quod spectat in specie patronum *dioecesis*, notum est eum per se ius nullum habere extra civitatem ubi est episcopi cathedra et ea loca quae proprium Patronum non habent. Sed an, per accidens, in Belgio ? Quaesitum fuit Marsis a S. R. C. 12 nov. 1831 num civitates et oppida, quae iam habent Patronum principalem, debeant aut saltem possint continuare celebrationem Protectoris principalis Dioecesis sub ritu dupl. primae classis cum octava ; et cum obligatione utriusque praecepti ex consuetudine. »

Responsum porro est : « Affirmative ad primam partem, seu continuationem Officii ; Negative quoad secundam, seu quoad obligationem utriusque praecepti, iuxta Decreta alias edita. » (No 2682. Marsorum, ad 38). *Potest* ergo celebrari hoc festum in una quaque Belgii dioecesi, etiam in tota dioecesi, cum in singulis adsit consuetudo ; videtur immo illud *debere* ibidem celebrari. Respondetur enim affirmative ad quaestionem « Num debeant aut saltem possint. » Quae posterior solutio confirmatur nota quae legitur in Kalendario Tornacensi ad 15 septembris : « Officium Patroni principalis dioecesis sub ritu dupl. 1 cl. cum oct. omnes e clero saeculari dioecesis incolae aut Civitatis facere tenentur. S. R. C. 12 nov. 1831 » et facto quod in singulis Belgii dioecesibus festum Sti Patroni dioecesis ubique apud clerum saecularem celebrandum indicatur ut dupl. 1 cl. cum oct.

Neque aliter, nisi quod ad oct., se gessere olim aut rem intellexere Belgii *regulares*. Cfr. ad festum S. Lamberti, directoria supra citata, et, quod ad dioeceses Leod et Torn., directoria Soc. Iesu anni 1843 et sqq. plurium. An et quousque recte, videbimus infra.

6. Quod supra diximus, celebrandum esse regularibus festum Patroni dioecesis aut Provinciae aut regni cum istud vel feriatur vel saltem fuit olim feriatum, extendi evidenter non potest apud ipsos ita ut huiusmodi patronum magis excolant quam ipse clerus saecularis. Unde v. g., si clerus saecularis nihil iam aliud quam officium et Missam Patroni alterius aut tertii, nec nisi in urbe episcopali, praestat, neque aliud Regularibus aut extra urbem episcopalem erit praestandum.

Immo in casu quo *ex consuetudine* officium Patroni dioecesis olim feriati *ubique* in dioecesi a clero tantum saeculari recitetur, negari possit illud Regularibus ubique in dioecesi seu extra urbem episcopalem iam recitandum esse. Non enim mens Congregationis esse potest huiusmodi responso consuetudinem obligatorie extendendi. — Tandem notum est Regulares huiusmodi festorum octavam nec debere nec posse celebrare.

7. Ex iis quae hactenus dicta sunt, vix aliqua videtur inferenda alicuius momenti mutatio in praxi Religiosorum in Belgio quod ad patronos regni aut dioecesis. Stus Ioseph enim, Patronus regni [1], immo et Ecclesiae, iam dudum et a Regularibus ipsis ritu dupl. 1 cl. colitur. Quod spectat ad

[1] Scimus quidem hunc titulum Sti Ioseph in Periodico « Mélanges théologiques » (Série VI, p. 137-141) impugnatum fuisse, sed rationes ibi allatas sufficienter refutatas putamus a R. P. Baesten in Periodico « Précis Historiques ». T. 28 (anno 1870) p. 129, 196.

patronos dioecesium, duos tantum reperias, Stum Lambertum et Stum Eleutherium, qui non sint Titul. Eccl. Cathedr. ideoque iam aliam ob causam sub ritu dupl. 1 cl. regularibus colendi ubique in dioecesi.

Porro quod spectat ad S. Eleutherium, casus facilis est solutionis.

Videtur enim eius festum ne olim quidem feriatione affectum fuisse. Cfr. Cl. Stimart nº 287 affirmantem festa SSrum Patronorum *Dioecesium* Tornacensis et Cameracensis de praecepto non fuisse — *qua talium* — in foro ante Perturbationem Gallicam.

De Sancto Lamberto autem aliter concludendum videtur. Sunt qui opinentur eum, non patronum dioeceseos tantum sed et antiquae Cathedralis Leodiensis titulum, fuisse insuper Patronum antiquae dicionis Leodiensis. Cui opinioni favere videtur ordo dioecesis, p. 2, cum iubeat in hoc festo pastores celebrare pro grege, eo quod numeretur inter festa unius « ex principalioribus patronis in quocumque regno sive provincia. » Quidquid sit de hac opinione, fuit saltem Stus Lambertus patronus dioecesis, et quidem feriatus, non Leodii tantum sed et in tota dioecesi. Quod inferri potest :

a) Ex eo quod nunc saltem Stus Lambertus in tota dioecesi ita honoratur ut non solum eius festum ubique sub ritu dupl. 1ae cl. cum octava recolatur, sed et sollemnitas eius ubique in Dominicam remittatur. Quae posterior praxis, etiamsi cum decreto Caprara parum conformis esse videatur, certo certius admissa est a S. R. C. quae proprium Leodiense ante 50 circiter annos approbavit.

b) Ex variis Breviariis, Diurnalibus, Ritualibus et Kalendariis antiquis.

c) Ex auctoribus antiquis, v. g. Manigart, Praxis pastoralis, (Edit. 4a, 1688, p. 965 :) « Habemus duos principales Patronos (in dioecesi) B. M. V. et Stum Lambertum, martyrem inclitum. »

d) Ex variis litteris episcoporum Leodiensium, v. g. Illustrissimi Domini Zaepffel, diei 29ae nov. 1802.

Quod si Stus Lambertus est iam dudum Patronus Dioecesis, fuitque olim feriatus, ex decretis sub I recitatis (t. 3 p. 157) sequitur Leodii saltem eum esse ut talem regularibus colendum, praeter Stum Hubertum urbis patronum. Extra Leodium autem, etiam ubi adest loci alter patronus, v. g. Verviae, ab iisdem coli *saltem* potest. Ut enim ostensum est supra, iuxta Decr. 2682 ad 38, servari potest consuetudo, vel etiam servanda est, sicubi introducta fuit, dioecesis patronum *ubique* in dioecesi colendi. Porro facile est probatu Stum Lambertum in universa dioecesi Leodiensi fuisse olim ab ipsis Regularibus ut dioecesis patronum excultum.

N. B. Sermo non fuit in praedictis de sollemnitate Sti Lamberti regularibus instituenda ut a clero saeculari totius dioecesis celebratur, sed unice de officio et missa in die ipsius festo.

8. Ad II et III. Supponendum est istos Patronos esse vel fuisse feriatos. Ut enim supra dictum est, inferri posse videtur ex resp. ad IV et V Decreti 16 febr. 1906 Regulares non teneri ad celebrandum Patroni festum, quod *numquam* feriationem habuerit.

9. Ad IV. Negari nequit hoc praesertim responsum huiusmodi esse quod religiosis plures facessat in Belgio circa Patronos locales quos colere debeant difficultates. Sane non est cur religiosi dubia de legitima patronorum electione ita excitent ut Proprio dioecesano a S. R. C. approbato stare non videantur. Sed, praeterquam quod, – quod ad locorum patronos

spectat — solet Proprium dioecesanum altum silentium de iis tenere (sic, v. g., nihil in Proprio aut Kalendario Tornacensi reperias quod patronatum Sti Christophori in urbe Caroloregiensi indicet), valde difficile est inquirere num feriatione gavisus olim fuerit patronus qui hodie ne improprie dicta quidem feriatione ornetur.

Hic est, ni fallimur, casus Stae Gudulae quae Bruxellarum est cum Sto Michaele patrona aeque principalis. Haec enim sancta cum feriatione non recolitur nunc temporis, nequidem cum translatione sollemnitatis in Dominicam sequentem. Ceterum non certo constat eam fuisse olim ita excultam. Testatur utique Kalendarium cleri saecularis Bruxellensis anni 1766 populo fuisse sacrum audiendum die eius festo ; sed ex hoc non nisi valde probabiliter inferri potest viguisse antiquitus utrumque, tum sacri, tum abstinentiae ab operibus servilibus praeceptum, seu feriationem. Et ideo forsan, cum quaestionem facti dirimere nollet, S. R. C. sapienter respondit interroganti num Regulares Bruxellenses debeant sub ritu dupl. 1 cl. festum Stae Gudulae celebrare, celebranda esse Regularibus Patronorum festa *feriata*. (Decreto 3925. III. 4).

Quare opinatus sum constare Stae Gudulae festum posse quidem a Regularibus Bruxellis celebrari, non vero debere.

Quod ad S. Eleutherium spectat, qua urbis Tornacensis patronum, de quo forsan dubitari possit num fuerit olim Tornaci feriatus, immo num sit urbis patronus, standum putaverim kalendario dioecesis, quod eius festi sollemnitatem imponit.

10. Ad VI. Ratio ob quam regulares degentes in Regno Neapolitano dicuntur teneri ad celebrandum festum Sti Fr. de Paula non est quod sit Regni patronus aeque principalis, sed feriatio a Gregorio XVI iniuncta. Celebratur, nempe, in Dominica, ut feriatione gaudeat. Unde parvi refert quod nonnisi ritu dupl. II classis colitur.

X. **De ordine praecellentiae officiorum**

1. Festum Patrocinii S. Ioseph, ne in Societate Iesu quidem, haberi potest ut primarium, censendaque est revocata praerogativa qua in ipsa pollebat praeferentiae in occursu cum festo Dedicationis Ecclesiae propriae, Patroni vel Titularis (II, 29).

2. Festum SSi Redemptoris habendum est in occursu et concursu uti secundarium, etiam apud Clarissas quae in Dominica III iulii ritu dupl. mai. celebrant officium SSi Redemptoris, et quidem, iuxta concessionem a Gregorio XVI factam, cum iure translationis occurrente festo *potioris ritus*. (S. R. C. 16 febr. 1906 ad IX). (N. R. Th. 1906 p. 627).

3. Vi clausulae derogatoriae decretorum 27 iunii 1893 et 14 aug. 1894, festa secundaria Conversionis S. Augustini, Transverberationis Cordis S. Teresiae et Impressionis Stigmatum S. Francisci, quae tribus aliis festis primariis

eiusdem ritus atque iisdem diebus respective occurrentibus antehac praelata fuerant in doecesi Abulensi, iisdem posthac postponi debebunt et cum iis diem suum fixum commutare. (S. R. C. in Abul. 17 mart. 1902).

4. Ex decreto 16 februari 1907 Ordini Praedicatorum *pro gratia* conceditur ut festum S^ti^ Francisci Assisiensis, quod ab universo ordine die 4^a^ octobris sub ritu toto duplici 1 cl. cum octava sollemni recolitur, transferri valeat in sequentem diem 5^am^ eiusdem mensis, quotiens inciderit in Dominicam primam octobris Sollemnitati SS^i^ Rosarii (et ipsi celebratae sub ritu toto dupl. 1 cl. cum octava sollemni) ceu propriam sedem assignatam ; translato quoque iuxta Rubricas officio B. Raymundi Capuani Confessoris. (Cfr. Acta S. Sedis, 1908 p. 25).

5. In occurrentia diei octavae festi secundarii et duplicis minoris primarii, praeferendum est officium diei octavae secundariae et facienda duplicis minoris primarii commemoratio. (Si occurrentia sit perpetua, festum hoc duplex minus fixe transferendum est in diem primam sequentem liberam, iuxta rubricas.) (S. R. C. 29 nov. 1907. Eph. Lit. 1908. p. 19).

6. In collegio Tornacensi S. I., festum S^ti^ Ioannis Berchmans, dupl. 2 cl., die 13^a^ augusti occurrens cum die octava Titularis, fiat hac ipsa die, perpetuo redacta ad ritum simplicem die octava SS^i^ Salvatoris Titularis Ecclesiae (S. R. C. 15 iul. 1904).

Annotatio

Ad 1. Praerogativa, de qua hic, asserebatur inter Peculiares observationes ad Kalend. perpetuum S. I. a S. R. C. die 6 dec. 1888 approbatum. Qualitas quidem festi primarii ibi non notabatur, cum, ante annum 1893, ipsa huiusmodi non esset ad quam in concurrentia aut occurrentia attendendum esset. Sed ex ipsa praerogativa, si haec persisteret, deducenda esset. Cum porro Decreto Generali 26 aug. 1893 (n. 3808) festum Patrocinii S^ti^ Ioseph inter secundaria recenseatur, decreto vero 2 iulii eiusdem anni festa primaria praeferenda sint tam in occursu quam in concursu secundariis eiusdem ritus et classis, rescriptaque seu decreta in contrarium facientia suprema auctoritate abrogata fuerint, facile erat praescire quaestionem Kalendaristae solutum iri a S. R. C. ut re ipsa soluta est decisumque iri non decreta tantum contraria abrogari sed et assignationes secundum ipsa antehac factas mutandas esse ita ut iam primaria secundariis eiusdem ritus et classis non cedant.

Simile quid ac de Patrocinio dicendum esset circa alias quasdam concessiones relatas et ipsas inter Peculiares observationes de quibus supra, nempe iam transferenda esse officia Orationis D. N. I. C., Commem. Pass.,

et huiusmodi alia, item Purissimi Cordis B. M. V., Sollemnitatis SS. Rosarii, Maternit., Purit., et Patrocinii B. V. occurentia cum officio eiusdem ritus quidem sed potioris qualitatis, seu primario. Quae ceterum conclusio confirmatur decretis citatis sub n° 2 ubi ad Tabellam pro festis secundariis remittitur et sub n° 3. Neque infirmatur decreto posteriore sub n° 4 recitato, cum haec concessio sit recens et fiat *pro gratia*.

Ad 5. Sic tandem solvitur quaestio de qua vide supra III, 121.

Ad 6, Putaverit aliquis non fuisse cur haec solutio, utpote obvia, a S. R. C. expeteretur.

Petentis vero menti occurrebat obiectio quod diu, scil. ad annum usque 1888, cum festum B. Ioannis nondum esset dupl. 2 cl., sed d. tantum, soliti fuerant Socii Iesu Tornacenses — et recte quidem — festum B. Ioannis transferre, et eius loco, Titularis ecclesiae suae diem octavam celebrare. Unde dubitabat num liceret festum S^ti^ Ioannis Berchmans, iam d. 2 cl., in diem 13^am^ aug. retro referre. Immo solutionem negativam subindicari opinabatur decreto 2963 secundum quod Officium alicuius Sancti, quod ab aliqua die octava, qua perpetuo est impeditum, assignatum fuit in aliam diem fixam, non debet ab hac sede assignata removeri, etiamsi, cessante ob Quadrag. v. g., octava, dies fixa accidentaliter sit libera. Aliter iudicavit S. R. C. et mutationem permisit — quatenus opus erat — immo et praescripsit.

Aberat ceterum paritas cum casu decreti 2963, cum hic non ageretur de impedimento cessante accidentaliter. Festum nempe S. Ioannis iam huiusmodi erat, quod ad ritum, cui dies octava praeferri amplius non posset.

XI. De officiis quae accidentaliter impedita transferri non possunt

Privilegio translationis non gaudent festa *secundaria* SS. Ecclesiae Doctorum ritus dupl. min. (S. R. C. 4 mart. 1901 ad X).

XII. De officiis concessis certae Feriae vel Dominicae affixis quod ad privilegium translationis, assignationis et mutationem

1. Prohibitio per decretum 3637 translationis Officiorum propriorum B. M. V. aliquibus Dominicis assignatorum, nempe Matris Divini Pastoris, Puritatis, Maternitatis, B. M. V. de Succursu, in alias Dominicas huiusmodi dies insequentes, intellegenda est etiam quod ad alios dies non dominicos liberos, ita ut neque in istos dies praefata officia transferri queant.

In casu impedimenti perpetui quod ad aliquam Ecclesiam, praedicta Officia Dominicis diebus assignata, omittenda

prorsus sunt. (S. R. C. in Tropien. 3 aug. 1901 ad 1). N. R. T. 1902, p. 101.

2. Viget Decretum 2417 ad 2 circa festum Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quod licet assignatum sit Dominicae, si impediatur, transfertur ad primam diem liberam (S. Marc. et Bisinian., 17 iul. 1903 ad I) N. R. T. 1904, p. 546.

3. Prohibitio translationis in alias dies liberas non intellegenda est tantum de Officiis B. M. V. aliquibus Dominicis assignatis, sed etiam de festis Domini, in specie de festo Sacrae Familiae (ib. ad II et III).

4. Secluso privilegio, festa primaria et secundaria Sanctorum Dominicis diebus affixa, si sint particularia, omittenda sunt quando impediuntur (ib. ad IV).

5. Particularia Officia mobilia, quae in Kalendario ac Proprio perpetuo ad usum totius dioeceseos Tornacensis approbato certis Dominicis vel Feriis affixa sunt, in casu impedimenti ad diem respective liberam immediate subsequentem transferri valent, ea tamen lege ut officia Mysteriorum ac Instrumentorum Dominicae Passionis non ultra Quadragesimam transferantur (S. R. C. 6 dec. 1904).

6. In tota Provincia Belgica Societatis Iesu, festum Patrocinii B. V. assignetur, ex Indulto, Dominicae II novembris, qua impedita, idem festum transferatur in diem primam insequentem liberam, iuxta Rubricas (S. R. C. 15 iulii 1904).

ANNOTATIO

Ad 1, 2, 3, 4, 5. Regula generalis est non quidem quaecumque officia affixa certis Feriis vel Dominicis, sed tantum huiusmodi officia *concessa*, transferri non posse absque speciali privilegio. Nullum enim decretum afferri potest quo generalior prohibitio statuatur. E contra afferri potest v. g. praesens Decretum numeri secundi et illud quod vigere adhuc ibidem declaratur.

Festum enim Dedicationis Eccl. Cathedr. est quidem affixum certae Dominicae, sed non inter pure concessa recensendum est. Est nempe *praeceptum*.

Sic etiam explicatur cur facta fuerit restrictio quae sub nº 4º legitur : « si sint particularia ». Secus enim officia haec, utpote universalia, praeceptiva dicenda essent.

E contra, videtur extendenda regula ad quaelibet festa pure concessa — cum lex non distinguat — cuiuscumque classis sint et cuiuscumque dignitatis. Quod posterius « cuiuscumque *dignitatis* » decretis modo citatis confirmatur. De priore asserto « cuiuscumque *classis* sint » non videtur esse dubium, neque inter auctores, neque inter eos qui quaestionem posuerunt solutam decretis 2417 ad 2 et 17 iul. 1903 ad 1, quippe qui eam de dupl. 2 cl. posuerint.

Adde quod de huiusmodi festis, mobilibus lato sensu et affixis diei quae propria non est — qualia sunt, praeter ea quae sub n° 5 indicantur Maternitas et Puritas B. V. — S. R. C. pluries declaravit ea ne in perpetui impedimenti casu quidem transferri posse absque speciali privilegio. Quod quidem non semper concedit (cfr. Cl. Van der Stappen, T. 2. Q. 112 ad finem).

Ad 6. Ab anno 1888, Festum Patroc. B. M. V. celebrandum est in Societate Iesu Dominica nov. quae occurrit die 15 vel intra dies 15 et 21. Haec autem dominica numquam non occurrit, in Belgio et Gallia, cum octava Dedicationis Omnium Ecclesiarum vel cum ipso Dedicationis anniversario. Unde, in Belgio non immutata fuerat post annum 1888 consuetudo iam dudum introducta clerum saecularem imitandi qui, ex indulto quidem, saltem alicubi, festum Patrocinii in Dominicam infra octavam Omnium Sanctorum antetulerat.

Recens porro, Dominica hac a S. R. C. assignata festo dupl. 2 cl. Omnium Sanctorum Societatis, a S. R. C. petita est mutatio festi Patrocinii in aliam diem. Dominica vero 2ª novembris, in quam S. R. C. retrotulit festum, non minore impedimento afficitur ac Dominica 3ª nov. et Dominica infra octavam Omnium Sanctorum. Coincidit enim semper cum Dominica post oct. Omnium Sanctorum, seu cum Dominica fixa pro Dedicatione omnium Ecclesiarum Belgii, vel, saltem, cum die oct. Omnium Sanctorum. Hoc alterum — cuius in quaesito omissa fuerat mentio — certe non adverterunt *Eph. lit.* in commentario suo decreti 4261, ad 4, 24 febr. 1911 (cfr. 1911, p. 265). Quae cum essent, curatum est ut Patrocinii officium, sua die perpetuo impeditum, in 1am diem liberam, 28am nov., a competenti auctoritate regulari fixe assignaretur [1]. Requiritur utique privilegium ad hanc translationem. Nec facile forsan cum certitudine demonstraveris *huiusmodi* translationis, praesertim perpetuae, privilegium directum atque explicitum apud transferentes exstare. Hoc enim non videtur erui posse neque 1° ex indulto Societati concesso die 25 sept. 1891, quippe quod, ut ex allata in ipso ratione patet, agere videatur de impedimento accidentali : « *Iis* annis quibus praedictae feriae » — neque 2° ex decreto 2504, quippe quod sit responsum prorsus particulare, unice spectans ad dioecesim Barcinonensem, vel, ad summum, ad Dominia Hispaniarum regi subiecta (proindeque, certo, ne ad Belgicam quidem provinciam S. I., cum Belgium, 11 sept. 1790, iam non Hispaniae esset), ut nempe patet tum ex ipso decreti tenore, tum ex eius collatione cum decretis 2747 ad IX, 3008, 3531 ad I, etc. Sed adest *saltem* privilegium indirectum et implicitum, nempe ex decreto 3925 Dub. III ad I, de quo fusius postea agere nobis in animo est propter ea quae recens legere fuit apud Ephemer. Liturg. (1908, p. 271).

H. Degrelle, S. I.

---

[1] A 24 febr. 1911 iam ita agi non potuisset.

MONUMENTA

237. — S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE 3 MAII 1907

Instituto dioecesano titulum ordinationis concedentes

Roma, 3 mai 1907.

Reverendissime Domine,

Precibus annuens a Te, Rev^me^ Domine, huic S. C. sub die 1 proxime elapsi februarii porrectis, et ab Em. Archiep. Parisiensi commendatis, per praesentes tribuitur tibi facultas ordinandi sodales istius cui praees Instituti a Domina Nostra de Sion nuncupati, ad titulum mensae communis, pro decem casibus.

Quominus enim ordinari queant ad titulum missionis obstat praxis exigendi ab his qui hoc titulo ordinantur iuramentum non ingrediendi in religionem.

Omnia interim bona Tibi a Domino precor,

Reverentiae Tuae addictissimus servus

Card. Gotti, *Praef.*

Aloisius Veccia, Secretarius.

R. D. N., *Superiori Generali Instituti X.*

Annotationes

1. Primum hic nobis occurrit exemplum Instituti quod, quamvis iure utatur mere dioecesano, obtinuit, circumscripte tamen, facultatem conferendi alumnis titulum ordinationis.

2. Ex ipsis litteris colligere licet petitum esse titulum *missionis*, praesertim cum Institutum istud missionibus in Oriente operam det, sed negatum esse ob iuramentum non ingrediendi religionem, quod ab his qui hoc titulo ordinantur est praestandum.

Nihilo minus diffitendum non est, plura religiosa missionum Instituta hoc titulo esse munita. Nec magnam facit iuramentum istud difficultatem, cum quia promissio ingressum in religionem non excludit simpliciter sed solummodo si fiat sine licentia S. Sedis ; tum quia promissio *non ingrediendi* non afficit nisi ingressum futurum.

3. Formula autem istius iuramenti haec est :

Ego... (nomen ac praenomen), filius (praenomen patris) et... (praenomen et nomen matris) dioecesis.... spondeo et iuro, quod, postquam ad sacros ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia aut

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

Voveo pariter et iuro, quod in missione cui Sanctae Sedi vel Sacrae Congregationi de Propaganda Fide me destinari placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione Reverendi plurimum Domini pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam ; quod etiam praestabo si cum praedictae Sedis Apostolicae licentia, religionem, societatem aut congregationem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

Item voveo et iuro me praedictum iuramentum et eius obligationem intellegere et observaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

N. N.

Loco, die... mensis... anni...

238. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQUIAR.

RESCRIPTUM EX AUD. SSi 12 IUN. 1907

Indulgentia plenaria pro integri Rosarii recitatione

Beatissime Pater,

Orator.

Fr. M. Henricus Desqueyrous, Procurator generalis Ordinis Praedicatorum, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit quod in diversis regionibus, praesertim vero in Germania, pius ille usus, inter Confratres SS. Rosarii, invaluit Rosarium integrum pro triumpho Sanctae Matris Ecclesiae recitandi, immo et ad hoc non pauci nomen suum dederunt, ut specialis erga S. Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem devotionis testimonium praeberent. Petit ergo humilis orator, ut confratribus SS. Rosarii, qui confessi ac S. Synaxi refecti, Rosarium integrum, etiam divisim, in una die naturali ad praedictam intentionem recitaverint, et aliquam ecclesiam vel publicum sacellum visitaverint, indulgentiam plenariam, etiam defunctis applicabilem, singulis diebus semel tantum lucrandam, Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur.

Memorato pio usu recitandi rosarium pro triumpho S. Ecclesiae

Petit

Indulg. plenariam

Et Deus.

SSmus D. N. Pius PP. X in audientia die 12 iunii 1907 ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrarius quibuscumque non obstantibus.

Concedi-tur

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 12 iunii 1907.

Dies (12 iun. 1907).

S. Card. CRETONI, *Praefectus*

D. Panici, Archiep. Laodicen., Seretarius.

239. — S. CONGR. INDULG. ET SS. RELIQUIAR.

INDULTUM EX AUD. SSi 26 IUN. 1907

Conceditur usus binarum gratiarum ecclesiis quas Fr. Min. in Hollandia administrant

Orator Fr. Vitalis Keenen, Minister Provinciae Germaniae Inferioris Ord. FF. Min. in Hollandia, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit:

Memoratis duobus indultis 1° Ab hac S. C. Indulg. fuisse declaratum die 4 feb. 1746 (Decr. Auth n° 157): « Omnes et singulas cappellas publicas praefatorum FF. Recollectorum in regione Germano-Belgica exsistentes gaudere, donec residentiam inibi duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis eiusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas christifideles ad sacrum audiendum, et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant. »

2° Ab hac S. C. Indulg. obtentum fuisse sub die 19 mart. 1763 rescriptum prout sequitur:

« SSmus Dominus Noster Clemens Pp. XIII, speciali gratia, et attentis peculiaribus circumstantiis, indulgentiam plenariam in perpetuum concessam omnibus ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci, die secunda augusti, Portiunculae nuncupatam extendit in omnibus et singulis ecclesiis FF. Recollectorum praefati Ordini S. Francisci ad totam octavam, ita tamen ut semel spatio octidui ab unoquoque christifideli lucrare valeat. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari futuris perpetuis temporibus absque ulla Brevis expeditione ».

« Datum Romae etc. »,

Et ratione dubitandi Agitur in hoc utroque rescripto, non de ecclesiis proprie dictis conventualibus, sed de ecclesiis quae a Patribus praefatae Provinciae administrantur sub iurisdictione Episcoporum ad normam SS. Canonum.

Cum autem post praefatum utrumque rescriptum obtentum, aliae ecclesiae praefatae Provinciae Patribus administrandae fuerint traditae, aliae fuerint reaedificatae in loco diverso a loco primae erectionis, hinc dubitatur num praedictum utrumque rescriptum etiam ad hasce ecclesias extendatur.

Petit *gratiam declarationis vel concessionis.* Hinc ut omne dubium e medio tollatur, praefatus orator humillimis precibus supplicat, ut Sanctitas Tua benigne dignetur declarare, vel in quantum opus est de novo concedere extensionem praefati utriusque rescripti ad omnes et singulas, tum praesentes cum futuras ecclesias quae a Patribus praedictae Provinciae sub iurisdictione Episcoporum, ut praefertur, administrantur. Ad normam dicti utriusque rescripti indulgentiae fuerunt populo publicatae, quae sane publicatio sine magna populi admiratione intermitti non posse videtur.

Quam gratiam, etc.

Conceditur SSmus Dnus Noster Pius Pp. X, in Audientia habita die 26 iunii 1907 ab infrascripto Card. Praef. S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (26 iun. 1907). Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 26 iunii 1907.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.

240. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

RESCRIPTUM 23 AUG. 1907

De Praecedentia Missionariorum

Memorata occasione duplicis deliberationis

In data [1] del 3 gennaio 1906, alcuni sacerdoti di cotesto Vicariato, coll' autorizzazione della S. V., mi proposero dei dubbi relativi alla precedenza dei Missionari che passano da un Vicariato ad un altro. Tale questione fu proposta all' esame degli Emi Padri di questa S. Congregazione nell' adunanza generale del 21 gennaio di quest' anno, e di nuovo nell'altro del 29 luglio, sotto i seguenti dubbi :

Dubia *indicantur*

I. Se le primitive patenti di Missionario Apostolico debbano tenersi a calcolo per la precedenza, quando trattasi di un Missionario che passa da uno ad un altro Vicariato ?

Et quatenus negative :

II. Se abbia da accordarsi tale precedenza almeno ai Missionari che vengono trasferiti per il solo bene della Missione *ad quam*, o per causa di malattia o di vecchiaia ?

Et **responsa.**

A tali questi, i prelodati Emi Padri, dopo matura considerazione, stimarono rispondere :

Ad I. Affirmative, salvis peculiaribus statutis a S. Sede approbatis et dispositionibus S. Congregationis in casibus peculiaribus.

Ad II. Provisum in primo.

Approbatio SSmi

Tale risposta [2] poi il Nostro S. Padre degnavasi di approvare nell' udienza concessa, il 6 del corr. mese di agosto, a Mons. Segretario di questa S. Congregazione.

Tanto doveva comunicare alla S. V., e colgo l'occasione per augurarle ogni bene da Dio.

Di V. S.

Dies (23 aug. 1907).

Roma, 23 agosto 1907,

Devotissimo Servo
Fr. H. Card. Gotti, *Prefetto.*
Luigi Veccia, Segretario.

Mons. Agapito Fiorentini, Vicario Apost. dello Sciam-si Settentrionale.

---

[1] Latine : *Illme et Revme Domine.* — Die 3 jan. 1906, sacerdotes aliquot de tuo Vicariatu, obtenta A. T. facultate, dubia mihi proposuerunt de praecedentia Missionariorum qui ab uno Vicariatu ad alium transmigrant. Quaestio ista examini proposita est huius S. Congregationis in coetu plenario 21 jan. istius anni, atque iterum in coetu 29 iulii, hac dubiorum ratione :

1. Num litterae patentes Missionarii Apostolici primitus cuipiam concessae attendendae sunt ad aestimandam praecedentiam Missionarii qui ab uno ad alterum Vicariatum transeat.

Et quatenus negative.

2. Num tunc saltem beneficium istius praecedentiae concedendum est, cum Missionarii transferuntur propter solum bonum Missionis *ad quam*, vel propter morbum aut senium.

His quaesitis praelaudati Patres, post maturam deliberationem, ita respondendum existimarunt :

[2] Responsum istud SSmus Pater probare dignatus est in audientia quam 6 huius mensis augusti concessit Illmo Secretario istius Congregationis.

Hactenus quae communicare debebam cum A. T. occasione utens Ipsi omnia bona a Deo optandi.

A. T.

Romae 29 aug. 1907.

Obsequentissimus servus, etc.

241. — S. CONGR. INDULG. ET SS. RELIQUIARUM

INDULTUM EX AUDIENTIA SS^mi 28 AUG. 1907

Ad lucrandas indulgentias in fine missionum, tempus utile confitendi

Orator

Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter haec exponit :

Memorata indulgentia,

Saepe ab Apostolica Sede omnibus fidelibus, qui contionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum et Spiritualium exercitiorum, quae a sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus habeantur, saltem quinque contiones eiusmodi audierint, et benedictioni cum Cruce in postrema contione ab iisdem sacerdotibus impertiendae devote astiterint, sub consuetis condicionibus indulgentia plenaria concedi solet.

Et condicione confessionis **Petit** *indultum generale quo confessio fieri possit intra quinque postremos dies.*

Cum vero inter istas condiciones etiam confessio sacramentalis postuletur, frequenter autem accidat, ut nequeant biduo omnium confessiones audiri, et exinde plures ex fidelibus indulgentiae gratia frustrati evadant ; humilis orator generale indultum a Sanctitate Vestra enixe petit, vi cuius confessiones intra ultimos quinque dies praedictarum contionum periodorum paractae a christifidelibus, qui ut supra astiterint, ipsis pro lucranda ultimo die indulgentia plenaria suffragetur, dummodo ceteras condiciones, in respectivis indultis requisitas, rite adimpleant.

Et Deus etc.

In audientia 28 aug. 1907, **Conceditur.**

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in audientia habita die 28 augusti 1997 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (28 aug. 1907).

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 28 augusti 1907.

Pro Emo Card. *Praefecto*
Fr. H. M. Card. Gotti
Diomedes Panici, Arch. Laod. Secret.

---

242. — S. CONG. CONCILII

RESPONSA EX AUDIENTIA SS^mi, 9 SEPT. 1907

De eleemosynis missarum quae ad Orientales mittantur

Dubia.

I. De Delegatis Apostolicis.

Proposti [1] nella S. C. del Concilio i dubbi :

I Se i Delegati Apostolici siano compresi nella disposizione dell'art. III del Decreto *Recenti* 22 maggio 1907, col quale è vietato d'inviare direttamente messe *ad Antistites et Presbyteros Ecclesiarum, quae in Oriente sitae sunt ;*

---

[1] *Latine :* « Propositis in S. Congregatione his dubiis :

I. Num Delegati Apostolici comprehantur dispositione art. III decreti *Recenti*, 22 maii 1907, quo missae directe mitti vetantur *ad Antistites ei Presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt ?*

II. Se i Superiori degli Ordini ed Istituti religiosi possano mandare direttamente ai loro soggetti esistenti in Oriente intenzioni di messe con le rispettive elemosine. *II. De Superioribus religiosorum.*

S. Congregatio respondit · Ad I^um^ Negative ; ita ut nempe mitti possint ad praefatos R^mos^ Delegatos Missarum intentiones cum respectiva eleemosyna, ut eas distribuant dumtaxat praelatis et sacerdotibus delegationis suae.

Ad II^um^. Affirmative et taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris.

SS^mus^ D. N. in audientia diei 9 Septembris 1907, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, benigne ratam habuit et approbavit resolutionem S. Congregationis. Ei insuper mandavit ut pro ceteris omnibus servetur dispositio decreti. *Confirmatio SS^mi^.*

VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praef.*
C. De Lai. Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Decreti *Recenti* praescriptiones exscripsimus et commentati sumus in PERIODICO t. 3, n. **215**, p. 138. Subinde data responsa tertium decreti articulum respiciunt, quem ita interpretati sumus, ut non afficeret nisi missas *exuberantes*, quae ad Antistites vel sacerdotes *Orientales* mittantur.

Age porro, interpretatio nostra his responsis ex parte confirmatur, quatenus Delegatum Apostolicum regimine Orientalium immunem diserte pronuntiant, atque Superioribus religiosis expresse concedunt ut ad subditos suos eleemosynas directe mittant, quamvis in Oriente commorentur.

2. Quid iam de reliquis Praelatis et sacerdotibus latinis ? Ac de ceteris Praelatis quidem putamus non negari, quod de Delegatis apostolicis affirmatur. Quare, ad Vicarios et Praefectos apostolicos latinos qui in Oriente iurisdictionem suam exercent, poterunt, nostra sententia, mitti eleemosynae etiam exuberantium missarum.

De religiosis, responsum II sonat severius ; addit enim eleemosynas mitti posse ad religiosos subditos, non vero ad ceteros. Sed utrum S. Congregatio voluerit ad ceteros religiosos transferre regulam specialem Orientalium, an mere urgere primum statutum ipsius decreti *Recenti*, quo missae sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus extra dioecesim commorantibus aliter ac per eorum Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente committi prohibentur : id non liquet. Si prius tenendum fuerit, erit, ad missas mittendas, utendum opera S. Congregationis de Propaganda Fide ; si alterum, sufficiet Ordinarii, etiam religiosi, cui subsunt sacerdotes ad quos missas mittere volueris, obtinuisse assensum. Possunt tunc mitti eleemosynae, non ad quoslibet religiosos in Oriente, sed ad subditos, vel ad Superiores qui sunt loco Ordinarii, aut etiam ad eos ad quos huiusmodi Superior permittit ut mittantur.

Utcumque se res ista habet, fas erit eleemosynas receptas tradere huiusmodi Ordinario qui commoretur in Occidente ; atque ipse Ordinarius minime prohibetur ad subditos suos in Oriente missas mittere.

II. Num Superiores Ordinum et Institutorum intentiones missarum cum eleemosynis annexis, ad suos subditos in Oriente degentes directe mittere possint ?

243. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 17 SEPT. 1907

Reformatio coenobii Fratrum Minorum

Causa interventus.

In domibus Ordinum religiosorum illud permagni sane refert, sanctarum, quibus reguntur, legum vigere observantiam : cum qua, non solum magna christiani populi utilitas, sed ipsa Sodalium sempiterna salus coniungitur. Hanc Nos tam necessariam laudem cum apud Fratres Minores, qui Neapoli ad Sanctae Clarae commorantur, desiderari iam nolimus, Apostolici officii conscientia, atque etiam peculiari erga eos dilectos filios caritate impulsi, quae sequuntur decernimus, edicimus :

Statuta:

Auctoritas immediata Ministri generalis.

I. Neapolitanum Fratrum Minorum Coenobium, perinsigni monasterio atque aedi Sanctae Clarae continens, proxime et omnino potestati Ministri generalis Minorum subiectum esto. Salva tamen iura sint Archiepiscopi Neapolitani pro ea quam habet, secundum statuta Canonum, auctoritatem ordinariam et delegatam in religiosos exemptos, praesertim qui Monialibus, sollemni ritu Deo devotis et clausurae lege obstrictis, sacri muneris officia praestant.

Eius potestatis explicatio.

II. Ministri generalis erit ex consulto Definitorum generalium *Guardianum* Coenobii pro tempore et instituere et removere : sodales, quotquot ei Coenobio et Monasterio opus fuerint, tum sacerdotes tum laicos, de quibuslibet Italiae provinciis evocatos, praeceptivis litteris in idem Coenobium destinare ; eosdem, nullo excepto, per se aut per alium pro potestate invisere, corrigere ad frugem, si res postulaverit, atque etiam in suam quemque provinciam remittere.

Obligatio vitae communis et suppressio peculi.

III. Coenobii sodales, omnes ad unum, perfectam vitae communitatem inter se, sine mora, instituant. Itaque, quicquid pecuniae, quoquo titulo, singuli acquisiverint aut acquisituri sint, omne quam primum in manus tradant Syndici Apostolici. Hic sibi tradita in acervum congeret, de quo victum vestitumque communem ceterasque res, Praepositi sententia, necessarias comparanda curabit. Pecuniam vero retinere aut contrectare aut quicquam in eam sibi arrogare iuris, nulli e sodalibus quaquam de causa fas esto, ne si legitimam quidem veniam alias impetrarit.

Obligatio observantiae.

IV. Iidem praeterea sciant suas esse partes, ut Franciscanam vivendi Regulam, Constitutiones generales Ordinis, Statuta peculiaria quae Definitorium generale ediderit, inviolate servent ; ut Officium Divinum in Choro statis horis persolvant : denique ut munia faciant omnia, quae in quovis rite constituto Coenobio Ordinis fieri, ius est.

Clausulae firmantes.

Quaecumque hoc Motu Proprio statuta sunt, nullo umquam tempore de subreptionis, sive intentionis Nostrae vitio, aliove quovis defectu notari vel impugnari posse ; sed semper ab omnibus, ad quos pertinent, inviolabiliter observari debere, decernimus ; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus ex plenitudine potestatis quoad praemissa expresse derogamus.

Dies (17 sept. 1907).

Datum Romae apud S. Petrum die XVII septembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto,

PIUS PP. X

241 — E SECRETARIA STATUS

LITTERAE 24 SEPT. 1907, ET FACULTATES EX AUDIENTIA SS. 21 SEPT.

De bonis ecclesiasticis in Gallia usurpatis

Litterarum occasio.

Le Saint-Père, désireux, dans les pénibles conditions actuelles de l'Église de France, de faciliter aux Évêques l'administration de leurs diocèses, et de pourvoir à la conscience des fidèles en ce qui concerne l'aliénation des biens ecclésiastiques usurpés par le gouvernement, a jugé opportun d'envoyer aux Ordinaires les instructions et les pouvoirs ci-joints, visant certains cas plus pratiques et plus fréquents.

Facultas permittendi compositionem et acquisitionem rerum immobilium ;

Relativement aux biens immeubles, Sa Sainteté accorde aux Ordinaires le pouvoir soit d'admettre à une équitable composition (nn. 1-7) et d'absoudre des censures ceux qui en auraient acheté, sans autorisation préalable de l'Église (nn 9-12), soit d'en permettre l'acquisition, sous la réserve que l'acquéreur entre aussitôt en composition avec l'autorité ecclésiastique (nn. 13-14).

Bona excepta ;

Une exception est faite quant à l'achat des églises, des évêchés, des séminaires et des presbytères ; les évêques auront dès lors, pour chaque cas qui s'en présentera, à recourir au Saint-Siège, en lui exposant le fait avec toutes ses circonstances (n. 15).

Facultas pro iis qui vindicant bona legatis piis onusta,

Les Ordinaires ont aussi la faculté de pourvoir à la conscience de ceux qui, sans permission légitime, auraient exercé pour leur utilité personnelle l'action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution des biens ecclésiastiques grevés de fondations pieuses (n. 8). Ils devront exhorter les fidèles à intenter ces actions dans le but d'assurer l'exécution des obligations imposées par les fondateurs (n. 16).

Vel qui talia bona possident.

Ils pourront en outre permettre à ceux dont les biens seraient grevés de charges de célébration de messes ou en faveur d'œuvres pies, de les libérer, moyennant le versement d'une somme suffisante pour remplir ces charges (n. 17).

Facultates de bonis mobilibus et locationibus.

Enfin le Saint-Père a daigné accorder aux Évêques d'autres pouvoirs relativement aux biens mobiliers et aux locations (nn. 18-22).

Curanda fidelium informatio.

Les Ordinaires devront avoir soin de faire instruire les fidèles des lois de l'Église en cette matière ; que ceux-ci soient informés notamment des censures et des peines édictées par le saint Concile de Trente contre quiconque achèterait, sans autorisation de qui de droit, des biens ecclésiastiques usurpés par les gouvernements ; que s'ils avaient commis pareille faute, ils n'en pourraient être absous, que moyennant une équitable composition avec l'Église, par suite de laquelle ils resteraient dispensés de la restitution des biens.

Agréez, Monseigneur, l'expression de mes sentiments dévoués en N.-S.

Dies (24 sept. 1907).

Rome, le 24 septembre 1907.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Ex audientia SS^mi^ die 21 sept. 1907

SS^i^ audientiae dies et argumentum.

SS^mus^ D. N. Pius divina Providentia PP. X, referente me infrascripto Cardinali a Secretis Status, attentis specialibus circumstantiis in quibus

nunc Ecclesia Catholica in Gallia versatur, fidelium spirituali bono consulere cupiens in iis quae bonorum ecclesiasticorum alienationem respiciunt, facultates quae sequuntur illius nationis Ordinariis concedere dignatus est.

a) FACULTATES DE BONIS IMMOBILIBUS

I

De facultate faciendi compositiones.

1. *Admittendi* ad aequam compositionem, iuxta normas quae sequuntur, Christifideles qui bona immobilia Ecclesiae erepta sine eiusdem Ecclesiae venia acquisierunt ; vel acquisita alienaverunt ; et praedictorum heredes et quoscumque successores.

2. Procedat Ordinarius, in compositione facienda, de intellegentia aliorum Ordinariorum si quorum intersit, et de consensu eorum qui respectivas causas pias canonice repraesentant, aliorumque canonice interesse habentium.

3. In quantitate aequae compositionis determinanda, considerentur :

a) fundorum valor realis eo tempore quo compositio initur ;

b) pretium emptionis ;

c) praesens oratorum status ;

d) id in quo ipsi oratores cum damno Ecclesiae ditiores facti sunt ;

e) onera pia, quorum, si adsint, praecipue ratio habenda est.

Quoad vero eorundem onerum redemptionem, quatenus opus fuerit, provisum est in sequenti n. 17.

4. Benignior esse potest compositio, si pretium solutum, citra culpam emptoris, superet praesentem valorem fundorum ; et pro heredibus eorum qui bona ecclesiastica ut supra iniuste possederunt, sed aliis causas pias fundaverunt aut iuvarunt.

5. Ordinarius, quando agitur de fundis in quibus aliqua sita est ecclesia, vel agitur de rebus sacris mobilibus, oratores oretenus moneat de obligatione qua tenentur faciendi, sub directione Ordinarii pro tempore, quod poterunt pro sacrarum aedium et templorum conservatione, et res sacras numquam in usus profanos convertendi seu deputandi, idque debitis modis notificandi suis heredibus et successoribus.

6. Pecuniae vero summas ex compositione acceptas, etiam tenues, ipse Ordinarius quam primum et quam tutissime possit, favore causarum piarum ad quas de iure pertinent, in titulos liberos *(valeur au porteur)* quos viri competentes tutos agnoverint, investire et ad nutum S. Sedis conservare satagat ; neque alienet sine eiusdem venia, neque commutet, nisi urgeat necessitas et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

Quod si supradictae summae pertineant ad causam piam alterius dioecesis, transmittendae erunt ad eiusdem Ordinarium.

Si eadem pertineant ad Ordines vel Congregationes religiosas, requiritur, ut iis tradi possint, venia S. Sedis in singulis casibus.

Quod si summae spectarent ad causam piam iam exstinctam, vel ad ecclesiam in qua divina officia amplius celebrari non valeant, Ordinarius ipsarum fructus impendat in bonum alterius causae piae, praesertim ecclesiarum, presbyterorum et clericorum pauperum, prout melius in Domino iudicaverit, celebratis tamen missis et ceteris persolutis suffragiis, si quae praefinita fuerint.

7. Nullum documentum peractae compositionis cuipiam tradatur ; quod si illud omnino exigatur, Episcopus iis qui se composuerunt, poterit in scriptis id tantum declarare « eos omni obligatione conscientiae erga Ecclesiam ratione fundorum, etc., exemptos et solutos esse ».

8. Ad compositionem Ordinarius admittere poterit etiam fideles qui iuxta leges civiles per actionem recuperationis (*action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution*) in utilitatem propriam vindicarunt bona sive immobilia sive mobilia, Ecclesiae donata pro legatis piis adimplendis, quotiens vindicata bona ex integro Ecclesiae restituere nequeant.

II

De facultate absolvendi et concedendi absolutiones.

9. *Absolvendi*, Apostolica Auctoritate, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam, ad hoc in singulis casibus subdelegandam, oratores in praemissis culpabiles, postquam, ut supra, se composuerint, a censuris et poenis ecclesiasticis, in quas propterea quomodolibet inciderint, cum congrua paenitentia salutari et reparatione scandali, meliori quo fieri poterit modo, prudenti iudicio absolventis.

10. Qui ob paupertatem compositionem inire nequeunt, absolvi poterunt cum obligatione ut si ad meliorem condicionem devenerint, Ecclesiae satisfaciant, ac interim scandalum removeant.

Item qui statim nequeunt statutam compositionem solvere, si obligationem emittant de ea opportuno tempore solvenda ; remoto interim scandalo.

11. Ordinarius moneat confessarios ut si ad paenitentes in periculo mortis constitutos et in praemissis culpabiles vocentur, prudenter compositionem urgeant ; quod si haec obtineri nequeat vel quia tempus non suppetit vel ob alias rationabiles causas, satis erit si aegrotus eam heredibus imponat, vel serio promittat eam initurum si convaluerit, remoto scandalo.

12. Ordinarius confessariis sibi benevisis, tempore quadragesimae, vel sacrarum missionum, vel urgente paschali praecepto, facultatem concedere poterit absolvendi eos qui compositionem statim inire nequeunt, dummodo iidem serio promittant se intra duos menses ab accepta absolutione, recursum habituros ad Ordinarium pro obtinenda compositione, remoto interim scandalo.

III

De facultate permittendi acquisitiones et vindicationes.

13. *Permittendi* Christifidelibus ut bona Ecclesiae acquirere valeant, remoto scandalo et ea condicione ut statim ad compositionem, ut supra faciendam, deveniant.

14. Si agatur de bonis ad Ordinem vel Congregationem religiosam pertinentibus, requiritur consensus Superiorum eiusdem Congregationis.

15. Exceptas tamen voluit Sanctitas Sua ecclesias, seminaria nec non domus episcopales et parochiales, pro quibus emendis ad S. Sedem recurrendum erit in singulis casibus.

16. Ordinarius permittere poterit (immo suadeat) ut fideles qui iuxta leges civiles ius habent, actionem recuperationis (*action en reprise, en revendication, en révocation ou en résolution)* exerceant, ad hoc ut pia onera iuxta mentem fundatorum adimpleri possint. Datur autem Ordinario facultas concedendi oratoribus partialem remissionem bonorum

recuperatorum, quotiens speciales circumstantiae in aliquo casu occurrant, quae iuxta prudens eiusdem Ordinarii iudicium et conscientiam, id exigant.

IV

De facultate concedendi redemptiones.

17. *Indulgendi* iis qui super bonis quibuscumque habent imposita legata pia vel missarum onera, ut ea redimere valeant, data summa, cuius fructus quotannis reditus sufficientes ac tutos praebeat pro integro eorundem onerum adimplemento. Quod si aliqua condonatio ex toto vel ex parte, si iis satisfactum non fuerit, vel reductio pro futuro, sive ad tempus sive in perpetuum, concedenda videatur, id Ordinarius facere poterit, omnibus tamen circumstantiis et causis consideratis et perpensis.

b) FACULTATES DE REBUS MOBILIBUS ET CONDUCTIONIBUS

Facultas subdelegandi.

Insuper Eadem Sanctitas Sua praelaudatis Ordinariis infrascriptas concedit facultates, quibus sive per se sive per vicarium in spiritualibus generalem, sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc, etiam habitualiter subdelegandas, uti licite et libere valeant :

I

De acquisitionibus permittendis vel sanandis

18. *Indulgendi* Christifidelibus ut res annonarias, fructus terrae, res mobiles, vel inter mobiles annumerandas, ad ecclesias aut loca pia spectantes, et a Gubernio usurpatas, acquirere licite valeant, remoto prudenter scandalo, atque erogata aliqua eleemosyna favore praesertim ecclesiarum seu personarum, ad quas res ipsae spectabant, ab Ordinario sive a subdelegato taxanda, quatenus emerint pretio quod iudicio Ordinarii aut subdelegati fuerit minus iusto : ita tamen, ut si agatur de rebus quae non sint usu consumptibiles, sive quae servando servari possint, earum rerum elenchum Ordinario tradere emptores teneantur, et parati sint eas quandocumque ecclesiis, seu locis piis, recepto soluto pretio restituere ; et curando pro viribus, ut supellectiles, vasa ac utensilia sacra in usum aliarum ecclesiarum transferantur, nec in usus profanos assumantur.

II

19. *Providendi* sub iisdem condicionibus ut supra, et praevia eorum absolutione cum congrua paenitentia salutari, iis qui easdem res iam emerint.

III

De conductionibus.

20. *Indulgendi* pariter Christifidelibus, ut bona ecclesiastica a Gubernio occupata, vel ab iis qui a Gubernio illo acquisierunt sine licentia S. Sedis, conducere, seu iam conducta retinere valeant, imposita illis aliqua eleemosyna favore personarum seu ecclesiarum, ad quas eadem bona de iure pertinent, quatenus conduxerint pretio quod iudicio Ordinarii seu subdelegati fuerit minus iusto, et obligatione faciendi quantum poterunt sub directione Ordinarii pro conservatione praesertim sacrarum aedium ac templorum, quae iisdem bonis fuerint annexa, ac praevia absolutione cum paenitentia salutari quatenus illicite conduxerint, nec non remoto ac reparato scandalo.

21. Quamvis autem optandum maxime sit, ut huiusmodi conductiones ad breve tempus fiant, Sanctitas Sua declarat non obstare quominus, sic iubente Gubernio seu locatore, conductio fiat ultra triennium, sed tamen infra decennium.

22. Vult autem SS^mus Pater ut locationes ecclesiarum, seminariorum, domorumque episcopalium et parochialium permitti nequeant nisi in casibus necessitatis vel evidentis Ecclesiae utilitatis.

Bona excepta

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Clausula derogatoria

Datum Romae, ex Aedibus Vaticanis, die, mense et anno praedictis.

R. Curd. MERRY DEL VAL.

Dies (24 sept. 1907).

---

245. — CARD. SECRETARII STATUS

LITTERAE 2 OCT. ET 5 NOV 1907

De modo quo Universitates sint a clero frequentandae

1. *Litterae 2 octobris 1907, de facultate civiles Universitates adeundi.*

MONSEIGNEUR,

J'ai reçu votre lettre du 23 septembre dernier, et j'en ai pris en sérieuse considération les divers points.

Lectis Ep^i litteris, Em. Secretarius respondet.

Relativement à la défense faite par l'Encyclique *Pascendi* aux clercs et aux prêtres qui ont pris quelque inscription dans une Université ou Institut catholique, de suivre pour les matières qui y sont enseignées le cours des Universités civiles, je puis vous affirmer que les dispenses et exceptions accordées par le décret de 1896 visé par l'Encyclique, s'étendent aux Universités de France ; toutefois, le Saint-Père excepte de cette autorisation les cours les plus sujets à devenir dangereux, comme ceux d'histoire, de philosophie et des matières similaires.

Galliae Universitatibus prodesse quidem dispensationes Instruct. 21 iul. 1896 ; excipi tamen lectiones magis periculosas.

Pour suivre ces cours, il faut que chaque étudiant ecclésiastique ait une permission expresse de son évêque.

Ut has audiat clericus quilibet expressa opus habet venia sui Episcopi.

Agréez, etc.

Rome, 2 octobre 1907.

Cardinal MERRY DEL VAL.

Dies (2 oct. 1907).

3. *Litterae 5 nov. 1907, varia dubia solvens.*

MONSEIGNEUR,

Vous avez récemment proposé au Saint-Siège les questions suivantes :

Dubia.

1. Est-il contraire à l'Encyclique *Pascendi* que les clercs, les prêtres et les religieux préfèrent aux Facultés catholiques des lettres et des sciences les facultés civiles, s'inscrivent à ces dernières et en suivent les cours, lorsqu'il n'y a en réalité aucune nécessité vraie, comme le témoignent les succès des Facultés catholiques ?

I. Num, praeferendo civiles Universitates, committatur in Encyclicam Pascendi ?

II. De necessitate excusante.

2. Les clercs et les prêtres, professeurs ou surveillants dans un collège d'une ville où se trouvent seulement des facultés civiles, sont-ils dans le *cas de nécessité* visé par la lettre aux évêques (n. 26051)[1] ? Peuvent-ils s'inscrire à ces facultés et en suivre les cours ?

III. De rara exceptione.

3. Peut-on regarder comme une *très rare exception* (lettre aux évêques, n. 26051)[1] le cas où un collège comptera parmi ses professeurs et ses surveillants six ou sept prêtres ou clercs s'inscrivant à ces facultés civiles et en suivant les cours ?

Responsa.

Or, d'ordre de Sa Sainteté, je m'empresse de vous communiquer les réponses aux questions susdites :

Ad I. Ad 1 : *Affirmative ;*

Ad II. Ad 2 : *Negative*, à moins que dans des cas exceptionnels, des raisons très graves et spéciales s'y ajoutent, dont l'appréciation est réservée à l'évêque ;

Ad III. Ad 3 : *Negative.*

Agréez, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments dévoués en Notre-Seigneur.

Dies (5 nov. 1907). Rome, 5 novembre 1907.

R. Cardinal Merry del Val.

Annotatio

Litterae istae 2 oct. et 5 nov. 1907 coniungendae sunt cum litteris 10 oct. 1907, quas exscripsimus supra, n. **230**. A. Aliquatenus enim temperant quae in postremis litteris sunt posita. Notandum praeterea est has littèras non ad solum Episcopum Avenionensem, sed ad alios etiam Galliae episcopos esse missas.

246. — S. RITUUM CONGR. (8 nov. 1907)

RESPONSUM DE LUMINE CORAM SS^mo

Carcassonen.

Orator Hodiernus Episcopus Carcassonen. a Sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit :

Quaestio *de lumine composito ex oleo et cera* An permitti possit quaedam compositio ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem quae continuo ardere et lucere debet ante altare et tabernaculum ubi asservatur SS^mum Eucharistiae Sacramentum ?

Responsum Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii exquisita Commissionis Liturgicae sententia, propositae quaestioni respondendum censuit : *Affirmative, nihilque obstare in casu.*

Dies (8 nov. 1907). Atque ita rescripsit, die 8 novembris 1907.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

D. Panici, Arch. Laodicen. Secretarius.

Annotatio

Observes, ubi oleum haberi nequeat, ab Episcopo permitti posse usum, in lampade ante SS^um, aliorum oleorum, quantum fieri possit, vegetalium. Cfr. resp. 14 iul. 1864, n. 3121. Itaque ne petroleum quidem stricte prohibetur.

[1] Agitur de litteris 10 octobris, modo exscriptis.

247. — S. CONGR. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

DECRETA 20 NOV. ET 7 DEC. 1907.

Approbationes Institutorum

A. *Approbatio ad septennium Constitutionum Instituti Ursulinarum S. Caroli, in civitate Mediolanensi* (20 nov. 1907).

In audientia SS. 17 nov. 1907 approbatur Institutum, et approbantur Constitutiones ad 7 annos.

SSmus D. N. Pius Div. Prov. PP. X attenta ubertate salutarium fructuum quos tulit Institutum Ursulinarum S. Caroli et S. Ambrosii in civitate Mediolanen. quibus fuit fundatrix in dioec. Brixien. S. Angela Mericia a. 1525, attentisque praesertim commendaticiis litteris Antistitum locorum in quibus enuntiatae Sorores commorantur, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis EE. et RR. Praefecto die 17 huius mensis, Institutum ipsum ut Congregationem votorum simplicium sub regimine Moderatricis Generalis approbare et confirmare dignatus est. Praeterea eiusdem Instituti Constitutiones, prout continentur in hoc exemplari cuius autographum in Archivo praefatae S. Congregationis asservatur, ad septennium per modum experimenti benigne approbavit et confirmavit, prout praesentis decreti tenore respective approbat et confirmat, salva Ordinariorum iurisdictione ad normam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum.

Dies decreti (20 nov. 1907).

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. EE. et RR. die 20 novembris 1907.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. Giustini, Secretarius.

B. *Nova approbatio definitiva Constitutionum Societatis Missionariorum SS. Cordis Iesu* (7 dec. 1907).

In audientia SS. 1 dec. 1907 Constitutiones, aliquantum reformatae iterum definitive approbantur.

SSmus Dnus Noster Pius Div. Prov. PP. X, in audientia habita ab infrascripto Cardinali S. C. Episcoporum et Regularium Praefecto, die 1 huius mensis, Constitutiones Societatis Missionariorum SS. Cordis Iesu latino idiomate exaratas, quae iam Auctoritate Apostolica ad decennium per modum experimenti a. 1877 et definitive a. 1891 approbatae fuerant, attentis immutatis rerum et temporum adiunctis, noviter revisas et in aliquibus reformatas prout continentur hoc exemplari cuius autographum in Archivo eiusdem S. C. asservatur, iterum approbare et confirmare dignatus est prout praesentis decreti tenore Constitutiones ipsae approbantur et confirmantur, salva Ordinariorum iurisdictione ad normam SS. Canonum et Apostolicarum Constitutionum. Contrariis, etiam speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Dies decreti (7 dec. 1907).

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. EE. et RR. in pervigilio Festi Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, anni 1907.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. Giustini, Secretarius.

---

248. — S. RIT. CONGR. (22 nov. 1907 et 17 jan. 1908)

RESPONSA DE LUCE ELECTRICA ET DE CANTU SACRO

A. *Declaratio 22 nov. 1907.*

Responsum *de luce electrica.*

Nonnullis Postulatis lucis electricae usum in ecclesia respicientibus Sacra Rituum Congregatio, exquisito suffragio Commissionis Liturgicae, ita respondere censuit :

Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altari iuxta decretum *Natchetен.* 16 maii 1902, sed etiam loco candelarum vel lampadum quae corum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento vel Sacris Reliquiis aut imaginibus [1] Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad prudens Ordinarii iudicium permittitur : dummodo species non habeantur theatralis ad mentem decreti n. 3589 diei 4 iunii 1895.

Dies (22 nov. 1907.)

Atque ita rescripsit et declaravit, die 22 novembris 1907.

S. Card. CRETONI. *Praef.*

D. Panici, Arch. Laodicen. Secret.

B. *Responsa 17 ian. 1908*

Angelopolitana [2]

Orator,

Rmus Dnus Raymondus Ibarra et Gonzalez, archiepiscopus Angelopolitanus in Republica Mexicana, a S. Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter exposcit :

Memorato decreto S. R. C.

Per decretum S. R. C. n. 3859, die 4 iunii 1895. declaratum fuit lucem electricam adhiberi posse in templis non ad cultum, sed ad tenebras depellendas, seclusa omni theatrali specie. « Iamvero cum a nonnullis tale decretum nimis late interpretari videatur, ad controversias dirimendas quaeritur in particulari :

Quaerit *de electricis luminibus,*

I. Circa tabernaculum, vel in vasis florum.

1. Licebitne apponere in altari in quo SS. Sacramentum publicae fidelium patet venerationi electricas lampades, sive tabernaculum circa, sive in vasis florigeris quae inter candelabra locantur ?

II. Ad ornandas imagines SS. Cordis, etc.

2. Fasne erit imagines SS. Cordis Iesu vel B. Mariae Virginis iisdem electricis circumcingere luminibus, ad instar scilicet fulgidae coronae circa caput, lunae sub pedibus, vel ad modum solarium radiorum ad latera ; et in capitibus duodecim Apostolorum linguas igneas effingere rubeis lampadibus ?

III. Ad supplendas candelas in lampadibus pendentibus.

3. Permittine demum poterit quod in lampadibus quae in Ecclesiae fornicibus pendent, candelae ex cera fictis candelis electricis substituantur ?

Memorata prohibitione de cantu mulierum et commendatione de restituendo cul-

Per Decretum de Truxillo n. 3964, die 17 septembris 1897, prohibitum fuit ut « mulieres ac puellae intra vel extra ambitum chori canant in missis sollemnibus « idemque confirmatum est die 19 februarii 1903. Attamen cum in Motu proprio SS. D. N. Pii X. *Inter pastoralis officii...* de Musica Sacra, 22 novembris 1903 praecipiatur ut cantus Gregorianus in populi usum restituendus curetur, quo ad divinas laudes mysteriaque celebranda

[1] In decreto, uti prodiit in vol. VI Coll. Auth. n. 4206, verba *aut imaginibus* fuerunt suppressa.

[2] Cfr mutationem in decreto allatam t. VII. n. 630, p. 33.

magis agentium partem, antiquorum more, fideles conferant », quaeritur : licebitne permittere ut puellae ac mulieres in scamnis sedentes ipsis in ecclesia assignatis separatim a viris, partes invariabiles missae cantent ; vel saltem extra functiones stricte liturgicas, hymnos aut cantilenas vernaculas concinant ?

tu gregoriano in populi usum

Quaerit *quid mulieribus permitti possit.*

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisitis votis utriusque Commissionis, tum Liturgicae, tum de Musica et cantu sacro, omnibus sedulo perpensis, ita rescribendum censuit :

Responsum.

Ad I. Pro tribus quaestionibus particularibus dentur et serventur decreta iuxta alias similes resolutiones.

Ad I.

Ad II. Affirmative ad utrumque et ad mentem. Mens est 1° ut intra Christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis ; et 2° ut ubi officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum, praesertim in cathedralibus ecclesiis non admittatur, nisi ex gravi causa ab Ordinario agnoscenda et cauto semper ut quaevis inordinatio semper vitetur.

Ad II.

Atque ita rescripsit, die 17 ianuarii 1908.

Dies 17 ian. 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.

Annotationes

1. Ea forma declarationes istas exscribimus qua ultimo sunt divulgatae et variis Periodicis libellis insertae. Ex modo enim quo in Analecta Ecclesiastica (ianuar. 1908, p. 27) proposita est causa Angelopolitana sub die 22 nov. 1907, cum iisdem quibus nunc quaesitis, sed cum sola responsione ad I ; et quo deinde in eadem ephemeride (febr. 1908, p. 65) responsio ad II prodiit sub die 17 ian. 1908, quasi ad supplendam partem ex inadvertentia omissam, suspicamur priorem quam posuimus declarationem, datam et missam prius esse ad Archiep. Angelopolitanum tamquam responsionem ad dubia. Cum deinde supplendum foret responsum ad II, S. Congregatio, ne bis de eadem causa egisse videretur, maluit priori declarationi formam dare decreti generalioris, ad quod, in pleniore rescripto ad Archiep. Angelopol. satis foret oratorem reicere, ut fecit in huius rescripti responsione ad I.

2. De *luce electrica* citandum etiam fuit, ut S. Congregatio insinuat in sua declaratione, responsum in *Natcheten.* 16 maii 1902, quo vetita est illuminatio electrica una cum candelis ex cera super altari. Haec tria itaque prohibentur ; **a**) Adhibere lucem electricam *ad cultum*, id est, ut praesens responsum declarare videtur, luce electrica candelas supplere quae coram Sanctissimo, vel S. Reliquiis *praescriptae sunt ;* **b**) In altari, etiam una cum veris candelis ex cera, illuminationem apponere ex « gaz » vel luce electrica ; **c**) Theatrali specie illuminare Ecclesiam.

S. porro Rituum Congregatio, omissa distincta responsione ad dubia, declaravit, dummodo haec caverentur, rem prudenti Episcopi arbitrio permitti.

Quare, ut de dubiis dicamus quid sentiamus : *Ad 1.* Lampades electricae non videntur in altari servari posse. *Ad 2.* Lumina ista candelas praescriptas nequaquam supplent : quare nihil obstat quin adhibeantur. *Ad 3.* Nec lampades in fornicibus sunt praescriptae. Quare etiam istae possunt electrica luce illuminari.

3. *De cantu feminarium* S. C, respondit in primis, quod satis perspiciebatur, datis decretis hunc solum cantum mulieribus vetari quem canant ut pars selecti *chori*, ita ut fidelium cantu feminae minime excludantur. Optat quidem ut viri partem suam conferant, sed simul temperat legis antea latae rigorem dum etiam concedit ut Ordinarii possint ob gravem causam cantum exclusivum mulierum admittere.

---

249. S. RITUUM CONGR. (8 ian. 1908)

SUPER FESTO SS. SEPTEM FUNDATORUM ORD. SERV. B. M. V.

Decretum

Festo assignatur dies 12 februarii

Cum dies undecima mensis februarii hucusque propria seu quast natalicia SS. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. confessorum amodo maneat impedita a festo Apparitionis B. M. V. Immaculatae eidem diei affixo et per decretum *Urbis et Orbis* 13 novembris 1907 ad universam Ecclesiam extenso, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, statuere ac declarare dignatus est, ut enuntiatum festum SS. Septem Fundatorum calendario universali inscribatur die insequente, quae est prima libera iuxta Rubricas, nempe duodecima eiusdem mensis februarii, tamquam propria seu quasi natalicia ; atque in casu impedimenti pro aliquibus locis, institutis et ecclesiis servetur decretum generale, n. 3811 *Super duobus festis vel officiis eadem die occurrentibus*, diei 21 novembris 1893. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (8 ian. 1908).

Die 8 ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secr.

ANNOTATIO

Decreti generalis, ad quod remittimur, regulae de perpetua translatione alterutrius festorum eadem die perpetuo occurrentium, sic paucis exhiberi possunt.

1. Si ambo festa sint in die propria (natalicia vel quasi-natalicia, i. e. electa a S. Sede ad liturgica festa extra natalicium recolenda), celebratur illud quod ritu, qualitate primaria, dignitate, proprietate vel antiquitate praestat alteri, quod in primam diem liberam consequenter erit perpetuo transferendum. Ac potior consideratio est ritus, dein qualitatis primariae, tum dignitatis, postea proprietatis, denique antiquitatis.

2. Nec mutat solutio, quia alterum in die natalicia fuerit, alterum in quasi-natalicia, excepto solius antiquitatis privilegio. Ille enim sanctus cuius dies est natalicia, alteri quamvis antiquiori praefertur.

3. Ex duobus sanctis quorum alter sit in die natalicia aut quasi-natalicia, alter non, prior est praeferendus, omissa alia consideratione.

4. Ex duobus officiis quae ambo sint in die assignata (non propria), praefertur, ceteris posthabitis, magis antiquum, donec reformatio calendarii perpetui ecclesiae de qua agitur, novam permittat ordinationem secundum nobilitatem ritus, qualitatis primariae, dignitatis, ac prioris translationis.

250 — EM. CARD. EPISCOPI BARCINONEN.

LITTERAE 18 IAN. 1908

Sententia S. Indicis Congr. de duobus libris e « *Sex Series* »

A todos [1] los que las presentes vieren, salud en Nuestro Senor Iesucristo.

Occasio Quaerendi de his libris.

Sabed que habiéndose suscitado en esta ciudad algunas discusiones, asi privadamente como en la prensa, acerca la conveniencia de que se publiquen y se apliquen á la educación de la ninez las teorias consignadas en dos libros titulados, uno : « *Lo que debe saber el nino* », publicado por Silvanus Stall, y el otro : « *Lo que debe saber la nina* », publicado por Miss Mary Woad Allen, publicados en Madrid, traducción espanola ; dieron lugar dichas discusiones á que se elevasen reverentes consultas á la Santa Sede, con el objeto de saber qué partido convenia tomar en este asunto delicadísimo ; ya que se trata de reglas prácticas relativas a la pureza y modestia cristianas.

Responsum *S. C. Indicis.*

La Sagrada Congregación del Indice se ha servido comunicarnos en nombre de Su Santidad, que de ninguna manera conviene que se eduque y forme la ninez en Espana á tenor de las reglas consignadas en los referidos libros y que es necesario retirar los mismos libros de las manos de los fieles, principalmente de los ninos.

Mandatum sibi factum

Ordena además Su Santidad, que el infrascrito Cardenal promulgue la sobredicha sentencia en nombre y con autoridad de la misma Sagrada Congregación del Indice, comunicándola á todos los fieles que hablan la lengua espanola.

exsequitur Card.

En su virtud, en nombre y con autoridad de la Sagrada Congregación del Indice, hacemos saber por las presentes á todos los fieles que hablan

---

[1] *Id est latine ;* Salvator, Cardinalis Casanas y Payes, episc. Barcinonen....
Omnibus has visuris salutem in D. N. I. C.
Id notum sit : Cum in hac civitate, privatis colloquiis et scriptis publicis controversiae exortae essent de opportunitate diffundendi et traducendi ad institutionem adulescentiae doctrinas duorum librorum qui inscribuntur, alter *Id quod adulescens novisse debet,* scriptus a Silvano Stall, alter *Id quod puella scire debet,* editus a Mary Wood Allen, hispanice translatorum et editorum Matriti, disputationes istae occasionem dederunt reverenter interrogandi S. Sedem, ut cognoscerentur amplectendae partes in argumento isto delicatissimo, cum agatur de normis « practicis » quae christianam puritatem et modestiam spectant.
S. Indicis Congregatio nobis, nomine Sanctitatis Suae, communicare dignata est, nullo pacto decere ut in Hispania adulescentia erudiatur et instituatur secundum regulas memoratis libris contentas, necesse vero esse ut iidem libri e manibus fidelium, maxime adulescentum, auferantur.
Iubet etiam Sanctitas Sua, ut infrascriptus Cardinalis praelaudatam sententiam nomine et auctoritate eiusdem S. Congregationis Indicis promulget, eandem cum omnibus fidelibus qui hispanicam linguam loquuntur communicando.
Itaque, nomine et auctoritate S. Congr. Indicis, praesentibus litteris significamus esse a S. Sede formaliter vetitam eruditionem et moralem institutionem pueritiae secundum doctrinas et practicas regulas quae in praedictis libris « Id quod adulescens

la lengua espanola, que queda terminantemente prohibida por la Santa Sede la instrucción y educación moral de la ninez, según las teorias y reglas prácticas contenidas en los sobredichos libros : « *Lo que debe saber el nino* » y « *Lo que debe saber la nina,* » advirtiéndoles además que quiere la Santa Sede que se procure apartar aquellos, principalmente de manos de los ninos.

Para el más exacto cumplimiento de la misión que se Nos ha confiado, Nos reservamos comunicar directamente la mencionada sentencia, á todos los Sres. Obispos de Espana y demás á quienes se refieren las Letras de la Sagrada Congregación del Indice.

Dies (18 ian. 1908).

Barcelona 18 de Enero de 1908.

SALVADOR, *Cardenal CASANAS,*
Obispo de Barcelona.

Por mandado de su Emcia, Rvda. el Cardenal Obispo, mi Senor.
Dr. Ramón Salvia Civit, Arcipreste, Secretario.

ANNOTATIONES

1. Argumentum causae ex iis est quae ad plurium religiosorum Institutorum informationem utilia esse possunt.

Praeterea, quod S. Indicis Congr. huiusmodi det sententiam quae directe usum doctrinae et methodi, potius quam librum respicit; quod eam per episcopum promulgare iubeat Sanctissimus, haec omnia, praeter consuetum tramitem, novisse iuvat. Quare litteras istas *Periodicis nostris* inserere visum est.

2. Porro *adulescentum* et *puellarum* nomine intellegendi videntur qui in scholis, collegiis aut conservatoriis ad humanitatem informantur, aut gallice dicuntur *jeunes garçons, jeunes filles.*

3. Observes tamen iudicium istud S. Congregationis esse formaliter circumscriptum populis qui hispanico utuntur idiomate.

Praeterea authenticam decreti communicationem sibi reservat Episcopus.

4. Cum dicatur libros istos *maxime* e manibus puerorum seu adulescentum auferendos, iussio eos ex aliorum manibus auferendi non revocatur quidem, temperari tamen videtur, ita ut rationabilis causa alios excuset, nisi Episcopi severius quidpiam statuerint.

---

scire debet; id quod adulescentula scire debet » contentas, observando etiam velle S. Sedem ut libri isti removeantur, praesertim a manibus adulescentulorum.

Quo commissam nobis provinciam perfectius obiremus, ipsi memoratam sententiam omnibus Hispaniae Episcopis et aliis ad quos litterae S. C. Indicis spectant directe mittemus.

Barcinonae, die 18 ian. 1908.

SALVATOR, *Card. Casanas.*
Episcopus Barcinonensis.

Ex mandato, etc,
Dr. Ramon Salvia Civit, Archipresb. Secretarius.

251. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

GRATIA 20 IANUARII 1908

Sanatio noviciatus ob omissam habitus delationem.

CONGR. SS. CORDIUM ET ADORATIONIS PERPETUAE (DE PICPUS)

Orator exposito facto non delati habitus,

Procurator generalis Congregationis SSorum Cordium et Adorationis Pepetuae, vulgo « de Picpus », humilissime exponit plures Religiosas feminas suae Congregationis, in Missionibus Oceaniae allaborantes, numquam, durante noviciatu, habitum gestasse ; alias frequenter demisisse pro temporum et locorum opportunitate, non ignorante tamen Illmo Vicario Apostolico.

Et inde exorto dubio de noviciatus valore, **Petit** *sanationem in radice.*

Cum autem dubium nuperrime ortum sit de earundem sororum professionis validitate, humilis orator efflagitat ut Sanctitas Vestra revalidet aut valida declaret vota simplicia perpetua a religiosis feminis dictae Congregationis in Vicariatu Apostolico Sandsvichien. in Oceania morantibus emissa, licet tempore noviciatus habitum religiosum non gestaverint. Et Deus etc.

Haec **conceditur.**

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio Emorum ac Rmorum Sacrae R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnes et singulas professiones prout in precibus emissas in radice sanat atque convalidat. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (20 ian. 1908).

Romae, die 20 ianuarii 1908.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
O. Giorgi, subsecret.

ANNOTATIO

Cum agitur de regularibus vel monialibus proprie dictis, noviciatus est iure communi peragendus *in habitu religioso,* nisi aliud statuerit Regula approbata, vel postulaverit morbus aut impedimentum non voluntarium. Cfr. VERMEERSCH, *De Religiosis,* I, n. **191**.

Verum hic quaestio est de sororibus votorum simplicium seu religiosis feminis. Nisi ergo, quod minime veri simile est, statuta habitum ad valorem postulaverint, dubium de valido noviciatu tuto deponi poterat. Quare, ut non raro fit, sanatio ad solacium petentis potius quam propter causae necessitatem concessa videtur.

---

252. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (24 ian. 1908)

RESPONSUM DE SYMBOLO INFRA OCTAVAM PATRONI PRINCIPALIS

Ordinis Fratrum Minorum, Provinciae Germaniae Inferioris

Orator.

Hodiernus Praepositus Ordinis Fratrum Minorum in provincia germanica

inferiori, de consensu sui R^mi procuratoris generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem expostulavit, videlicet :

Dubium, *addito exemplo.*

An infra octavam Patroni principalis, quae apud Regulares iam alio titulo seu causa celebratur, debeat in missa Symbolum adiungi, sicut additur in ipso die festo ; ita nempe, ut apud eosdem Regulares debeat per totam Octavam Nativitatis Domini Praecursoris in missa Symbolum recitari, si ipse Sanctus sit praecipuus loci Patronus, vel etiam si de ipso reliquia insignis asservetur ?

Responsum

Affirmative

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, propositae quaestioni respondendum censuit : Affirmative.

Dies (24 ian. 1908).

Atque ita rescripsit, die 23 ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

D. Panici, Arch. Laodicen. Secret.

---

253. — S. RIT. CONGR. (24 ian. 1908)

RESPONSA DE ORNATU ALTARIS, CANTU TANTUM ERGO. *HABITACULO SUPRA SS. EUCHAR.*

Dubiorum

Dubia

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt, nimirum :

I. De corollis ligneis

I. Utrum adhiberi possint corollae ligneae, quae super tobaleas altarium aras circumcingunt ?

II. De interpositis litaniis inter Tantum *et* Genitori

II. Utrum, non obstante consuetudine, in functione benedictionis cum SS^mo Eucharistiae Sacramento, liceat, dum exponitur, vel postquam expositum fuerit idem SS^mum Sacramentum, statim canere primam stropham *Tantum ergo* usque ad *Genitori*, inde Litanias cum relativa Oratione, ac tandem alteram stropham *Genitori*, etc. ?

III. De habitaculo cum lectulo

III. Utrum liceat asservare SS. Eucharistiam in altari baldachinum habente, quamvis super illud habeatur habitaculum cum lectulo ?

Responsa

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio omnibusque accurate perpensis, respondendum censuit :

Ad I.

Ad I. Negative iuxta Caerimoniale Episcoporum, lib. I, cap. XII, n. 11 [1].

Ad II.

Ad II. Negative iuxta Caerimoniale Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII, n. 27, et decretum, n. 3513, *Delegationis Apostolicae Peruvianae*, 15 aprilis 1880 [2].

---

[1] « Nullae tamen Coronides ligneae circa Altaris angulos ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciae ex auro vel serico elaboratae, ac variegatae, quibus ipsa facies Altaris apte redimita ornatiorque appareat », *Caerim Episc.*

[2] « An antequam SSmum Eucharistiae Sacramentum, quod occasione Orationis 40 Horarum vel alia quacumque ex causa publicae adorationi expositum fuit, in tabernaculo resonatur, debeat cani hymnus *Tantum ergo* usque ad finem cum versiculis et oratione *Deus qui nobis*, etc. Responsum fuit, *Affirmative* ». *Decr. auth.* n. 3533.

Ad III. Ad. III. Negative ex decreto n. 3525 *Papien.* 23 novembris 1880 ad II [1].

Dies (24 ian. 1908). Atque ita rescripsit, die 24 ianuarii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

ANNOTATIO

Responsa haec prodierunt munita rationibus desumptis ex superioribus decretis. Nec bina priora difficultatem aliquam habent. De tertio minus constat, cum decretum *Papien*, ad quod remittimur, nihil expresse neget, sed gratiam concedat, ita tamen ut altari ampla imponatur Umbella, vulgo *Baldacchino*. Hinc iam ambigitur, utrum *Baldacchino* sit condicio obtinendae gratiae, an modum tribuat per se permissum servandi Eucharistiam sub habitaculo. Atque ex responso 24 ian. 1908, prior interpretatio praeferenda videtur. Non ita perspicue tamen res improbatur, ut ideo eam tamquam certo damnatam proponere velimus.

---

254. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

RESPONSA 26 IAN. 1908

De mense SS. Cordis eiusque privilegiis

Beatissimo Padre, [2]

Orator, Il sacerdote Michele Ietti, di Napoli, Direttore dell' Apostolato del mese del Cuore di Gesù, prostrato ai piedi della S. V. umilmente espone che, *Memoratis gratiis et dubiis,* essendosi la S. V. degnata di concidere grazie specialissime, con rescritto della S. C. delle Indulgenze dei di 8 agosto 1906 per la solenne celebrazione del mese del Sacro Cuore, sono sorti alcuni dubbii circa l'interpretazione di esso Rescritto, onde supplica la S. V. a volersi degnare di risolverli autorevolmente. Essi sono : **Petit** *declarationes*

1. De celebrationis modo, 1. Come debba intendersi la celebrazione solenne del detto mese ?

---

[1] II. « *Papien.* An permitti queat ut in Domibus Instituti Filiarum Caritatis, vulgo *Canossiane*, SS. Eucharistiae sacramentum servetur in sacellis quae dormitorio puellarum educandarum subsunt ? Et quatenus negative, petitur ad hoc opportunum indultum, siquidem haud possit sine gravi incommodo ac damno alia loca pro dormitoriis ipsis a praesenti usu libera reddere. Responsum fuit : *Pro gratia* et *ad mentem.*

Mens est ut altari imponatur ampla Umbella, vulgo *Baldacchino.*

[2] *Id est latine :* Beatissime Pater. — Sacerdes Michaël Ietti, Neapolitanus, Director Apostolatus mensis S. Cordis Iesu ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit, de gratiis specialissimis quas S. V., per rescriptum S. C. Indulgentiarum, die 8 aug. 1906, pro sollemni mensis S. Cordis celebratione concedere dignata est, exortas esse quasdam dubitationes, quae ad rectam rescripti interpretationem attinent. Inde rogat S. V. ut eas authentice dissolvere dignetur. Sunt autem hae :

1. Quomodo intellegenda est sollemnis dicti mensis celebratio ?

2. Fine; 2. Se la chiusa del prefato mese debba fissarsi, per la uniformità e per maggior concorso dei fideli, all' ultima domenica di giugno ?

3. Loco; 3. Se le concessioni straordinarie possano godersi anche per la celebrazione del mose negli oratorii semipubblici dei Seminarii, delle communità religiose, e degli altri luoghi pii ?

4. Tempore. 4. Se il detto mese, per qualche ragionevole motivo, possa celebrarsi, anzichè in giugno, in altro mese, godendosi le medesime concessioni ?

Che, ecc.

Dies audientiae (26 ian. 1908).

Ex audientia SSmi

Die 26 ianuarii 1908

Responsa SSmus D. N. Pius Pp. X, auditis supra relatis, ad proposita dubia responderi iussit prout sequitur :

Ad 1. Ad 1. Mensem Sacratissimo Cordi dicatum celebrari debere cum sacra praedicatione aut cotidie, aut saltem ad formam spiritualium exercitiorum per octiduum.

Ad 2. Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Ad 4. Affirmative, ex aequa causa, et praehabita permissione Episcopi.

In quorum fidem. etc.

Casimirus, Card. Gennari.

Annotationes

1. His responsis S. Pontifex magis accurate definit quid requirat ut celebratio mensis SS. Cordis sollemnitatem habeat sufficientem ad usum gratiarum spiritualium quas die 8 aug. 1909 concessit (cfr. Periodicum, t. 2, n. **136**. p. 137. 138) ; simulque earum fines novo beneficio dilatat.

Itaque, sollemnis celebratio contionem exigit vel cotidianam ad ultimam usque dominicam mensis, vel per octo continuos dies, dummodo tunc forma ineatur exercitiorum spiritualium.

Celebratio autem in oratoriis semipublicis locorum religiosorum vel piorum iisdem gratiis ditatur.

Facultas denique fit eligendi, cum Episcopi assensu, alium mensem pro celebratione, si aequa id suaserit causa.

2. Statuit simul S. Pontifex mensem concludendum esse in postrema mensis dominica, Verum haec non videtur esse condicio lucrandarum indulgentiarum, atque ex maiore facultate concessa in responsione ad IV, potestatem colligimus pro Episcopis aliam ex aequa causa conclusioni assignandi diem.

3. Gratiae concessae 8 aug. 1906 ad contionatores spectant et mensis S. Cordis promotores, praeter indulgentiam plenariam quae die 30 iunii totiens quotiens omnibus lucranda offertur in ecclesiis (et nunc etiam in oratoriis semipublicis seminariorum et locorum piorum) ubi mensis sollemniter celebratur.

---

2. Num, ut aequalis servetur ratio agendi et maior fidelium concursus obtineatur, mensis sit ultima iunii dominica concludendus ?

3. Num extraordinariae gratiae obtineri etiam possint pro celebratione mensis in oratoriis semipublicis Seminariorum, communitatum religiosarum et aliorum locorum piorum ?

4. Si dictus mensis, propter iustam causam, celebrari possit alio mense ac iunio, cum usu earundem gratiarum ?

Et Deus, etc.

Qua die autem lucranda erit haec indulgentia si, annuente Episcopo, celebratio in alium mensem transferatur ?

Res ista dubio vacare non videtur. Donec S. Sedes mentem suam de re aperuerit, retinendam arbitramur diem 30 mensis iunii, Indulgentia enim ista videtur in die 30 iunii quasi in propria sede poni, nec cum ultima sollemnis celebrationis die coniungitur. Namque ex responso ad 2, ultima mensis dominica, celebratio finem regulariter habet.

---

255. — S. CONGR. CONCILII

DECLARATIONES 1 FEBR. ET 28 MARTII 1908

De forma sponsalium et matrimonii post decr. « Ne temere » Romana et aliarum

A. *Declarationes 1 februarii 1908*

I. An decreto *Ne temere* astringantur etiam catholici ritus Orientalis. — *Et quatenus negative :*

II. Utrum ad eosdem decretum extendere expediat. — *Et quatenus saltem pro aliquo loco decretum non fuerit extensum :*

III. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma ab eodem decreto statuta.

IV. An sub art. XI, § 2, in exceptione enuntiata illis verbis « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum », comprehendatur tantummodo Constitutio *Provida* Pii PP. X ; an potius comprehendantur quoque Constitutio Benedictina et cetera eiusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia.

V. Num in imperio Germaniae, catholici qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt, vel conversi ad fidem ab ea postea defecerunt, etiam in iuvenili vel infantili aetate, ad valide cum persona catholica contrahendum adhibere debeant formam in decreto *Ne temere* statutam, ita scilicet ut contrahere debeant coram parocho et duobus saltem testibus. *Et quatenus affirmative,*

VI. An, attentis peculiaribus circumstantiis in imperio Germaniae exsistentibus, opportuna dispensatione provideri oporteat.

VII. Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas et familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum assistere valeant.

VIII. Ubinam et quomodo parochi qui, territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis assistere valeant.

IX. Ubinam et quomodo parochus qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias subditas habet, matrimoniis assistere valeat.

X. Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, assistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione.

XI. An decreto *Ne temere* abolita sit lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a Curia episcopali peragenda sunt acta quibus constet de statu libero contrahentium, et dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis.

XII. An et quousque expediat prorogare exsecutionem decreti *Ne temere* pro nonnullis locis iuxta Ordinariorum petitiones.

Et Emi Patres ad huiusmodi dubia ita respondendum censuerunt:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Ad S. Congregationem de Propaganda Fide.*

Ad III. *Dilata, et exquiratur votum duorum Consultorum, qui prae oculis habeant leges hac de re vigentes apud Orientales.*

Ad IV. *Comprehendi tantummodo Constitutionem* Provida ; *non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SSmo ; et ad mentem* [1].

Ad V. *Affirmative.*

Ad VI. *Negative, ideoque servetur decretum* Ne temere.

Ad VII. *Quoad capellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum.*

Ad VIII. *Affirmative in territorio cumulative habito.*

Ad IX. *Affirmative quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SSmo.*

Ad X. *Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem.*

Ad XI. *Servetur solitum.*

Ad XII. *Ad Emum Praefectum cum SSmo.*

Die vero quarta dicti mensis et anni, SSmus Dnus Noster Pius PP. X, audita relatione infrascripti Praefecti S. C. Concilii, supra relatas resolutiones ac declarationes ratas habere et confirmare benigne dignatus est easque vulgari mandavit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

VINCENTIUS Card., Ep. Praenest., *Praefectus.*

B. Pompili, Secretarius.

B. *Declarationes 28 martii 1908*

I. Utrum validum sit matrimonium contractum a catholico ritus latini cum catholico ritus orientalis non servata forma a decreto « Ne temere » statuta.

II. An in art. XI. § 2 eiusdem decreti sub nomine *acatholicorum* comprehendantur etiam schismatici et haeretici rituum orientalium.

III, Num exceptio per Constit. « Provida » id Germania inducta, censenda sit uti mere localis aut etiam personalis.

IV. An Ordinarii et parochi nedum explicite sed etiam implicite, « invitati et rogati », dummodo tamen « neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum », valide matrimoniis assistere possint.

V. An ad licitam matrimonii celebrationem habenda sit ratio dumtaxat menstruae commorationis, aut etiam quasi-domicilii.

---

[1] Ex FERRERES, *Los Esponsales y el Matrimonio segùn la novisima disciplina* (n. 528, nota 1), accipimus mentem eam putari, ut exceptio C. *Providae* pro transitoria habeatur, et Episcopi Germaniae res hoc modo disponere conentur ut decreto *Ne temere* plena vis quam primum tribui queat.

VI. Utrum sponsalia, praeterquam coram Ordinario aut parocho, celebrari valeant etiam coram alterutro delegato.

VII. Utrum sponsalia celebrari possint dumtaxat coram Ordinario aut parocho domicilii aut menstruae commorationis, an etiam coram quolibet Ordinario aut parocho.

Emi Patres, omnibus sedulo perpensis, respondendum mandarunt :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, facto verbo cum Sanctissimo.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad VI. *Negative.*

Ad VII. *Posse celebrari coram quolibet Ordinario aut parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel parochi.*

Die autem 30 dicti mensis martii, SSmus Dnus Noster, audita relatione infrascripti Secretarii S. C. Concilii, supra relatas Emorum Patrum resolutiones ratas habuit et approbavit, quibuslibet in contrarium minime obstantibus.

VINCENTIUS Card., Ep. Praenest. *Praefectus*
B. Pompili, Secretarius.

N. B. Annotationes cfr. post sequens monumentum.

---

256. — S. C. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE 29 FEBR. 1908

Differentes pro Sinis obligationem decreti « Ne tenere »

Illme ac Revme Domine,

Petita dilatio.

Post latum a S. Congretione Concilii die 2 mensis augusti superioris anni, iussu et auctoritate Pii PP. X, decretum « *Ne temere* » de Sponsalibus et Matrimonio, nonnulli regionis Sinensis Ordinarii ab hac S. Congregatione Fidei Propagandae praeposita dilationem petierunt ad congruum tempus pro publicatione et applicatione supra citati Decreti. Quas preces cum in Audientia diei 26 vertentis mensis februarii SSmo Dno Nostro Pio PP. X rettulerim, eadem Sanctitas Sua praedictorum preces benigne excipiens, S. Congregationi de Propaganda Fide commisit ut pro tota regione Sinensi concedere posset prorogationem ad annum, hoc sensu ut praefatum Decretum in Sinensi territorio vim legis incipiat habere a die sollemni Paschae Resurrectionis D. N. Iesu Christi anni millesimi nongentesimi noni.

Facultas facta 26 febr.

Facultatis usus.

Potestate itaque mihi facta a SSmo Dno Nostro, Amplitudini Tuae significo Decretum « *Ne temere* » in Missione tuis apostolicis curis concredita vim legis non habere nisi a die sollemni Paschae proximi anni.

Interim Deum precor ut Te diu sospitem incolumemque servet.

Dies (29 febr. 1908).

Datum Romae ex Aedibus S. C. Propagandae Fidei die 29 februarii 1908.

Amplitudinis Tuae
addictissimus servus
HIERONYMUS Card. GOTTI *Praefectus*
Aloisius Veccia, Secretarius.

ANNOTATIONES

Ad declarationes et litteras de decreto « Ne temere »

I. Ex modo recitatis declarationibus, quibus, ut patet, non omnia dubia solvi potuerunt, non modicum lumen hauserunt interpretes, quamquam, ut scite observat OJETTI [1], opiniones quasdam, constituto iure fundatas, deserere debuerunt propter iuris istius correctiones quae, approbante Sanctissimo, sunt declarationibus istis sapienter permixtae.

Ad normam istarum declarationum iam licuit nobis quartam nostrorum commentariorum editionem exigere.

Hoc loco satis erit paucas proponere annotationes, quo vis responsionum magis perspiciatur, et lectori facilior copia subministretur emendandi ipsam interpretationem quae huic Periodico est inserta, p. 75-124 huius tomi.

Eo porro ordine observationes disponemus, quo ipsam legem sumus interpretati.

II. *De Sponsalibus* (supra, p. 81 ss., n. **23-34**), responso 28 martii 1908, ad VI et VII confirmata est sententia nostra qua, n. **30**, qualitatem testis privilegiati (qui solus sufficere possit) tribuimus *omni* Ordinario omnique parocho *intra suum territorium* assistenti, sed simul, n. **31**, qualitatem istam, delegatione ad hunc finem data, communicari posse negavimus.

Delegatione, inquam, *in hunc finem data*. Namque, si facultas pro nuptiis contineri putatur in generali deputatione qua quis *ex officio* in ministeriis parochialibus versatur (sicut Parisiis in officio primi vicarii), huiusmodi deputatis ad eos ascribitur qui, praesenti lege, pro parochis haberi possunt. Cfr. nostrum n. **36**.

III. De parochis qui dicuntur *personales* (n. **35**. **39**. **44**). Responsa 1 febr. ad VII. VIII. IX. X, varia distinguunt genera huiusmodi parochorum, et ad singula legem aptant.

a) Alii nullum absolute territorium habent, sed in personas et familias, quas etiam sequuntur, iurisdictionem directe exercent. Exemplo sint parochi castrenses. Ad VII de istis est responsum, nihil esse immutatum. Quare poterunt, sicut ante, subditos matrimonio iungere, sed competentiam servant qualem ante decretum possidebant. Atque in subditos istorum parochorum alii parochi eam potestatem, non maiorem nec minorem, exercere pergent quam ante habebant.

b) Alii parochi territorium cumulative cum alio vel aliis habent. Hi, sic est responsum ad VIII, poterunt omnes, in communi territorio, valide omnium matrimoniis interesse. Num etiam licite, supposita commoratione quae art. V decreti postulatur ?

Ac per se licite interesse arbitramur, nisi causa specialis obstiterit, v. g. ritus. Lex enim vel declaratio nullam continent prohibitionem. OJETTI tamen, n. 67, arbitratur esse assistentiam pro aliis sponsis ac subditis, illicitam.

c) Alii parochi, in territorio quod aliis assignatur, nonnullas personas vel familias sibi subditas habent. His parochis licet ubique, in illo territorio, personas istas, non vero alias matrimonio iungere. Responsum datum est, facto verbo cum Sanctisstmo, ad IX.

---

[1] *In ius antepianum et pianum*, p. 172.

Multo magis poterunt, in suo territorio, si quod habeant, personas istas coniungere.

d) Cappellani seu rectores piorum locorum a parochiali iurisdictione immunium, poterunt *in loco* ubi exercent iurisdictionem, quam constet plene esse parochialem, *personas sibi subditas* (non itaque alias) coniungere. Ita sonat responsum ad X.

Et quia locus pius per se non est a parochia avulsus, arbitramur parocho ecclesiae in cuius territorio est locus iste pius, manere potestatem omnes in eo loco coniungendi. Declaratio enim, dum cappellani agnoscit competentiam, nullam a parocho abiudicat. Neque hic iam de istis parochis dicitur quod ad VII de castrensibus, nihil esse de istiusmodi parochis immutatum.

Age porro, ex istis declarationibus satis liquet, plures parochos qui in certis Americae civitatibus territorium commune habent, sed subditos gente vel optione (cfr. n. **35**) distinctos, posse omnes sponsos ibi coniungere. Idem dixerimus de locis ubi parochus latinus cum Orientali exerceat iurisdictionem.

Nihilo minus non omnis quaestio sublata videtur. Quid enim, si parochus alicuius ritus paroeciam nullo territorio circumscriptam habere videatur? Utrum eum inter castrenses recensebimus, an potius similem faciemus illius qui in alieno territorio subditas habet familias (sic P. FERRERES, n. 543), an ut territorium habentem cum pluribus commune considerabimus, ut videtur putare OJETTI? Id non est manifestum, sicut narrat de Mozarabicis FERRERES, l. c.

IV. De forma *assistentiae validae*, die 28 martii, ad IV, declaratum est requisitam invitationem sumi posse implicitam. Quod, attento fine legis, ita ample accipiendum videtur. Quare si ipse minister sacer partes ad contrahendum hortatus sit, ita ut hae potius a parocho invitari quam parochum invitare videantur, de huiusmodi matrimonio non sit quaestio movenda, quasi requisita invitatio defecerit. (Cfr. n. **45**, nostrae editionis 4.)

V. *De parocho proprio* iam confirmata est sententia qua n. **57**, perfecte suppressam diximus, respectu matrimonii, notionem quasi-domicilii, et in eius locum introductam commorationem menstruam. (Responsum 28 martii, ad V.)

VI. De investigatione *status liberi*, dixeramus, n. **55**, nihil esse per praesens decretum de lege vel usibus derogatum. Quod placuit S. Congregationi Concilii, quae, 1 febr, interrogata num suppressa esset lex vel consuetudo in nonnullis dioecesibus vigens, vi cuius a curia episcopali conficienda sunt acta quibus constet de statu libero contrahentium, ut dein venia fiat parochis assistendi matrimoniis, respondit : « Servetur solitum. »

VII. Undecimus decreti articulus, ubi universalis vis novae formae inculcatur, locum dedit gravi quaestioni de Orientalibus, quam pendentem nuntiavimus n. **88**. Et 1 febr. 1908 catholici ritus Orientalis praesenti decreto declarati sunt *exempti*. Opportunitas autem eosdem lege astringendi est iudicio S. C. de Propaganda Fide permissa. (1 febr. ad I et ad II.)

Responsio ista fortasse ansam praebuit interrogandi subinde de *schismaticis* et *haereticis* rituum *Orientalium*. Qui, 28 martii, ad II, declarati sunt comprehendi appellatione *acatholicorum* de quibus art. XI, § 2, Hinc catholicus latinus qui cum acatholico Orientali contrahat, formam decreti *Ne temere* servare debet, ut valeat matrimonium. Non item tamen catho-

licus Orientalis, vel etiam acatholicus latinus, cum ipsi vim decreti *Ne temere* effugiant.

Succedebat quaestio difficilior de valore matrimonii quod, omissa forma decreti *Ne temere*, fieret inter Orientalem exemptum et catholicum ritus latini. Hic definiendum erat utrum, vigente decreto *Ne temere*, pars a forma immunis cum altera suam exemptionem communicaret, an, contra, sponsus obligationem. Ac postquam, 1 febr. responsio prius est dilata, posteriores partes demum elegit S. Congr. 28 martii, ad I, idque satis consequenter, cum ex art. XI, § 2 matrimonia mixta inter catholicum et acatholicum (exemptum) praesentis decreti imperio regantur. Cfr. n. **88**.

Ius istud Orientalium ita intellegimus, ut exemptio Orientales ubique comitetur, sicut obligatio latinorum propter domicilium in Oriente acquisitum minime aufertur. Cfr. nostrum n. **88** edit. 4.

VIII. Huic legi matrimoniorum mixtorum exceptio apposita est pro locis vel regionibus quae beneficio fruerentur peculiaris statuti. Sed, quod praesensimus supra in n. **90**, S. Congr. 1 febr. ad IV, declaravit, facto verbo cum Sanctissimo, iam solam valere c. *Provida*, quae Germanicum imperium (non possessiones germanicas, v. g. Kamerum) afficit ; et 28 martii addidit, beneficium istius Constitutionis non prodesse nisi *natis* in Germania, *ibidem* matrimonium contrahentibus.

Hinc infert Ferreres, n. 592, ad usum istius exemptionis nullam originis vel domicilii condicionem requiri, et valide sine parocho vel testibus contrahi, *in Germania*, matrimonium, si alter sit acatholicus, ambo autem sint in Germania nati. Nec huic sententiae repugnamus, saltem si parentes in Germania sedem habebant, quando natus ibi est sponsus vel sponsa. Namque si casu factum est ut ibi alteruter nasceretur, v. g. in itinere parentum, dubium moveri potest, eo quod fortuita ista origo in iure non consideratur. Sic pro ordinationibus, nativitas ex accidenti occasione non dat dioecesim ordinationis ex origine. Cfr. Wernz, *Ius decretalium*, t. 2, pars I, n. 28, III.

Ojetti autem, eo quod C. *Provida* non agat nisi de matrimoniis mixtis quae inter catholicos et haereticos vel schismaticos contrahuntur, existimat lege communi decreti *Ne temere* teneri matrimonia inter catholicum et acatholicum non baptizatum (obtenta dispensatione ab disparitate cultus), quamvis ambo sint nati in Germhnia ibique contrahant.

Constat autem matrimonium inter natum in Germania et natum extra Germaniam, decreto *Ne temere* semper regi.

Iam in priore consessu 1 febr. confirmata est sententia qua, n. **91** diximus vocem *haeretici*, etiam in Germania, accipiendam esse secundum descriptionem decreti *Ne temere*, nec opportuna iudicata est dispensationis concessio. Cfr. ad V et ad VI.

IX. In quarta editione, benignius intellegendam duximus commorationem menstruam, ita ut mensis etiam sumi possit secundum calendarium, v. g. mensis februarius, qui 28 vel 29 diebus constabit. Sic Besson, p 78 in Nouvelle Revue Théologique, et etiam Ojetti, n. 97. Veri simile etiam diximus, absentiam unius vel alterius diei neglegi posse, nec officere quin elapso mense vel spatio dierum triginta, commoratio existimetur moraliter unius mensis. Sic etiam Monitore Eccl. t. 20 (1908) p. 90.

X. Sanctissimus, in audientia 26 febr. facultatem fecit Congr. de Prop. Fide, ut pro imperio Sinensi posset in annum differre vim praesentis decreti.

257. — S. CONGR. CONCILII

INDULTUM 28 MARTII 1908

De forma bannorum

Parisien.

Orator **Petitionis** *causae*

Die 4 novembris 1907, defunctus Archiepiscopus Parisiensis Richard, petiit a S. Concilii Congregatione, ut in paroeciis suae dioecesis, quae saltem decem milia continent parochianorum, legi bannorum satisfieret « affigendo in loco ecclesiae conspicuo, per tres dies dominicas vel festivas continuas, scriptas schedulas futura matrimonia exhibentes, quae schedulae per totam diem, a prima missa matutina usque ad ultimum liturgicum officium vespertinum, affixae remaneant. »

Causas obtinendi indulti proposuit binas istas, quod fideles saepe ignorabant nec recordabantur nomina multorum nupturientium qui saepe simul proclamabantur; taedio autem afficiebantur longa ista nominum recitatione.

Et quia in huiusmodi adiunctis fine suo frustratur lex de proclamandis bannis, Emi Patres responderunt.

Pro gratia iuxta petita, facto verbo cum SSmo. **Gratia**

ANNOTATIO

Causa ista est per summaria precum tractata in coetu S. Congr. Concilii.

---

258. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQUIAR.

INDULTUM EX AUD. 13 FEB. 1908

Scapulare SS. Cordis

Orator

Il [1] P. Pietro Benedetti, procuratore generale dei Missionarii del S. Cuore, prostrato ai piedi della S. V. espone quanto segue:

Memorato indulto,

Con prezioso autografo della Santità Vostra del giorno 18 agosto 1907, la S. V. si dignò concedere: *a*) che i sacerdoti Missionarii del S. Cuore avessero la facoltà di benedire ed imporre lo Scapolare del S. Cuore, portante sul rovescio l'immagine di Nostra Signora del S. Cuore; *b*) che il Superiore generale potesse delegare tale facoltà ai sacerdoti ascritti all'Arciconfraternità di Nostra Signora del S. Cuore.

---

[1] *Id est, latine:* P. Petrus Benedetti, procurator generalis Missionariorum S. V. exponit ea quae sequuntur:

Pretioso chirographo S. V. diei 18 aug. 1907, S. V. concedere dignata est: a) ut sacerdotes Missionarii SS. Cordis facultatem haberent benedicendi et imponendi scapulare S. Cordis, in cuius aversa parte habetur imago Dominae Nostrae a S. Corde: b) ut Superior generalis facultatem istam sacerdotibus cooptatis in archisodalicium Dominae Nostrae a S. Corde delegare posset.

Ne multiplicentur scapularia, Petit communicationem privilegii Oblatorum.

Ora, per non moltiplicare il numero degli Scapolari, preso l'accordo col Vicario generale degli Oblati di Maria Immacolata, che hanno facoltà speciale di benedire uno Scapolare del S. Cuore già approvato dalla S. Sede, ed arricchito di grazie spirituali, l'oratore, invece delle concesse facoltà, chiede umilmente di avere un rescritto che conceda ai Missionnari del S. Cuore la facoltà simile a quella dei suddetti Oblati, di benedire e imporre lo Scapolare del S. Cuore con le stesse indulgenze ; e, per i medesimi privilegi, accordi al Generale di potere delegare a ciò i sacerdoti ascritti all'Arciconfraternità di N. S. del S. Cuore.

Che della grazia, ecc.

Ex audientia SSmi, die 13 februarii 1908

Conceditur. SSmus Dnus Noster Pius PP. X benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (13 feb. 1908.) Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C , die 13 februarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.

259. — EX AUDIENTIA SSmi

INDULTUM 26 FEBR. 1908

De triduana supplicatione pro communione cotidiana

Orator. Moderator generalis Eucharistici Foederis Sacerdotalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter exponit :

Memoratis litteris de supplicatione triduana et diebus assignatis, In litteris S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 aprilis 1907 Revmis Episcopis valde commendatur, ad fovendam in populis devotionem erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, institutio supplicationum triduanarum quae in ecclesiis cathedralibus et etiam parochialibus infra Octavam sollemnitatis Corporis Christi vel alio tempore celebrentur. Et ab iisdem Litteris praescribitur ut « supplicationes semper peragantur feria VI, sabbato et die Dominica » ; quod etiam innuitur haud semel quando sermo est de missa parochiali et de homilia quae haberi debet die postrema supplicationum.

Et pio usu adorationis perpetuae SS Sti. Cum autem in multis regionibus, praesertim Galliae, Hispaniae, Belgii, instituta fuerit pia quaedam praxis qua, in singulis dioecesibus, aliquot parochiae vel ecclesiae conventuales habeant successive, per unum vel

Age porro, ne numero crescant scapularia, re conventa cum Vicario generali Oblatorum Mariae Immaculatae, quibus specialis est facultas benedicendi scapulare S. Cordis iam a S. Sede probatum et gratiis spiritualibus ditatum, orator, pro concessis facultatibus, humiliter implorat rescriptum quo Missionarii S. Cordis simili facultate, qua supradicti Oblati, instruantur benedicendi et imponendi Scapulare S. Cordis cum iisdem indulgentiis, utque per eadem privilegia tribuat Generali facultatem delegandi ad hoc sacerdotes cooptatos in Archisodalicium Dominae Nostrae a S. Corde.

Et Deus, etc.

plures dies Expositionem sollemnem Sanctissimi Sacramenti ad modum Quadraginta Horarum, ut sic adoratio sollemnis Sanctissimi Sacramenti perpetua evadat in dioecesi : plures Episcopi opportunum credunt statuere ut immediate ante hunc diem *Adorationis perpetuae*, uti vocatur, fiant triduanae supplicationes de quibus in litteris S. Congregationis Indulgentiarum. Et notari debet quod dies Adorationis perpetuae uti Dominica celebratur, ita ut fideles hoc festum inter sollemniora reputent. Sed patet quod in hoc casu praescriptio S. Congregationis de tempore supplicationum servari nequit, et ideo indulgentiis tam benigne concessis fideles frui non possunt.

Petit *facultatem pro Episcopis.*

Quae cum ita sint, humillime petit orator, ut dies ad celebrandas supplicationes triduanas, de quibus agitur in litteris S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 aprilis 1907, relinquantur ad arbitrium Episcopi in dioecesibus quae Adorationis perpetuae ad modum Quadraginta Horarum piam praxim custodiunt, et fideles nihilo minus indulgentiis in praedictis litteris concessis frui valeant.

Et Deus...

Dies (26 feb. 1908).

Ex Audientia SS^mi
Die 26 februarii 1908

Conceditur.

SS^mus, auditis expositis, benigne et libenter annuit pro gratia in omnibus. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem, etc.

Casimirus Card. GENNARI.

---

260. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQU.

DECRETUM GENERALE EX AUD. SS^i 11 MART 1908

Tempus utile confitendi pro indulgentiis

URBIS ET ORBIS

Memorantur indulta quibus condicio Confessionis fit facilior.

Quo Christifideles Indulgentiarum thesauro facilius perfruerentur, haec S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, Decreto diei 9 decembris 1763 cunctis fidelibus, quibus laudabilis est consuetudo accedendi semel in hebdomada ad paenitentiae Sacramentum, iam indultum concessit, vi cuius omnes Indulgentias acquirerent per ipsam hebdomadam occurrentes absque alia peccatorum confessione, quae ceteroquin ad eas lucrandas foret necessaria. Huiusmodi vero indultum, pro aliquibus regionibus, attenta confessariorum inopia, etiam ad sacramentalem confessionem infra duas hebdomadas peractam extensum fuit. Insuper, alio Decreto sub die 6 octobris 1870, provisum est, ut ad confessionem et S. Synaxim quisque accedere posset die qui illum immediate praecedit pro quo aliqua Indulgentia, sive ratione festivitatis, sive alia quacumque ex causa fuerit concessa.

Opportunitas novae concessionis

Experientia tamen compertum est hisce indultis haud satis consultum, quando agitur de iis Indulgentiis lucrandis quae aliquibus festivitatibus extraordinariis sunt annexae, vel de iis quas totiens quotiens eadem die acquiri datum est. Tunc enim ingens fit fidelium concursus ad sacramenta suscipienda, ita ut eorum pio desiderio multis in locis vix satisfieri posset,

nisi confessio praescripta paulo anticipetur ab iis, qui qualibet hebdomada confiteri non solent, neque possunt.

Preces *porrectae*

Quapropter SSmo Domino Nostro Pio Pp. X. preces sunt exhibitae, ut desuper his de apostolica benignitate providere dignaretur, indulgendo ut confessio peragenda ad lucrandam Indulgentiam, si haec pluries eadem die sit concessa, tribus diebus immediate praecedentibus, sin vero semel in die sit concessa, duobus tantum integris diebus anticipari queat.

Concessio *perpetua*

Et Beatissimus Pater, in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto, die 11 martii 1908, summopere exoptans maiori spirituali bono christifidelium prospicere, expositis precibus clementer annuere dignatus est, ita tamen ut, praeter communionem pridie diei, cui est annexa Indulgentia, permissam, in adimplendis ceteris operibus iniunctis regula generalis, circa modum et tempus in concessionibus praescriptum, servetur. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (11 mart. 1908).

Datum Romae, e Secretaria eiusdsm S. Congregationis, die 11 martii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.

ANNOTATIO

Haec vis inest in isto decreto, ut omni concessioni indulgentiarum quae pluries eadem die offeruntur, ac proin omni Portiunculae, adiungatur iam beneficium privilegii quod Portiunculae Franciscanae 2 aug. est concessum. Cfr. supra, t. 3, p. 151, 152.

Observes porro gratiam concessam esse ampliorem quam stricte postulabat exposita concedendi ratio.

Proposita enim est difficultas audiendi confessiones immediate ante extraordinarias festivitates, vel cum lucranda proponitur indulgentia *totiens quotiens*, dum anticipatio conceditur duorum dierum omni confessioni requisitae ad lucrandam indulgentiam, qualicumque die offeratur, et anticipatio trium dierum confessioni faciendae ad lucrandam indulgentiam quae *pluries*, quamvis non totiens quotiens, eadem die obtineri potest.

---

261. — S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

RESPONSUM 14 MARTII 1908

De admissione ad primam communionem alumnorum Ordinis religiosi

Instantia Praepositi Generalis

Praepositus Generalis Scholarum Piarum, ad B. V. pedes provolutus, humillime postulat a S. V. declarationem quod nihil obstet ut Religiosi Scholarum Piarum possint in propriis Ecclesiis vel Sacellis sollemniter pueros vel discipulos, tam internos quam externos, ad primam Communionem admittere.

Et Deus.

Votum Procuratoris Generalis

Infrascriptus Procurator Generalis Oratoris preces enixe commendat, eo quod necessarium fit habere in promptu declarationem huiusmodi ad

disturbia vitanda. Nam, etiamsi a primordiis institutionis Scholarum Piarum ea fuit constans praxis admittendi in propriis Ecclesiis alumnos ad primam Communionem cum plausu proprii Dioecesani et etiam Parochi ; nihilo minus haud semel invenitur aliquis Parochus, vel etiam Episcopus, qui contradicat et adhuc prohibeat hanc sollemnitatem quae dici potest finis et corona nostrae ad pueros erudiendos missionis. In Hispaniis insuper habemus Rituale proprium a S. R. C. approbatum, ad ritum primae Communionis complendum ea sollemnitate, aedificatione et spirituali fructu, quod iam traditionale habetur. Interest ergo ut huiusmodi ius et Ecclesiae ac Societatis benemerentia minime Instituto Scholarum Piarum disputentur, quod denuo instanter et urgenter commendat.

Romae, hac die undecima maii, anni 1907.

Addictissimus servus

Iosephus Cal. Homs a Purific.

Prov. Gen.

De instantia ista propositum est plenario coetui S. Congregationis dubium sic confectum :

Dubbio

Se e come i Chierici Regolari delle scuole Pie abbiano diritto di ammettere gli alunni, tanto interni quanto esterni, delle proprie scuole, alla prima Communione, nel caso [1].

In Congregatione Generali 14 mart. 1908, EE. PP. responderunt : *Affirmative.*

ANNOTATIO

De prudenti ratione qua intellegendum est ius quod in pluribus locis ex consuetudine habent parochi admittendi pueros ad primam sacram communionem, diximus in PERIODICO, t. 2, p. 165, 1.

Praesenti responso confirmatum est Ordini religioso ius *sollemniter* admittendi alumnos tam externos quam internos. Responso autem peculiaris accedit auctoritas eo quod in *plenario concessu* est datum.

262. — S C. DE PROPAGANDA FIDE

LITTERAE 30 APRILIS 1908

Responsa S. Officii De matrimonio infidelium et privilegio Paulino

A. *Antequam litteras exscribamus, oportet ut summatim referamus casus qui propositi sunt a Vicario Apostolico ex Africa.* Tres erant numero.

[1] Utrum et qua ratione Clerici Regulares Scholarum Piarum ius habeant admittendi, in casu, ad primam communionem, alumnos tam internos quam externos propriarum scholarum.

Duo catechumeni, Makasi (vir) et Marikubu (femina) die 21 dec. 1901 civiles contraxere nuptias. Mox discordia nata, Marikubu virum reliquit et in alia regione evasit concubina alius nigritae. Postea sedem denuo mutavit.

Tribus a coniugum separatione elapsis annis, Missionarius, mulierem paganam existimans, votis viri annuit eique baptismum contulit, persuasus usum privilegii paulini subinde ei permitti posse.

Postea autem accepit, Marikubu, celato priore matrimonio cum Makasi, ab alio Missionario esse baptizatam et religiosas nuptias contraxisse cum christiano K. P.

Makasi hactenus alia uxore sumenda abstinuit.

Observandum porro est de vi matrimonii istius civilis non levem fieri quaestionem.

Saepe enim in contrahentibus verus consensus desideratur. Namque, cum civilis lex divortium propter certas causas admittat, civile matrimonium ab indigenis parvipendi consuevit, ita ut multi matrimonium civile non considerent nisi ut modum pacifice possidendi feminam, quam ad arbitrium suum, v. gr. cum patriam (vicum suum) repetierint, dimittere in animo habent. Hinc quaeritur :

« An forsan aliqua via patet infelici Ambrosio (Makasi) ineundi matrimonium cum alia muliere christiana, vel declaratione facta nullitatis primi matrimonii in infidelitate, seu civilis, ob defectum consensus in verum et indissolubile matrimonium, — seu dispensatione in matrimonio rato et non consummato post baptismum. » (Probatio facile fieri potest.)

2. Bicka (vir), et Kange (femina), civiliter coniuncti, dein continuis altercationibns separati, ambo in diversa civitate scholas catecheticas assidue frequentant.

Frustra tentata reconciliatione, vir baptizatur et uxorem recipere recusat et declarat nullam aliam ducere velle. Mulier ipsa renuit cum viro cohabitare, baptismi est avidissima, sed alius christiani est concubina.

Quid de baptismo, quid de condicione coniugali infelicis feminae ?

3. Molimu (vir) et Boweia (femina), legitimo matrimonio coniuncti, a duobus annis in catholica religione erudiuntur. Mutua aversione et iurgiis sunt ab anno separati. Uter sit magis culpandus, dici nequeat. Frustra conatus facti sunt ad eos reconciliandos. De cetero, bene instructi et dispositi, baptizari maxime cupiunt.

Missionarius, qui persuasum habet nullam superesse reconciliationis spem, nec eos baptizare volens quin simul periculo incontinentiae remedium quaesierit, rogat num, ad normam decreti S. Officii 26 aprilis 1899 (Coll. P. F. 2 ed. n. 2044) hoc modo agere possit :

Baptizarit maritum, uxorem interpellarit, quae cohabitationem recusatura est. Responso isto accepto, vir, privilegio Paulino usus, aliam duxerit uxorem. Soluto sic priore coniugio, Boweia ipsa baptizari possit et alii viro christiano nubere.

B. *Litterae S. C. de Propaganda Fide.*

30 Aprile 1908.

Illmo e R^mo Signore [1].

Esaminati dalla suprema C^gne del S. Officio i 3 casi matrimoniali :

[1] *Latine :* Ill^me et Reve Domine (van Ronslé. Vic. ap. Cong. Indep.)
Examinatis a Suprema S. Officii Congregatione tribus casibus matrimonialibus

Makasi-Marikubu, Bieka-Kange, e Molimu-Boweia, esposti da V. S. per mezzo del P. Procuratore del S. Instituto a Roma, gli Emi Inquisitori generali, come risulta da officiale communicazione del 22 del corr. mese hanno emesso in ordine al *primo caso*, cioè al matrimonio del catecumeno *Makasi colla catecumena Marikubu* il *seguente decreto :* « Interrogetur vir, et si iureiurando affirmat se numquam intendisse indissolubili vinculo se uniri mulieri, sed eam sibi copulasse animo post aliquod elapsum tempus dimittendi, et post institutum diligens examen omnium adiunctorum circa ipsius credibilitatem nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate, permitti poterit ut cum alia catholica muliere ineat matrimonium. Quod si vero negative responderit, vel serium dubium de validate matrimonii vel de credibilitate viri superfuerit, relatis omnibus iterum recurrat.

« Prae oculis insuper habeatur, virum et feminam esse catechumenos ; et huiusmodi ob causam, non posse facile in iisdem supponi tam profundam ignorantiam indissolubilitatis matrimonii. Persuasio autem de veritate rerum assertarum a viro, praeterquam ex ipsius iureiurando, efformetur etiam ex omnibus adiunctis. »

Quanto [1] al secondo caso, al matrimonio cioè dell' uomo *Bieka colla donna Kange*, la quale essendo catecumena domanda il battesimo, ma vive in concubinato con altro christiano, la suprema Congne ha *risposto* « quoad baptismum stet decreto fer. IV diei 21 novembris 1883, quo decreto, ad quaesitum Vic. Ap. Bengal : se si possa lecitamente amministrare il battesimo a quei catecumeni che vogliono approfittare del privilegio Paulino, ma che in nessun modo sono disposti a riunirsi col proprio consorte infidele qualora questi si dichiarasse pronto a vivere sine contumelia Creatoris con la parte battezata, responsum est : negative. »

Quod ad matrimonium curet R. P. D. Vic. Apcus ut vir Bieka ad bonam adducatur frugem. Eum interroget sicut in responsione ad primum dictum est. Quod si vero matrimonium validum fuisse comperitur, inducatur ad interpellandam primam uxorem adhuc infidelem, et habita negative responsione, matrimonium contrahat cum catholica muliere ; quo facto provideatur, prout de iure, statui infelicis mulieris Kange. »

Quanto [2] al terzo caso, cioè al matrimonio del catecumeno *Molimu colla catecumena Boweia* ora separati, pei quali V. S. domanda se possa

Makasi-Marikubu, Bieka-Kange, et Molimu-Boweia, ab A. T. propositis per eum qui Romae negotia tui Instituti (Scheutensis Congr.) procurat, Emi Inquisitores Generales, sicut constat ex authentica communicatione 22 huius mensis, de 1o casu, id est, de matrimonio catechumeni Makasi cum catechumena Marikubu sequens dederunt decretum.

[1] *Latine :* Quod ad alterum casum, h. e. de matrimonio viri Bieka cum muliere Kange, quae, cum sit catechumena, baptismum postulat sed cum alio christiano vivit in concubinatu, Suprema Congregatio respondit : « Quod ad baptismum, stet decreto feriae IV diei 21 nov. 1883, quo decreto, ad quaesitum Vic. Ap. Bengal : Num liceat iis catechumenis baptisma conferre qui uti volunt privilegio Paulino, sed nullatenus dispositi sunt ad cohabitandum cum proprio coniuge infideli, si haec pars se dixerit dispositam ad cohabitandum sine contumelia Creatoris cum parte baptizata, responsum est *negative*.

[2] Quod ad tertium casum, i. e. matrimonium catechumeni Molimu cum catechumena Boweia, qui nunc separati vivunt, de quibus petit A. T. num haec ratio agendi

regolarsi così . « battezare prima il Molimu ; interpellare poi la Boweia. che certo risponderà di no ; permettere quindi all' uomo di passare ad altre nozze, colle quali si scoglierebbe il primo matrimonio, e recatasi libera la Boweia questa riceverebbe il battesimo e si sposerebbe ad un altro cristiano » *la S. Congne ha risposto :* « Negative, et missionarii prae oculis habeant decretum S. Officii 21 novembris 1883, supra communicatum.

Quodsi alteruter coniugum ad veram paenitentiam et rectam ad baptismum dispositionem adductus, dispositus sit ad reconciliandum se legitimo coniugi et promptus ad convivendum cum ipso sine contumelia Creatoris, huic baptismus ministrari poterit, et facta legitima interpellatione, habitaque negativa responsione, permitti ut ad alias nuptias transeat. »

Augurandole da Dio, etc.

Card. Gotti.
Al. Veccia, Segr.

Annotatio

Duo notanda videntur. 1. De primo casu, S. Sedes non recusavit quidem dispensationem matrimonii quod, in infidelitate contractum, non fuit consummatum post baptisma, sed aliam viam prius tentandam duxit. Quae si impervia demonstretur, novum praecipit recursum, ut necessitati opportune prospiciat.

Observes verum infidelium matrimonium dicendum esse *legitimum* potius quam *ratum*.

2. Altero et tertio responso notabile istud documentum continetur, usum privilegii paulini non posse per baptismum indigno collatum praeparari. Qui noluerit cum legitimo coniuge cohabitare in malo versatur statu.

Quare ipso baptismo est arcendus. Sed alteruter ad bonam dispositionem adducatur. Tunc, pie et non iam scandalose, baptismum et quae cum baptismo continentia sunt privilegia consequetur.

263 — Ex Litteris 30 mart. 1908 S. C. Episc. et Regul.

Iussio facta Episcopis. *De sacerdotibus ex Italia meridion. Neapolim migrantibus. His litteris Episcopi Italiae meridionalis vetantur Neapolitanam commorationem sacerdotibus permittere nisi ob gravem causam, et postquam res convenerit cum Emo Archipiscopo Dein haec adduntur quae ad Religiosos istarum regionum spectant :*

Extensio ad Religiosos. È [1] poi volontà del S. Padre, che tale norma venga altresì osservata dai Superiori degli Ordini ed Istituti Religiosi, qualora dovessero far soggiornare in Napoli qualche loro suddito, e l'Ordine od Istituto non vi avesse casa.

---

admitti possit, ut Molimu prius baptizetur, dein interpelletur Boweia quae certo cohabitationem detrectabit, tum vir permittatur alias contrahere nuptias quibus primum matrimonium solvatur, ita ut, recuperata libertate, uxor Boweia baptizari possit et alii christiano nubere, S. Congregato respondit....

[1] *Id est latine :* Vult deinde B. Pater ut ratio ista agendi a Superioribus Ordinum et Institutorum religiosorum etiam observetur, si subditum quempiam Neapolim mittere debeant ut ibi commoretur, neque Ordo vel Institutum ibi sedem habeat.

264. — LEONIS XIII

INDULTUM 12 IUN. 1899

De Officii divini et Missae anticipatione

ORDINIS S. IOANNIS DE DEO

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, attentis expositis, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatis, de specialissima gratia, Sacerdotibus ex Ordine S. Ioannis de Deo benigne indulgere dignatus est : *Sacerdotibus S. Ioann. de Deo specialissima fit gratia.*

1. Veniam quovis anni tempore privatim recitandi Vesperas cum Completorio ante meridiem ; ac pridie, immediate post meridiem, privatam Matutini cum Laudibus recitationem anticipandi. *1. Anticipandi Officium.*

2. Potestatem iisdem fecit Sacrosanctum Missae Sacrificium duabus ante auroram horis celebrandi vel in Oratorio privato, aut semipublico vel in publica Ecclesia, ianuis tamen clausis ; dummodo singuli sacerdotes memorati Ordinis, intuiti eiusmodi privilegii, nihil aliud exigant praeter manualem eleemosynam. *2. Anticipandi missam.*

Valituro praesenti Indulto in perpetuum, absque ulla Brevis Apostolici expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 12 iunii 1899. *Dies (12 iun. 1899).*

C. Card. MAZELLA, *Praef.*
D. Panici, Secret.

ANNOTATIO

1. Facultatem istam memoramus, quamvis non adeo recentem, ut cognoscatur quid S. Sedes indulgeat de Matutini anticipatione.

2. Concessio fieri dicitur de *specialissima gratia*. Itaque, ut nobis videtur, communicationem cum aliis Ordinibus non admittit, cum iis saltem qui non fruuntur nisi ordinario communicationis privilegio.

---

265. — SS. D. N PII PP. X

BREVE 1 FEBR. 1908

Cooperatoribus Operis Propag Fidei privilegium Crucigerorum indulgens

Cum Nobis Apostolorum Principis Cathedram obtinentibus antiquius nihil sit magis, quam ut Catholicum nomen latius per orbem propagetur et inter gentes longo terrarum marisque spatio disiunctas errorum umbram Evangelii lumen depellat, pias fidelium societates quae ad sacras expeditiones provehendas intendunt et divini verbi praecones stipe corrogata sustentant, peculiaribus privilegiis ac spiritualibus gratiis cohonestare ac ditare satagimus. Hoc quidem consilio, cum Consiliorum centralium Praesules pii Operis Propagationis Fidei Nos enixis precibus flagitaverint, ut sacerdotibus qui operam suam praedicto operi impendent, veniam largiri dignaremur benedicendi Rosariis, sive Coronis precatoriis, iisque applicandi Indulgentias quae a Patribus Crucigeris vulgo appellantur, Nos piis huiusmodi precibus annuendum libenter existimavimus, Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, cuicumque sacerdoti, cui nunc et in posterum ubique terrarum munus demandatum fuerit in aliqua paroecia aut in

Favoris causa.

Occasio.

Concessio facta Sacerdotibus pro vario collatae operae momento.

aliqua communitate colligendi eleemosynas pro pio Opere Propagationis Fidei, quantacumque sit pecuniae vis quae ab ipso colligatur, aut etiam illi qui de propria stipe in capsam eiusdem pii Operis inferat pecuniae summam illi parem quam una Decuria solveret, et cuique pariter sacerdoti, qui ad quodcumque Consilium seu Comitatum ipsi pio Operi dirigendo vel promovendo pertinet, aut etiam qui ab Episcopo designatus Rector dioecesanus omnibus fungitur muneribus quae forent explenda per Consilium seu Comitatum eiusdem pii Operis, necnon sacerdoti qui in anno summam respondentem mille subscriptionibus in capsam pii Operis intulerit, undecumque eam acceperit, durante respectivo munere, facultatem concedimus benedicendi unico Crucis signo, de consensu Ordinarii loci in quo dictam facultatem exerceat, Rosaria sive Coronas precatorias, iisque annectendi indulgentias a Patribus Crucigeris appellatas, nempe indulgentiam quingentorum dumtaxat dierum, defunctis quoque applicabilem, a Christifidelibus lucrandam quotiens aliquam ex iisdem Coronis manu gerentes Orationem Dominicam vel Salutationem Angelicam devote recitaverint, dummodo tamen Coronae ita benedicendae iuxta typum Coronarum SS^mi Rosarii B. M. V. fuerint confectae. Tandem largimur, ut si forte contingat pecuniae summam durante anni curriculo colligendam esse praestituta minorem, nihilo minus sacerdoti qui anno praecedente summam integram collegerit, fas esto dicta benedicendi coronis facultate uti ad finem usque vertentis computationis. Et sacerdoti similiter qui una vice ex aere proprio in capsam pii Operis summam intulerit quae illam aequet quam mille ascripti solverent, ut sua naturali durante vita praedicta facultate gaudere possit ac valeat praesentium tenore concedimus. Praesentibus perpetuo valituris.

Dies (1 feb. 1908). Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die 1 februarii MCMVIII, Pontificatus Nostri anno quinto.

R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secr. Stat.*

ANNOTATIO

1. Ut vis facti privilegii probe perspiciatur, satis est distincte proponere varia cooperatorum genera quibus prodest. Sunt autem :

a) Qui munere colligendi eleemosynas pro pio Opere Propagationis Fidei in aliqua paroecia vel communitate (v. gr. collegio) investiuntur.

b) Qui ex proprio aere conferant quantum decuria solveret, id est, 26 fr. (A singulis postulatur hebdomadaria collatio 0,05 fr. vel annua 2,60).

c) Sacerdotes qui ad Consilium seu Comitatum pertinent, vel Rectores dioecesani.

d) Qui in anno summam offerant aequivalentem mille subscriptionibus = 2600 fr.

2, Facultas conceditur per totam vitam ei qui ex proprio aere solverit, una vice, 2600 fr. Aliis conceditur durante munere respectivo. Illi autem cuius privilegium coniunctum est certae summae colligendae beneficium ita conceditur, ut si anno praecedenti sufficientem summam collegerit, possit per vertentem computationem (*durant l'exercice courant*) usum privilegii servare, quamvis eo anno summa prospiciatur minor futura.

3. Consensus requiritur Ordinarii loci in quo facultas exerceatur. De quo consensu cfr. dicta in Instr. gen. 14 ian. 1901 vel VERMEERSCH, *De Religiosis* I, 525.

BIBLIOGRAPHIA [1]

F. Xav. Wernz, S. I. *Decretalium ad usum praelectionum in scholis textus canonici sive iuris decretalium. Ius administrationis Ecclesiae catholicae.* Romae, Typ. S. C. de Prop. Fide, 2 vol. in-8, 318 et 520 p. Altera editio (parata a **Laurentio**, S. I.) 1908.

PROOEMIUM. — PARS PRIMA, De administratione magisterii et regiminis ecclesiastici : symbola et professio fidei, praedicatio, scholae, prohibitio et censura librorum, bona ecclesiastica, peculium clericorum et bona beneficiorum atque ecclesiarum, domus religiosae aliaeque fundationes, decimae et census ecclesiastici, pacta et contractus, testamenta, successiones, praescriptiones.

PARS SECUNDA. De administratione cultus divini atque sacramentorum et sacramentalium. Legislatores et libri liturgici, ministri cultus divini, obiectum cultus divini, tempora et loca cultus divini, forma et utensilia cultus divini ; particulares actus (sacrificium, cultus SS. eucharistiae, officium divinum, iuramentum, votum) ; socialis cultus divinus (ordines religiosi, confraternitates ; sacramenta, sacramentalia).

Boudinhon (R. D.) *Le Mariage et les Fiançailles Nouvelle Législation canonique.* Commentaire du décret *Ne temere*, Paris, Lethielleux, 1 vol. in-8, 110 p. 4e édition, 1908.

Introduction. c. 1, Le préambule du décret. c. 2. Les fiançailles. c. 3. Le mariage. c. 4. Clauses finales.

De Becker (R. D.). *Legislatio nova de forma substantiali quoad sponsalia et matrimonium catholicorum.* Commentarii, Lovanii, Ceuterick 1 vol. in-8, 48 p. 1908.

Decretum, Responsa Congr. Commentarii.

De Smet (R. D.). *Commentarius in decretum 2 aug. 1907, de Sponsalibus et Matrimonio*, Brugis, Maertens, 1 vol. in-8, 48 p. 1908.

Tenor. Commentarii : Statuta novae legis. Extensio et Promulgatio legis. Conclusio summaria. Formulae.

Ferreres I. B. (S. I.). *Los Esponsales y el Matrimonio según la novísima disciplina. Comentario canonico-moral sobre el decreto « Ne temere ». 2 ed. corregida y aumentada.* Barcelona, Gili, 1 vol. in-16, 339 p. plus 16 p. 1908.

Importancia de este decreto. Texto latino. Commentario. Parte expositiva. Parte dispositiva, Apendice I. La Constitución « Provida ». Apend.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert Libraire, Bruges.

II. Real decreto admitiendo para Espana como ley del Reino el decreto « Ne temere ». Apend. III. Si el decreto « Ne temere » es aplicable á Espana, etc.

Nota. — Nuevas declaraciones sobre el decreto « Ne temere ».

Gennari, Card. *Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio*. Roma, direzione del Monitore Ecclesiastico, 1 vol. in-8, 66 p. 4 ed. 1908.

C. 1. Scopo del decreto ; c. 2. Interpretazione del decreto ; c. 3. Valore del decreto ; c. 4. Differenza fra l'antica e la nuova disciplina. — Append. Moduli per Sponsali.

Ojetti S. I. *In ius antepianum et pianum ex decreto « Ne temere » S. C. C. 2 aug. 1907, de forma celebrationis sponsalium et matrimonii, Commentarii*. Romae, Pustet, 1 vol. in-8, 174 p. 1908.

Pars prima. De iure veteri seu antepiano. C. 1. De celebratione sponsalium ; c. 2. De celebratione matrimonii, iure antepiano. — Elenchus locorum in quibus decretum tridentinum publicatum esse vel non esse constat, et de quibus dubitatur. — Index locorum quibus extensa est declaratio Ben. XIV.

Pars secunda. De iure piano. Decretum. De decreti praeambuto. C. 1. De celebratione sponsalium, c. 2. De celebratione matrimonii.

Manise, C. SS. D. *A propos de blasphème. Etude de quelques locutions françaises prétendument blasphématoires*. Rome-Tournai, Desclée et Cie. 1 vol. in-16, 88 p. 1908.

Stradelli, S. I. *La Comunione frequente e quotidiana secondo gli insegnamenti e le prescrizioni di S. S. Pio X*. Comenio canonico-morale del decreto « Sacra Tridentina » per il P. G. **Ferreres**, S. I. Traduzione dallo spagnuolo. Torino, Libreria del S. Cuore, 1 vol. in-16, 142 pag.

II Decreto. Comento. Apendici.

Luciano del Pozo (Ordinis S. Ioannis de Deo). Vida de San Iuan de Dios con un prólogo de Ramon Albó, Barcelona, 1 vol. in-16, XII-274 p. 1908.

Primera Parte, Vida privada del Santo.

Segunda Parte, Vida publica del Santo.

Tercera Parte, Muerte, Triunfo y Gloria de San Iuan de Dios.

Historica (ex Analectis Bollandianis)

L. Le Monnier (abbé). *Histoire de St François d'Assise*, VIe éd. Paris. Lecoffre 1906. 2 v. in-12 ; LXIII-467 ; 493 pp. A. B. t. XXVI, p. 136.

F Gratien, O. M. C. *L'œuvre des Trois compagnons*.

Etudes franciscaines. LXV. (1906) p. 128-47. A. B. XXVI, p. 138.

The Catholic World. T. LXXXIII (1906) pp. 289-344. (Franciscan Number) A. B. XXVI, 139,

Peter Anton Kirsch. *Der Portionkula-Ablass*, eine Kritisch-historische Studie. Tubingen, Laupp, 1906, in-8o, 95 pp. (Extrait de Theologische Quartalschrift. LXXXVIII, pp. 81-101, 221-91). A. B. XXVI, p. 140.

SUPPLEMENTA

QUAESITA VARIA

I De Domicilio Regularium

Dicendi Occasio. Receptum istud est : Domicilium, idque necessarium, regularis in suo conventu acquirit.

His tamen verbis, satis consuetis, proposita regula non unum dubitationis locum praebet.

Subinde enim nascitur quaestio : quandonam conventum *suum* dicere possit Regularis, ut in eo sibi comparasse domicilium existimandus sit ?

In qua re, statim non modico discrimine inter se differre cernuntur antiquiores canonicorum et monachorum ordines, ubi religiosi in perpetuum monasterio aggregantur, et ordines recentiores, quales mendicantes, qui sedem per se stabilem non in conventu, sed in provincia tantum nanciscuntur.

Hinc iam perspicitur nullam perpetuitatis (aut definiti termini) intentionem, tamquam domicilii condicionem, a religioso mendicante postulari posse, nisi eum volueris ad *vagantium* turbam necessario detrudere.

Quaestio tamen moveri potest de perpetuitate negativa, id est de absentia *positivae* voluntatis qua quis post certum tempus domicilium mutare statuit, ita ut iam certo spatio commoratio sit definita.

Itaque de duabus notis quibus ratio domicilii concrescrit, id est de *animo manendi* et de *vera habitatione*, maxime vero de animo paulisper disserere iuvabit.

Quaestionis momentum ex coniunctis consectariis eruitur. Et re quidem vera :

1. *In loco domicilii* iudicialiter conveniendus est regularis, secundum illud : Actor sequitur forum rei.

2. Ab *Episcopo domicilii* ordinandus est, secluso peculiari Ordinis privilegio.

3. *A proprio Episcopo*, e cuius dioecesi discedat approbatus, potest, in itinere maritimo, omnium navigantium confessiones excipere. (Cfr. PERIODICA, n. **174** t. 3, p. 40 ss.)

Ordo dicendi. Prius de domicilio dicemus, deinde de tribus consectariis.

A. *De domicilii condicionibus*

Domicilium voluntarium definiri consuevit, vera habitatio in aliquo loco, coniuncta cum animo ibi perpetuo manendi. Perpetuo, id est, nisi causa aliqua alio avocaverit. Quae quomodo in regulari viro necessaria sint, iam videndum est.

I. *De intentione requisita.*

1. In primis constat nullum animum postulari posse in *ipso religioso* qui ad Ordinem pertineat ubi, ad Superioris arbitrium, locum servare vel mutare debeat. De qua re facile consentiunt Doctores. Iam in *iure romano*, cuius ius canonicum vestigia premere solet, principium istud valebat, personis quae domicilium habent *necessarium*, pro animo esse ipsam legitime imperantis destinationem [1]. Card. PETRA autem haec conceptis verbis habet [2] : « Quamvis ad acquirendum domicilium requiratur animus permanendi, vel continua habitatio cum asportatione fortunarum, haec tamen in Religioso non requiruntur, quia statim ad hunc effectum dicitur acquisivisse domicilium ; nam cum non habeat velle vel nolle et omnia bona sint monasterii, ibi dicitur stare perpetuo ubi est a Superiore collocatus, quia propria voluntate nequit discedere. » Haec ex parte desumpta videntur ex PASSERINI [3] : « Et si dicatur quod non mutatur dioecesis nisi mutato domicilio, quod non mutatur si quis ad alium locum se transferat animo revocandi illum statim postquam ibi Ordinem susceperit : respondetur quod in Regularibus non valet illa regula, quia cum ipsi non habeant velle vel nolle (cap. Si religiosus, De elect. in 6), nullibi esse possunt cum animo ibi semper manendi, sed solum cum animo ibi manendi quam diu Superiori placuerit. »

2. De ipso religioso itaque res expedita est : nullius

[1] Cfr. LAURIN, ARCHIV, 26, 174 nota 7.
[2] Comment. ad Const. *Apostolicam unicam* Urbani II t. 1, s. 2, n. 11-13.
[3] *De hominum statibus*. Q. 189, art. 10, n. 817.
[4] L. c. s. 6, n. 34

manendi animus in eo requiritur. Quid autem de illo qui, cum de Religioso disponat, pro ipso videtur domicilii animum habere vel non habere ? Ac rem ita concipi posse non est negandum, ut religiosus dicatur in eo conventu domicilium habere, ubi ex Superioris intentione manere debeat in tempus non definitum, donec causa mutationis supervenerit, domicilio autem carere iudicetur ubi per spatium temporis iam definitum sit ex superioris intentione permansurus.

Atque constat istam Superioris voluntatem, iure nostro, non omni efficacia destitui. Etiam religiosi hospitio recipiuntur apud fratres eiusdem vel alius Instituti, apud quos nemo dicet eos domicilium acquisivisse. Ut observat C. Petra[1] : « quod intellegendum, ut non debeat Superior collocare Regularem animo ut permaneat perpetuo, sed compatibiliter cum statu regulari amovibili, ut tamen non sit per simplicem transitum, sed de familia conventus. » Neque aliter Passerini, l. c. « Religiosi, statim ac sunt *collocati* et *incorporati* in aliquo monasterio, habent ius domiciliale iuxta Ordinis sui statuta. »

Sed hac condicione expleta, de animo Superioris quasi supplente Religiosi animum, doctores omnino tacent. Quare etiam de *quasi domicilio* Regularium nulla verba faciunt. Atque attenta plerorumque Regularium condicione, non difficile perspicitur cur consideratio ista animi in Superiore sit omittenda. Mendicantes, v. gr. in aliquem conventum saepe mittuntur ut ibi *per definitum* tempus vel probentur vel studiis vacent. Interea tamen nulli alii conventui sunt ascripti. Nisi ergo permultos religiosos domicilio per se privare volueris, oportet ut domicilii rationem ad eorum statum accommodes. Hoc autem non praestabis, nisi de animo permanendi, sive in religioso sive in ipso Superiore, omnem sollicitudinem deposueris.

Quare Pirhing [1] haec simpliciter habet : « Monachi aliique religiosi censentur habere domicilium in loco monasterii sive habitationis ubi degunt. »

II. *De Habitatione*. Quicumque propria voluntate sortitur domicilium, nullum acquisiverit nisi, praeter animum, vere in aliquo loco habitare coeperit. Sed religiosi, et quotquot domicilio astringuntur vel *necessario* vel quod

---

[1] In l. 2, t. 2. *De foro competente*, n. XVII.

alius elegerit, ipsa Superioris vel imperantis destinatione acquirunt domicilium, quod ab ipsa hac destinatione initium sumit.

Si v. gr. religiosus a conventu Namurcensi ad Romanum transferatur, a momento quo, ex Superioris voluntate, Namurcensi domui vale dixit, seu effectum habere coepit ista destinatio, domicilium habet Romanum ; quod si per varia loca divertit praedicando, etc. haec omnia agit ut Romae domicilium habens.

Sic, conceptis verbis, SCHMALZGRUEBER [1] « an domicilium haberi quandoque possit absque habitatione ? Resp. Acquiri posse, sed ab iis tantum qui ratione condicionis vel status sui alicubi stabiliter manere tenentur. Et ita acquirit domicilium.... Religiosus in loco monasterii cui ascriptus est. »

III. **Quaeres** iam praeterea num religiosus *plura* domicilia habere possit, vel, praeter domicilium, *quasi-domicilium* ?

Nec aliquid obstare cernimus. Casus facile habebitur, ubi religiosus alicui monasterio manet ascriptus, et simul, ex Superioris voluntate, per aliquod tempus alii familiae coniungitur. Id v. gr. continget in monachis qui stabilitatis voto alicui monasterio alligantur et dein, ad studendum vel docendam theologiam in alio monasterio vel collegio degunt : supponamus monachum Maredsolensem ex Belgio, qui simul doceat in collegio S. Anselmi de Urbe. Id etiam in religioso mendicante, qui ex aliqua domo ad aliam eiusdem vel alius Instituti mittitur per annum scholasticum propter studia. Hic quasi-domicilium facile habebit, alter duo vera domicilia.

B. *De Corollariis*

I. De *loco* ubi Religiosus *conveniri* possit, nihil speciale occurrit dicendum.

II. *De ordinatione*. Observes hic, in c. Cum nullus, 3, De temporibus ordinationum, in 6 (I, 9), memorato principio ex quo ipsi etiam religiosi, secluso privilegio, a proprio Episcopo, originis vel domicilii, ordinari debent, addi a legislatore : « Religiosi vere a suis Superioribus in non exemptis prioratibus deputati priores, et eorum socii pos-

[1] In l. 2 *De foro competente*, 2, n. 17.

sunt a locorum dioecesanis quam diu morantur in ipsis prioratibus ordinari licite, licet non sint de eorum dioecesibus oriundi. »

Sic vero Tridentina synodus [1] principium inculcat : « Unus quisque autem a proprio Episcopo ordinetur. »

In c. vero 10 vetat ne abbates vel alii exempti « cuiquam qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines » conferant, neve « litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus quae in huius s. synodi decretis continentur, ad episcopos intra quorum dioecesis fines exsistant pertineat. »

His iuribus perlectis, facile perspicitur fuisse qui contenderent ordinationem regularium (salvo privilegio Abbatis pro minoribus ordinibus) spectare totam ad Episcopum dioecesanum, id est ad eum in cuius dioecesi ordinandi commorabantur, ita ut ne dimissoriae quidem litterae a Superiore regulari concedendae forent ; et fuisse rursus alios qui putarent Regularibus manere privilegium ut a quolibet Antistite ordinentur, vel Episcopum regularium proprium esse episcopum originis [2] et domicilii.

Immo S. Pius V regulares a iure communi declaravit hac in re immunes [3].

Verum successit decretum S. C. Concilii, quod 15 martii 1596 prodiit ex mandato Clementis VIII : « C. Concilii censuit superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui, praeditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere ad episcopum tamen dioecesanum, nemque *illius monasterii, in cuius familia ab iis ad quod pertinet, regularis positus fuerit.* »

Decretum istud in celebri C. de ordinationibus, *Impositi nobis*, Benedicti XIV, 26 feb. 1747, allegatur. In eadem porro Constitutione occurrunt quae domicilii rationem explicant : « in qua controversia, episcopi.... aiebant... regularium ordinationes.... unice spectare ad episcopos ordinarios *eorum domicilii*, *nimirum illius dioecesis ac loci in quo ipsi* ordinandi commorantur.... Gregorius XIII, per alias similes litteras datas die 23 septembris anni 1724, quarum

---

[1] S. 23, c. 8, *De Ref.*

[2] Hoc tenebat Abbas, in c. Postulasti, 14. *De foro competente* (II, 9), n. 6 ; Pirhing, ibid. n. 17.

[3] Cfr. brevem expositionem historicam contentam 23a Institutione canonica Benedicti XIV.

initium est : *In supremo*, aperte declaravit, his verbis : « quotiens ergo regulares ad ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum C. Card. Conc. Tridentini Interpretum, a piae memoriae Clemente VIII praedecessore etiam nostro confirmatum die 15 martii 1596, quo sancitur, ad episcopum dioecesanum litteras dimissorias pro eorundem ordinum susceptione a suis superioribus esse dirigendas. »

Haec Benedictus XIV confirmat, additis poenis adversus antitistes ordinantes « regularem virum in sua dioecesi proprium domicilium non habentem ».

Manent tamen, et diserte a Benedicto XIV confirmantur privilegia quae post C. Tridentinum a S. Sede directe sunt concessa vel specifice confirmata, ut litterae dimissoriae ad quemlibet episcopum dirigi possint.

Quid autem si Superior, paucis ante diebus, vel adeo pridie ante publicam ordinationem, subditum in aliam dioecesim consulto miserit et deinde, facta ordinatione, in pristinam revocaverit ? Hanc agendi rationem carpit Benedictus XIV eamque vocat « usum privilegiorum ad ostentationem, actionem a probi viri honestate et fide alienam, debitae erga sacros ecclesiarum antistites observantiae contrariam » ; vultque ut in foro externo puniatur. Nullatenus tamen, quod omni consideratione dignum videtur, declarat poenas esse commissas quibus sancitur ordinatio facta ab episcopo *non proprio ;* et S. Congregatio, interrogata 8 aug. 1693, declarare noluit illicite ordinatos fuisse Regulares qui per quattuor tantum dies remoti fuerant a conventu neapolitano et ordinati ab Episcopis locorum ubi per istos dies commorati erant, sed mere respondit : Providetur *in casibus particularibus* [1]. Mutatio itaque valida [2] fuisse videtur ; quod non foret nisi domicilium Regularium facilioribus quas diximus condicionibus regeretur.

Quare etiam scriptores, v. gr. Wernz, dicunt : ordinandi sunt ab Episcopo monasterii ubi habitant. Cfr. etiam Scherer, *Handbuch*, in l. 3. § 67.

III. *De iurisdictione in navi.* Quisnam Episcopus satis proprius sit ut pro itinere maritimo approbare possit Regulares qui ex eius dioecesi discedunt ? Post factam explorationem, principia de domicilio Regularium et usus in gravi

---

[1] Apud Petra, l. c. n. 37-38.

[2] Eam omnino licitam pronuntiat Passerini l. c. ; et ipse C. Petra (n. 35), eam approbat si sufficiens ratio accesserit ; si Episcopus, v. gr. iustam dederit suspicionis causam.

ordinationis materia demonstratus ad hanc conclusionem nos ducunt : Regularis quem Superior, etiam ad paucos dies in aliqua communitate posuerit, ita ut non mere tamquam hospes, ad aliam familiam pertinens, ibi resideat, ab Episcopo loci istius communitatis ut a proprio approbatur. Quare sic approbatus religiosus poterit in itinere maritimo secum navigantes absolvere. Itaque, si X. Superior, regulari viro, quem ad missionem exteram destinaverit, dixerit : Te, donec proficiscaris, tali conventui addico, regularis in isto conventu domicilium habebit et Episcopo conventus ut proprio utetur.

Quid autem si simul, ut monachus, aliam stabilitatem habuerit ? Putamus ipsi duos esse Episcopos proprios, id est monasterii ubi re vera commorari solitus sit et monasterii cui ex voto stabilitatis est permanenter addictus.

II. De Missarum eleemosynis

« Dixisti in « Periodica » ser. 1. nº 2. p. 48. (5. Apparet a) sacerdotes *per se* prohiberi ne, ad missas aliis tradendas, consulto assumant missarum obligationes quibus intra congruum spatium, ipsi *per se*.... satisfacere nequeant. »

« **Quaeritur** 1. Sacerdos, qui habeat missarum obligationes, quibus intra congruum spatium ipse per se satisfacere queat, potestne ex iis tradere alii vel aliis sacerdotibus, non requisito consensu offerentium eleemosynas :

« 2. Quatenus affirmative, potestne ipse sacerdos postea suscipere novas obligationes, tot scilicet quot aliis tradiderat, dummodo hoc non consulto faciat ? »

« 3. Solent, in nostra regione, parochi vel sacerdotes saeculares, personales suas obligationes dicendi missas saepe aliis committere exsequendas sive per Ordinarium, sive etiam directe, v. gr. mittendo eleemosynas et intentiones ad aliquam religiosam domum. Hinc sequens casus. Titius parochus monasterio X. litteras scribit, petens ut ad intentionem dantis 100 dicantur missae.

Omni alia explicatione abstinet.

« **Quaeritur** quodnam tempus sit, ad missas istas celebrandas, dicto monasterio concessum ?

Respondetur paucis verbis :

Ad 1. *Affirmative*, dummodo traditione ista specialem aliquam promissionem loci vel celebrantis ne violet.

Ad 2. *Affirmative*, idque etiam si consulto ita fecerit. Nec enim legi derogat nec eius menti. Prudenti traditione nimiam

multitudinem vitat obligationum, quae facilis causa est cur Missae nimis differantur vel etiam omittantur. Observes tamen sacerdotem qui missas alii sacerdoti tradiderit, personali teneri obligatione donec alius iste fidem fecerit missas esse celebratas. Quare, si decretum *Ut debita* rigorose urgere voluerimus, nimis multas obligationes susceperit sacerdos qui, ante istam fidem acceptam, tot stipendia admiserit, ut omnibus non possit per se intra congruum tempus satisfacere. Dubitamus tamen num severitas ista sit in usum deducenda, et potius arbitramur hanc considerationem neglegi posse.

Ad 3. Ut supra notavimus, susceptum onus per se non potest in alium transferri nisi intactis legibus quibus prior debitor tenebatur. Nec privilegium quodpiam est in hac re concessum nisi Ordinario qui a suis sacerdotibus missas exuberantes acceperit. Infra idem itaque temporis spatium prior obligatus eiusque successor missas celebrare debent.

Variae tamen sunt causae maioris facultatis : consensus offerentium ; propria impotentia debitoris, qui tradendo aliis missas (a se fortasse neglectas) meliore quo potest modo substantiali obligationi consulit ; ipsa licentia Ordinarii, qui neglegenti sacerdoti permittat ut ipse exuberantes vel in fine anni reliquas missas probatis sacerdotibus distribuat.

Quae cum ita sint :

a) Valde inculcandum est ut qui missas transmittunt accurate explicent intentionum qualitates et tempus utile celebrandi missas.

b) Per se, qui missas ab aliis accipiunt, ordinariam sollicitudinem adhibere debent interrogandi de condicionibus celebrationis.

c) Huic tamen interrogationi varia obstare possunt incommoda.

Interrogatus sacerdos fortasse revelare debuerit quae silentio premere optaverit, vel suspicari interrogantem qui antea nihil quaesierit, etc. Quare,

d) Cum sacerdotes qui missas mittunt suas obligationes putandi sint cognoscere et curare, et variae sint silentii causae, eaeque rationabiles, putamus non esse inquietandos qui, dum timent ne interrogatione mittentes offendant, inquisitione ista supersedeant, et, deficiente alia indicatione, missas tractent quasi in praesenti et ab uno tantum offerente sint traditae.

Hinc denique,

e) Monasterium, de quo in casu, nisi Titium interrogandi copia satis facilis habeatur, poterit in rigore quinque vel sex menses centum istis missis dicendis insumere.

III. De bonorum religiosorum possessione et administratione

1. « Titius, vir saecularis, titulos communitatis religiosae administrat. Omnino par est solvendo. Potestne, si assentiant Superiores, titulos convertere in summam *sibi* fenere *stabili* datam mutuam? V. gr. ipse solvet fenus 3 $^{1}/_{2}$, qua conditione, ipse iam titulos suo lucro et damno administrabit, ita ut non debeat nisi capitale reddere ?

2. « Caius quidam, solvendo par, acceptis titulis communitatis religiosae, *suo periculo* ex his negotiatur, sic secum statuens : « Si res bene successerit, fructum et lucrum dabo ; si *male*, solvam religiosis fenus fixum et reddam capitale, quasi ego fenere acceperim. » Hinc **Quaeritur** :

« a) Possuntne religiosi huic rationi agendi assentiri, quin prohibitam exerceant negotiationem ?

« b) Quod si assentiri possunt, nonne Titius potest ipsorum consensum praesumere ? »

Resp. Ad 1. Commutatio ista, qua religiosi fenus certum pro incerto accipiunt, videtur per se licere, immo menti legis satis consentanea esse, cum sic ab omni negotiationis specie magis recedant. Observes tamen S. Congr. Concilii, 1906, voluisse ut pro non urgentibus titulorum commutationibus beneplacitum S. Sedis petatur. De quo responso, cfr. Periodica t. 2, p. 89 ss.

Ad 2. a) Id videtur concedi posse. Nec enim per se, nec per alios religiosi negotiantur ; sed extraneus negotiator fructum suae negotiationis ut quoddam donum ipsis tribuit.

b) Id *per se* est negandum. Ipsa enim iustitia postulat ut religiosi penes quos est titulorum dominium, liberam servent optionem concedendi vel negandi virtualem istam commutationem titulorum in summam feneraticiam. Optio ista his artibus facile amittitur. Post factum tamen, cum damnum desit, nullus erit restituendi locus.

IV. De discessu religiosi, nondum invento episcopo receptore

« Titius, religiosus sacerdos, impetratis dimissoriis litteris, conventui vale dixit antequam episcopum benevolum

receptorem invenisset. Ex decreto *Auctis admodum* suspensus est ab exercitio ordinum. Sed num, sic egrediendo, graviter peccavit, ita ut efficax peccati istius retractatio necessaria sit ut Titius possit ad sacramentorum usum (confessionem et communionem) admitti ? »

Resp. Quaenam sit natura istius sanctionis qua religiosus sacerdos e claustris egredi prohibetur nisi benevolo receptore invento, parum constat. Variae circumferuntur sententiae. Et quia sunt qui existiment mansionem in claustris non praecipi nisi ut condicionem ad excerdendos ordines necessariam, possumus, donec declaratio S. Sedis accesserit, Titium a peccato immunem putare eumque ad frequentanda sacramenta admittere.

V. De Noviciatus interruptione

« Scrupuli quibus occasionem dedit severa opinio dicentium votorum valorem dubium fieri si vel per unam noctem novicius, in priore saltem noviciatus anno, afuerit sine S. Sedis licentia, scrupuli, inquam, isti non videntur adhuc perfecte sedati.

« Immo crescere potuerunt ex quo gallici commentarii « L'Ami du Clergé » qui valde inter sacerdotes diffusi sunt, nuntiarunt se de dubio S. Sedem interrogasse, atque his verbis, in exteriore parte fasciculi 23 iul. 1908, obtentum responsum rettulerunt :

« *De renseignements pris à bonne source il résulte que « nous étions dans le vrai, en soutenant la thèse concernant « la continuité du noviciat, savoir : qu'il n'est pas au pouvoir « des Supérieurs, même majeurs, d'interrompre le noviciat « de leurs sujets, pour quelque cause que ce soit, et que si « l'interruption du noviciat a eu lieu par la seule volonté des « supérieurs, le noviciat ne peut plus être regardé comme « canonique, et par conséquent la profession est nulle, à « moins qu'on n'obtienne une sanation du Saint-Siège.*

« *Nous considérons comme un grave devoir d'en informer « ceux de nos lecteurs que la chose intéresse.* »

« Denique in italicis nostrae religionis monasteriis, sunt qui etiam putent sanandum esse noviciatum si Magister Noviciorum ultra diem a conventu afuerit, vel extra noviciorum contubernium pernoctaverit.

« Hinc **quaeritur** :

« I. Omissa iam doctrinali causae investigatione, de qua

in utroque volumine de Religiosis agitur, quamnam noviciorum absentiam Superior *tuto* permittere possit ?

« II. Quid sentiendum sit de Romana ista informatione quae per ephemeridem « L'Ami du Clergé » est vulgata ?

« III. Quid ipsius magistri absentia certo noviciatus valori officere possit. »

Quaesitis istis ita arbitramur **satisfacere** posse.

Ad I. In ipsis Periodicis nostris, t. 2, p. 8 sq. practicam istam considerationem omisisse non videmur. Nihilo minus, ut distinctius et enucleatius quid ad usum referat proferamus, distinguendos putamus *Ordines religiosos*, *Congregationes* quae ante recentiores Normas (1903) sunt approbatae, *Instituta* denique quae iure Normarum utuntur. Itaque :

1. *Ordines* religiosi suas consuetudines permittendi noviciis ut ob iustas causas a noviciatu aliquo tempore absint, tuto servare possunt. Quod si de ipsa consuetudine dubitetur, seclusis severioribus Ordinis, v. gr. Carmelitani, Constitutionibus, fas est Superioribus ut, ob iustam causam, novicios sinant per unam alteramve hebdomadam extra noviciatum degere.

Requisita enim noviciatus continuitas est pro *regularibus* aestimanda ex disciplina Tridentina, quam authentice interpretatur S. Congregatio Concilii. Haec autem non semel declaravit valere professionem noviciorum qui ultra tres hebdomadas afuerant cum Superiorum licentia. Consentiunt quotquot in iure canonico nomen sibi adepti sunt Doctores.

2. *Congregationes*, ante editas Normas approbatae, receptis suis usibus etiam stare possunt, ne dicamus S. Sedem silentio suo tolerasse ut substantialis ratio noviciatus in multis Institutis corrumperetur, vel optare ut opusculum Nervegna, quod minimi fit in ipsa Urbe, pro sollemni declaratione habeatur, et paucae quae ibidem afferuntur sanationes vel licentiae, sine plenariae Congregationis interventu concessae, iam authenticam legem irritantem suppleant. Ut tamen, in causa Institutorum quae iure Tridentino minus teguntur, licentiis istis, ceu severioris iurisprudentiae indiciis, congruam auctoritatem deferamus, suaserimus ut Superiores Congregationum ob graves tantum causas et vix ultra octo dies Noviciis abesse domo permittant. Hebdomada enim est omnium existimatione modicum intervallum de quo valeat illud : parum pro nihilo computatur.

3. Quae vero Congregationes recentibus *Normis* reguntur, severiorem sententiam tutius sequentur, donec e novo Codice

canonico claram definitionem omnes haurire possimus. Regulae enim istae scriptae sunt dum Congressus S. Congregationis Episcoporum et Regularium strictissimae opinioni favere videbatur, ita ut haec mente scriptas fuisse quispiam contendere possit.

Ad II. Ob triplicem causam, romana ista informatio ad aliquid persuadendum parum valere videtur.

a) In praesentibus adiunctis, ut a fidissimo teste accepimus, S. Sedes quaesitis huiusmodi responsa denegare solet, ne, — sic arbitramur, — futuri iuris sanctiones revelare videatur vel iisdem interea contradicere. Hinc iam, *a priori*, ut dicitur, modica interrogationis utilitas conici poterat.

b) Verba autem quibus informatio redditur intactam linquunt questionem. In confesso enim est noviciatum debere esse *continuum,* nec sola Superioris auctoritate interrumpi posse. Sed quaestio demum in hoc punctum recidit, utrum necne praesentia novicii per omnes et singulas anni *noctes* (namque nemo excursus diurnos prohibet) sacramentali rigore exigatur ; utrum necne noviciatus *interrumpatur*, quia per modicum dierum numerum novicius, sub oboedientia manens Superiorum, extra noviciatus domum sit versatus. Id negant classici doctores, id negant responsa S. Congregationis Concilii, quamvis simul doceant noviciatum interrumpi non posse ; nec de puncto isto quicquam habet Romana informatio.

c) Nulla cogendi vis inest in auctoritate quae suppresso nomine proprio affertur, praesertim cum, extra authentica S. Sedis acta, non sint, etiam in Urbe, nisi privatae sententiae. Atque in Urbe ipsa non deesse, inter peritissimos, qui severitatem istam prorsus repudient, id omnino testari possumus. Quare, nec ut Urbis opinio informatio ista allegari potest.

Ad III. Si iuridica ratione, non autem scrupulosa formidine quaestiones de valore vel nullitate solvere voluerimus, in legem inquirere debemus quae aliquid ut essentiale postulet. Iam vero legem novimus quae, pro pluribus saltem Institutis, valorem noviciatus cum speciali domus ubi peragitur approbatione conectit ; inaudita autem est lex quae continuam postulet magistri praesentiam. Et num eam mentem legislatori affinges, ut magister noviciorum humanis vicibus non possit esse obnoxius quin S. Sedis auctoritate noviciatus sit sanandus ? Quid enim si magister morbo afficiatur, quid si moriatur ? Nullus praterea est, in iure canonico, Superior,

qui nequeat ad tempus a Vicario suppleri. Qua ratione affingas Magistro noviciorum condicionem adeo singularem et a moribus canonicis tam alienam ? Nonne ceterum Magistro adesse solet in socio vicarius iam designatus ? Hoc deficiente, varii Ordinum usus indicabunt a quonam Vicarius sit designandus. Nec per se aliquid repugnat quin Superior localis, quippe qui ordinariam habeat etiam in novicios iurisdictionem, approbante magistro, cuipiam per aliquot dies has vices committat. Approbante, dicimus magistro (si is approbandi copiam habuerit), ut ratio habeatur mentis legis, quae vult ut secundum Magistri voluntatem novicii instituantur.

Atque haec satis esse poterunt ad proposita quaesita. Fas sit et istud addere, prudentem agendi rationem minime inesse in formidine quae noviciatus condiciones eo pensat rigore quem theologi morales sacramento baptismi reservare solent.

SUPPLEMENTUM TERTIUM DECIMUM [1]

RITUS SACRI RELIGIOSORUM AB EDITA AUTHENTICORUM DECRETORUM COLLECTIONE (1900)

Appendix ad n. XII [2]

De translatione officiorum quae quidem mobilibus diebus, dominicis nempe et feriis, sunt affixa, sed indicata reperiuntur in breviario aliquo aut Calendario *perpetuo a S. Sede approbato.*

De hac quaestione sermo fuit recens apud *Ephemerides Liturgicas* (1908 p. 271), per transennam quidem, sed eo modo qui solutioni a nobis supra (p. 147) datae adversetur. Quare, cum quaestio practica sit, de ea fusius agendum videtur.

Non contendimus officia huiusmodi quaecumque a S. Sede concessa et a dioecesi aliqua vel ordine religioso acceptata, ideoque praeceptiva apud recipientes facta, posse sive accidentaliter sive perpetuo transferri. Neque opinioni Cl. Victorii van Appeltern — si huiusmodi est, ut videtur, — calculum adicere volumus. Sed thesim nostram restringimus ad officia huiusmodi assignata in breviario aut Calendario perpetuo, quod a S. Sede Apostolica vel a S. R. C. ex delegatione pontificia approbatum fuerit. De iis — sed de iis tantum — opinamur ea ita esse praeceptiva ut sine peculiari indulto pontificio transferri possint ac debeant.

Asserti porro ratio desumitur tum ex tenore ipso decreti 3925 Dub. III ad 1, tum ex eius occasione, tum ex inanitate rationum quae contra nostram interpretationem afferuntur.

Et 1° quidem ex tenore decreti. — Secundum ipsum enim, sustineri potest officia particularia mobilia Dominicis aut feriis affixa, concessa universo ordini (Capuccinorum), quando sua die accidentaliter impediuntur, absque speciali indulto, transferri posse, servatis rubricis, quasi recensenda forent inter officia ex praecepto agenda, utpote verbis non facultativis sed praeceptivis concessa. Patet autem solutionem ad solos Capuccinos non restringi sed principia ipsa declarare.

Nam : A) Affirmatur, in citato responso, sustineri posse hanc opinionem *eo quod* huiusmodi officia recensenda sint inter officia ex praecepto agenda, *utpote verbis* non facultativis sed *praeceptivis* concessa. Quae ratio, utique, militat non pro Capuccinorum tantum officiis, sed pro cuiusvis ordinis vel dioecesis cuius Calendarium aut breviarium a S. Sede approbatur. Haec enim, sicut et illa, praeceptiva fieri possunt — et quidem praecepto a S. Sede directe imposito — ipsis verbis Brevis Apostolici quo breviarium aut Calendarium approbatur, immo praeceptiva fiunt ipsa relatione in Calendarium a S. Sede approbatum, seu inscriptione in ipso, ut statim patebit.

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. 3, p. 92, 118, 155 ; t. 4, p. 140.

[2] Patet iis quae hic propugnantur novo iure derogatum iam fuisse quod ad translationem accidentalem, de qua hic directe est quaestio.

B. Affirmatur nempe in responso ad posteriorem dubii partem idem dicendum esse « si agatur non de breviario sed de Calendario a S. Sede approbato. » Quorum verborum sensus obvius est officia transferri posse, utpote praeceptiva, modo Calendarium in quo indicantur, quodcumque illud sit, Capuccinorum aliorumve, a S. Sede approbatum fuerit.

2° Ex adiunctis decreti. — Qui enim casus solutionem expetebat, eum non restringebat ad officia Capuccinis concessa. Hoc patet, sin minus ex priore dubii parte, saltem ex posteriore. Haec enim — praeterquam quod generalibus omnino verbis proponitur, non vero iis quae Capuccinorum tantum Calendarium aut breviarium indicent — prorsus inutilis Capuccinis erat. Prior nempe pars ipsis abunde sufficiens erat qua liceret ipsis officia sua mobilia de quibus agitur transferre. Unde principii declarationem ab ipsis intentam fuisse praesumendum est... Quod ceterum et ipsi affirmant.

3° Quod ad rationes in contrarium allatas, nota : A. Posito asserto nostro, plura superessent festa vel dominicis vel feriis affixa quae, nisi aliunde privilegiarentur, translationis iure carerent, nempe :

a) ea quae alicui ordini vel dioecesi vel domui concessa fuerunt, cuius Calendarium aut Proprium numquam approbatum fuit ; b) immo ea quae alicui ordini vel dioecesi concessa fuerunt postquam eius Calendarium a S. Sede approbatum fuerat, necdum fuerint in aliquod eius Proprium inserta quod approbatum fuerit.

B. Falsum est Fratres Capulatos generali indulto frui talia officia transferendi. Nam :

a) Dato ipsis licere huiusmodi officia transferre quae sine clausula « ad libitum » *toti* ordini Franciscano, seu, tum Capuccinis, tum Conventualibus; tum FF. Minoribus sine addito, conceduntur, indultum non ita esset generale ut ad omnia officia de quibus in decreto se extenderet. Agebatur enim, in hoc, de officiis quae non toti Ordini Franciscano sed *solis Capuccinis* concessa fuerant.

b) Fratres Capulati indulto se frui negant, quo, teste Cl. A Carpo, FF. Minores sine addito fruuntur.

Hoc certe implicite negabat R. P. qui quaestionem proponebat. Hoc implicite negat et Cl. Victorius van Appeltern, quippe qui — quamvis thesim suam stabilire nitatur — ab huiusmodi argumentum nequaquam confugiat ad sui ordinis praxim comprobandam.

Notum ceterum est, Fratres Capulatos breviario romano stricte uti, eodemque valde absimili a breviario Franciscano. Fruunter quidem FF. Minores Franciscani indulto, eoque legitimo, *ex suis rubricis peculiaribus a S. Sede approbatis*. Apud Fratres autem Capulatos rubricae omnes indiscriminatim sunt romanae. Indultum de quo in casu nullum ipsis concessum est, nisi pro uno alterove festo particulari ex verbis concessionis indulti peculiaris.

c) Prodesse Cappuccinis indultum generale de quo Ephem. (anno 1908 ; p. 271) negare videtur implicite ipsa S. R. C. quippe quae argumentum approbat in priore dubii parte allatum, desumptum quidem, non ex generali decreto ab A. Carpo indicato, sed ex verbis Brevis 4 Dec. 1894 quo FF. Capulatorum breviarium approbatum fuerat.

XIII. De officio reponendo cum novum officium a S. Sede statuitur vel conceditur in die impedita alio officio, ac de mutationibus spectantibus ad officium festi particularis quod generale fiat

1. Ex decretis *Dioecesium Galliae* (12 apr. 1905), *Bellicen.* (12 apr. 1905), *Vivarien.* (12 maii 1905), festus B. Vianney dies recoli potest in Gallia ceterisque in locis Galliae subiectis, cum officio et missa propriis, in Bellicensi dioecesi quidem sub ritu duplici maiori, tum pro clero saeculari tum pro regularibus, alibi autem, sub ritu duplici minori ; item dum in Bellicen., ipsa die 4 augusti, quae est dies obitus Beati, celebrari valet, fixe translato in proximiorem diem liberam officio S^ti^ Dominici, transferendus est, iuxta decretum Generale n° 3811 ad II, in Vivariensi et alibi. in diem primam sequentem liberam. (Acta Pontificia 1905 p. 27, 105, 207.)

2. Ex decreto 8 ian. 1908, festum SS. Septem fundatorum Ordinis servorum B. M. V. in Calendario universali reponendum iam est a die undecima februarii in diem duodecimam tamquam propriam seu quasi nataliciam, atque in casu impedimenti pro aliquibus locis et institutis et ecclesiis servandum est decretum generale n° 3811. (IV, 164).

3. Debet, in Dioeces. Nicoteren. et Tropien., S. Jo. Damasceni officium recitari die 29^a^ mart., seu die prima apud ipsas libera post diem 27^am^ decreto 3734 assignatam, non vero die 13^a^ maii qua ibidem ante decretum 3734 recitabatur. (*In Tropien.* 3 aug. 1901. Cfr. Revue Theol. Franc. 1902. p. 14).

Annotationes

Ad 1. Ratio utriusque fixationis diei patet. In priore nempe casu, seu in casu Bellic., festa S^ti^ Dominici et B. Vianney sunt quidem eiusdem ritus; sed festum posterioris est natalicium, alterius vero quasi-natalicium ; in altero autem casu, festum Beati est ritu inferius. Iam vero secundum decretum 3811 ad II, ceteris quidem paribus, praeferendum est festum novum, quod est in die natalicia, veteri quod est in quasi-natalicia ; sed cum festum quod est in die quasi-natalicia est potioris ritus, hoc alteri praeferendum et alterum transferendum.

Ad 2. Impedimentum de quo in decreto, quodque supponitur die 12^a^ occurrens v. g. pro aliquibus institutis, aliud evidenter est atque ipsum Apparitionis festum istis institutis antehac concessum et hac die 12^a^ fixe iampridem repositum. Quid autem si hoc impedimentum occurreret, ut revera alicubi occurrit ?

Respondendum videtur Apparitionis festum esse, in casu, ab hac die 12ª amovendum et in diem 11am anteponendum.

Iuxta auctores enim, quando officium particulare extenditur, v. g. ad universam Ecclesiam, ii quibus in peculiari concessione dies diversa assignata fuerat, debent se conformare concessioni magis generali, ita ut tum quoad diem tum quoad officium, idem ab omnibus servetur (cf. De Herdt T. 2, nº 270, p. 362 et Stimart nº 159). Quam in sententiam afferri potest — praeter auctoritatem Gardellini in Decr. 2614 ad 6, et decretum in Tropien. de quo infra, — decr. generale 1730 de officio SSi Nominis B. M. V.

Officium istud, ut notum est, praeceptum est ab Innocentio Papa XI pro Dominica infra octavam Nativitatis eiisdem B. M. V. cum officio et Missa propriis sub ritu dm. Non deerant porro, concessionis tempore, loca ubi hoc festum die 17ª septembris iam dudum ex Indulto Apostolico celebrabatur cum officio et Missa propriis.

Unde quaestio, cui S. R. C. respondit :

a) Cessare debere in dictis locis tam officium quam Festum SSi Nominis Mariae iam ante a Sede Apostolica approbatum, ita ut idem Festum die 17ª septembris cum dicto officio et Missa propriis non amplius posset celebrari.

b) Indulgentias olim concessas pariter cessare pro illo die, et pro translatione supplicandum esse SSum.

c) Dictum officium et Missam de Nomine B. M. V. pro dictis locis aut ordinibus regularibus non posse amplius reimprimi ac illos posthac iisdem uti non posse.

Verum quidem est huic solutioni triplicem afferri a Cavalieri limitationem ; sed certo, nec prima nec secunda hic obtinet ; quod ad tertiam « si aliter ferat legitima consuetudo », viderint ii ad quos spectat.

Ad 3. De vi huius responsi vix diiudicari potest nisi prae oculis habeantur speciales casus circumstantiae. Notum est monito Secretariae S. R. C. 11 iulii 1891 permissum fuisse ut novum Sti Ioannis Damasceni festum — generaliter assignatum diei **27** martii decreto 19 aug. 1890 quo ad ecclesiam universam extendebatur — diei proxime insequenti vacuae assignaretur in iis Calendariis particularibus propriis in quibus aliud officium iam affixum diei 27 reperiretur, nullo quidem praemisso examine nonne forsan hoc novum officium ius haberet ad diem sibi a S. Sede assignatam prae festo prius in hac die celebrari solito.

Hac licentia usus fuisse videtur Calendarista dioecesium a quibus S. R. C. interrogatur. Eius porro assignatio — olim libere facta — iam obligare declaratur, cum respondeatur affirmative ad quaestionem « An debeat.... »

Nota hoc responso confirmari thesim sub numero praecedenti propositam, cum approbata videatur solutio qua officium festi particularis quod generale fiebat, a sua die antiqua in aliam — quamvis non eam praecise quae pro omnibus assignabatur — amotum fuerit.

H. Degrelle, S. I.

MONUMENTA

266. — S. RITUUM CONGR. (26 mart. 1897 et 15 maii 1903

RESCRIPTA DE TRANSLATIONE COMMEMORATIONIS ET DE USU MISSALES

Ordinis Cisterciensis

A. *Responsa 26 mari. 1897.*

Orator **Quaerit :**

R. D. Michaël Camos Capellanus Monialium Cisterciensium S. Mariae de Chatinis, Civitatis Gerundensis in Hispania, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum :

De transferenda commemoratione defunctorum ;

I. In Calendario perpetuo Cisterciensi anno 1871 approbato, dies XX novembris est vacua, in eaque recitatur officium de Feria, ac fit Commemoratio Parentum et Fratrum Defunctorum Ordinis Cisterciensis. Verum cum in Calendario approbato pro Monialibus S. Mariae de Chatinis praedicta die persolvatur Officium de Festo duarum Missarum seu duplici excludente Officium Defunctorum ; ideo enuntiata Commemoratio ad aliam diem liberam transferenda erit Quaeritur : Potestne eiusmodi Commemoratio fieri die 28 novembris quae in hoc altero Calendario est libera ?

De usu Missalis Cisterciensis.

II. Missae defunctorum, sive lectae sive cantatae, quae celebrantur a sacerdotibus non Cisterciensibns in supradicto monasterio poteruntne dici cum Missali Cisterciensi, prouti reapse fit, an debet dici cum Missali Romano a sacerdote saeculari etsi capellano Monasterii ?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto viri rerum liturgicarum periti, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I.

Ad I. Provisum in Rubricis Breviarii Cisterciensis, ita ut dicta Commemoratio fiat prima die libera post diem 20 novembris ; et in casu, cum adsint vacuae dies 24 et 27, ex gratia transferatur ad diem 28 eiusdem mensis.

Ad II.

Ad II. *Negative* ad primam partem. *Affirmative* ad secundam.

Dies (26 mart. 1897).

Atque ita rescripsit. Die 26 martii 1897.

Cai. Card. Aloisi-Masella, *S. R. C. Praef.*
Diomedes Panici, Arch. Laodic. Secr.

B. *Responsa 15 maii 1903,*

Oratrix,

Narcissa Ros, Abbatissa monasterii Cisterciensis S. Mariae de Chatinis, civitatis ac dioecesis Gerunden. in Hispania, Sacrorum Rituum Congrega-

Exposito usu Monasterii,

tioni sequentia exposuit, nimirum : In ecclesia huius monasterii ab immemoriali tempore Missae de Requie, sive conventuales, sive non, cum cantu monialium constanter cum missali Cisterciensi, in quo deest *Sequentia*, celebratae sunt a sacerdotibus, quamvis non Cisterciensibus. Idem Missale est in usu in benedictionibus Candelarum, Cinerum, Ramorum, novi Ignis, Incensi ac Cerei Paschalis, quae respectivis anni diebus ante missam conventualem, lectam vel cantatam, fiunt a sacerdote, etsi ad Clerum saecularem pertineat, monialibus id quod ad Chorum spectat canentibus. Missae autem de Requie non conventuales lectae, vel in rarissimis casibus a Clero saeculari cantatae, cum Missali Romano celebrantur. Rituale Cisterciense adhibetur non modo in vestitione Noviciarum ac professione Monialium et in pronuntiatione formulae excommunicationis in Dominica Palmarum, sed etiam in translatione cadaverum Monialium ad Chorum inferiorem et in earum exsequiis.

Unde quaeritur :

Quaerit :

De Missa de Requie.

I. Potest continuari in ecclesia monasterii S. Mariae de Chatinis praedicta consuetudo celebrandi cum Missali Cistercienci Missas de Requie, etsi non conventuales, cum cantu tamen monialium, quamvis celebrans ad Cisterciensem Ordinem non pertineat ?

De Missali et Rituali Cisterciensi.

II. Potest continuari in memorato monasterio usus Missalis ac Ritualis Cisterciensis a Sacerdotibus non Cisterciensibus in reliquis actibus supra enumeratis iuxta consuetudiuem in eodem monasterio vigentem ?

Responsa:

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitis suffragiis tum R^mi^ Procuratoris Generalis Ordinis Cisterciensis Com. Observ., tum Commissionis Liturgicae omnibusque perpensis, in casu rescribendum censuit :

Ad I.

Ad I. *Affirmative* quod ad Missas Conventuales iuxta Decretum n. 3378 Ordinis Cisterciensium Congregationis Trappistarum de Rancé, 25 septembris 1875 ad III et quod ad Missas non Conventuales item affirmative ex gratia.

Ad II.

Ad II. *Affirmative ex gratia.*

Dies (15 maii 1903).

Atque ita rescripsit atque indulsit die 15 maii 1903.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

D. Panici, Arch. Laodicen. Secret.

Annotationes

1. Rescriptum ante plures annos datum cum recentiore coniungendum fuit, ut ex severiore responso 1897 opportunitas intellegeretur impetrandae gratiae 1903.

2. Hinc etiam perspicitur decreto generali 9 iul. 1895 (n. 3862 *Decr. auth.*), quo Missae dicendae sunt secundum ecclesiarum calendarium, non permitti, secluso privilegio vel indulto particulari, usum Missalis non Romani sacerdotibus qui ritu romano sint astricti. Peculiares enim Ordinum ritus diserte excluduntur. Si tamen missa legatur vel canatur *conventualis*, proprium Ordinis missale a sacerdote extraneo adhiberi non tantum potest, sed etiam debet. Cfr. resp. 25 sept. 1874, ad III (n. 3378. *Decr. auth.*).

267. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

INDULTA 2 NOV. 1906 ET 1 DEC. 1907

De coronis Viae Crucis

A. *Indultum 2 nov. 1906, facultates largiens sacerdotibus missionum et zelatoribus S. Agoniae.*

Beatissimo Padre [1],

Orator. Giovanni Vincenzo Tasso, Assistente generale della Congregazione della Missione, Zelatore dell'Arciconfraternità della Santa Agonia di Gesù nell'Orto, stabilita nella Casa madre di Parigi e in molte Case de' Missionarii e delle Figlie della Carità, prostrato al bacio del Sacro Piede, supplica umilissimamente la Santità Vostra di estendere a tutti i preti della Missione e a tutti i Direttori e Zelatori della Santa Agonia la facoltà di benedire e indulgenziare la *Corona della Via Crucis, della Serva di Dio Luigia Borgiotti Confondatrice delle Suore Nazzarene,* facoltà già concessa dal S. Padre Pio IX al Card. De Angelis, e da Vostra Santità stessa al Card. Richelmye al Superiore della Missione di Torino nell'udienza privata accordata a Monsignor Parodi, Arcivescovo di Sassari, il 4 aprile 1904.

Petitio. Che della grazia, ecc.

Concessio. *Iuxta preces in Domino.*

Dies (2 nov. 1906). Die 2 novembris 1906.

PIUS PP. X.

B. *Indultum 1 dec. 1907, condiciones indulgentiae faciliores reddens.*

Orator. Augustinus Veneziani, Procurator generalis Congregationis Missionis,
Petitio ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, enixe orat concedi, ut christifideles, a Stationibus Viae Crucis visitandis, canonice erectis, impediti, si una simul cum altero congregati, qui Coronam Viae Crucis possideat, indulgentia a S. V. ditatam sub die 2 novembris 1906, recitent vigesies *Pater, Ave* et *Gloria,* omnes et singuli relativas indulgentias lucrari valeant, dictae Coronae annexas, etsi unus tantum eandem Coronam manu teneat.

---

[1] Id est latine : *Beatissime Pater*

Ionnes Vincentius Tasso, Assistens generalis Congregationis Missionis, Zelator Archiconfraternitatis Sanctae Agoniae Iesu in Horto, in domo matrici Parisiensi atque in multis domibus Missionariorum et Filiarum a Caritate institutae, ad SS. pedis osculum provolutus, S. V. humillime rogat ut omnibus sacerdotibus Missionis et omnibus Directoribus ac Zelatoribus Sanctae Agoniae extendere dignetur facultatem benedicendi et « indulgentiandi » *Coronam Viae Crucis Servae Dei Ludovicae Borgiotti Cofondatricis Sororum a Nazareth.* Haec facultas iam concessa fuit a Smo Patre Pio IX Cardinali De Angelis et etiam a Sanctitate Vestra Cardinali Richelmy et Superiori Missionis Taurinensis in audientia privata, Revmo et Illmo Dmo Parodi, Archiepiscopo Turritan. concessa, die 4 aprilis 1904.

Et Deus. etc.

Ex audientia SSmi, die 1 decembris 1907

Gratia.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (1 dec. 1907).

Datum Romae, e Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 1 dec. 1907.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

D. Panici, Arch. Laodicen. Secret.

N. B. Suppressae sunt istae indulgentiae decr. 24 iul. 1912. Cfr. t. VI, n. **608** p. 269 ss.

---

268. — S. D. N. Pii PP. X

LITTERAE 3 DEC. 1907

Ad Primatem O. S. B. de nova editione Vulgatae

Operis commissi curis Benedictinis effert difficultatem et amplitudinem, simulque spem conceptam de O. S. B.

Delatum sodalibus Benedictinis munus pervestigationum studiorumque apparandorum, quibus nova innitatur editio conversionis latinae Scripturarum, quae Vulgatae nomen invenit, adeo equidem arbitramur nobile, ut gratulari vehementer non tibi modo, sed sodalibus universis tuis, iis maxime, qui adiutores clari operis erunt, debeamus. Operosum et arduum habetis propositum facinus, in quo sollerter, memoria patrum, celebres eruditione viri, ipsoque e Pontificum numero aliquot, felici haud plane conatu, elaborarunt. Adiungentibus vobis rei illustri animum, non est dubitationi locus, finem vos concrediti muneris fore assecuturos, qui finis restitutione continetur primiformis textus Hieronymianae Bibliorum conversionis, consequentium saeculorum vitio non paulum depravati. Explorata, qua Benedicti sodales pollent, paleographiae historicarumque disciplinarum scientia, eorumque compertissima in pervestigando constantia, certo securoque animo doctos esse iubent perfecta vos investigatione antiquos codices universos latinae Scripturarum interpretationis, quotquot asservari in Europae bibliothecis ad haec tempora constat, esse examinaturos; idque praeterea habituros curae, codices ubique conquirere in lucemque profere, qui usque adhuc incomperti lateant. Has vero conquisitiones valde exoptandum ut, quo minore fieri negotio possit, persequi cuique vestrum fas sit; ideoque praefectis tabulariorum bibliothecarumque studia vestra impense commendamus, nihil ambigentes quin, pro sua in doctrinas librosque sacros voluntate, omnem vobis gratiam impertiant. — Singularis praestantia rei, et concepta de vobis ab Ecclesia expectatio; ingenium item horum temporum, quibus illud certe dandum est laudi, pervestigationes istiusmodi ita perficere ut nulla ex parte reprehendendae videantur: talia haec profecto sunt ut aperte inde appareat, oportere id opus ad absolutionem plane ac perfectionem afferri, ductuque confici normarum, quae plurimi apud disciplinas id genus aestimentur. Equidem intellegimus longo vobis opus esse temporis spatio, ut munus exitu fausto concludatis: talis namque agitur res, quam animis aggredi et perficere necesse est curarum et festinationis expertibus. Neque vero perspicuum minus Nobis est, quam multa pecuniae vi tam amplo exsequendo consilio

Quare Benedictinos commendat praefectis tabulariorum et bibliothecarum;

Hortatur ut festinent lente;

Exoptat subsidia pecuniarum.

sit opus : ob eamque rem spem libet amplecti non defuturos immortali operi qui de suis fortunis adiutores velint se dare, bene de Sacris Litteris ac de christiana Religione merituri. Eos Nos, perinde atque vos, initio egregii facinoris, hortatione prosequimur, velint Nobiscum adiumentum operi afferre ; quandoquidem qui bona impendunt studia, liberalibus debent manibus fulciri. Auspicem luminum gratiarumque caelestium, indicemque praecipuae dilectionis Nostrae Apostolicam benedictionem tibi iisque universis ac singulis qui studium opemve praestantissimo facinori contulerint, peramanter in Domino impertimus.

Benedictio Pontificia.

Datum Romae apud S. Petrum, die III decembris anno MCMVII, Pontificatus Nostri quinto.

Dies (5 dec. 1907)

PIUS PP. X.

---

269. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQUIAR.

INDULTUM EX AUD. SSi 22 IAN. 1908

Quo commendatur et fovetur sacerdotalis associatio reparationis

Orator,

Maria Eduardus Mott, presbyter e congregatione Missionis, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit :

Explicata Associatione sacerdotali reparationis,

In pluribus dioecesibus erecta reperitur pia quaedam sodalitas, cui titulus *Associatio sacerdotalis reparationis*, eiusque finis et statuta ea sunt quae sequuntur :

Art. 1. Associatio sacerdotalis reparationis ut finem intendit : 1° Christo Domino dignam reparationem offerre illis pro peccatis, quae amantissimum cor eius crudelius offendunt ; 2° conversionem eorum qui tanti nefas se reos efficiunt ; 3° illorum, qui in boni perseverant, maxime sacerdotum, sanctificationem magis ac magis in dies crescentem.

Art. 2. Talis associatio, essentialiter sacerdotalis, sacerdotibus praesertim constat. Attamen directoribus dioecesanis facultas facta est alias etiam personas aliquando et per modum exceptionis admittendi, dummodo aliquo voto Deo iam fuerint addictae.

Art. 3. Reparationem quam intendere debent, triplici modo sodales perficere possunt : 1° affective, compatiendo scilicet toto animi affectu dolori Cordis Iesu, cuius horrenda talia sunt causa, eique consolationem praebere nitendo ; 2° effective, id est effectivum Christo amorem impertiendo, ac proinde eo fidelius ei serviendo, quo gravius alii ab eo recedunt ; 3° afflictive, seu afflictionem corporis aut spiritus libenter sustinendo, vel sibi voluntarie imponendo, ut pro tot ac tantis improbis gaudiis conveniens fiat compensatio.

Art. 4. Virtutes, quibus spiritus peculiaris huius societatis specialiter constat, sunt : 1° magna cordis mundities ; 2° profunda humilitas ; 3° amor Christi tener, fortis et invictus.

Art. 5. Associatio a directoribus dioecesanis, qui a respectivis Ordinariis nominantur in singulis dioecesibus, regitur iuxta spiritum, leges et consuetudines ei propria, sub auctoritate tamen unius directoris generalis.

Art. 6. Associationis patronus caelestis est S. Michael Archangelus. Eius festa primaria sunt : Cordis Iesu Sacratissimi et S, Michaelis Arch., secundaria vero, ea quae Passionem B. Mariae Virg. spectant, nec non festum Sancti Vincentii a Paulo.

Art. 7. Devotiones huic sodalitati speciales eae sunt, quae pertinent ad Christi Passionem, ad Sanctissimam Eucharistiam, ad cor Iesu Sacratissimum et ad Mariam sine labe orginali conceptam.

Art. 8. Sodalibus obligatio nulla exterior imponitur. Singuli tamen nituntur in eadem reparationis mente uniri, pias associationis observando consuetudines, speciatim recitando cotidie Psalmum *Miserere*.

Art. 9. Omnes et singuli sodales, quamvis semper et ubique reparationi addicti, diem tamen unum in unaquaque hebdomade eligunt, quo illi specialiter vacant. Tali die intentio saltem secundaria missae quam celebrant aut celebrandam procurant, ad reparationem dirigitur.

Petit indulgentias.

Quo vero sodales ad finem huiusmodi piae associationis assequendum magis excitentur, humilis orator enixe petit a S. V. ut illis sequentes indulgentias concedere dignetur. *Plenariam :* 1° die quo associationi nomen dederint ; 2° Feria V, in Cena Domini : 3° in sollemnitate Corporis Christi, vel una die infra octavam ; 4° in festo SS^mi Cordis Iesu ; 5° in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis ; 6° in singulis festis quibus Passio D. N. I. C. recolitur, a feria III post Dominicam Septuagesimae ad feriam VI post Dominicam IV Quadragesimae, inclusive ; 7° in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. 8° in utroque festo Septem Dolorum eiusdem B. V. ; 9° in festo S. Michaelis Archangeli ; 10° in festo S. Vincentii a Paulo conf. ; 11° in mense, die cuiusque sodalis arbitrio eligendo, dummodo praefatis diebus sodales sacramentali confessione expiati, missae sacrificium fecerint, vel saltem ad S. Synaxim accesserint, et ad mentem S. V. pias preces ad Deum fuderint ; 12° in mortis articulo, si, uti supra dispositi vel saltem contriti, SS^mum Iesu nomen ore si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint. *Partialem :* 1° septem annorum totidemque quadragenarum : *a*) quotiens, corde saltem contriti ac devote, sodales aliquem paenitentiae actum iuxta finem associationis exercuerint ; *b*) semel in hebdomada, die quem ad reparationis exercitium, iuxta Associationis statuta, specialiter elegerint, dummodo ad mentem S. V. oraverint ; 2° trecentorum dierum, quotiens corde iterum contriti sodales quinque Crucifixi Domini vulnera devote osculati fuerint, pias reparationis intentiones renovantes ; 3° centum dierum pro uno quoque bono opere pietatis vel caritatis. Implorat tandem humilis orator, ut S. V. omnes et singulas praefatas indulgentias, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus etiam in Purgatorio degentibus applicabiles esse declaret. Et Deus, etc.

In audientia 22 ian. 1908 conceduntur. Mandat Pontifex ut Super. gen. Congr. Missionis Directorem generalem designet.

SS^mus D^nus Noster Pius PP. X, in audientia 22 ianuarii 1908 ab infrascripto Card. Praefecto S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae habita, benigne annuit pro gratia iuxta preces ; ut autem consulatur unitati non minus quam perennitati praedictae associationis, idem SS^mus, cui maxime cordi est eiusdem per orbem diffusio, mandavit ut Director generalis, a Superiore generali Congregationis Missionis pro tempore exsistenti designetur, sive extra sive intra eius religiosam familiam. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (22 ian. 1908)

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 22 ianuarii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*
Pro R. P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodic. Secr.

---

270. — S. RITUUM CONGR. (14 mart. 1908)

RESPONSUM DE PRAEFERENTIA IN FESTORUM TRANSLATIONE

Fratrum Minorum Conventualium

Orator **Quaerit**

R^mus P. Marianus Sabaleurki, procurator Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humiliter expostulavit; videlicet: Utrum ordo praeferentiae inter festa eodem die occurrentia, in Rubricis generalibus Breviarii Romani tit. X, n. 6 statutus, integre servandus sit etiam in translatione Officiorum sive accidentali sive perpetua, prout ibidem Rubricae n. 7 innuere videntur ?

De translatione festorum.

Responsum.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit: *Consule probatos auctores.*

Dies (14 mart. 1908).

Atque ita rescripsit, die 14 martii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicien. Secret.

---

271. — S. RITUUM CONGR. (28 mart. 1908)

RESPONSUM DE CANTU PRO DEFUNCTIS POST MISSAM PRIVATAM

Dubium.

Postulato Sacrorum Rituum Congregationi exhibito: « An liceat sacerdoti canere post Missam privatam Responsorium *Libera me Domine*, aut quid simile, pro defuntis, praesente vel absente cadavere » ? Sacra eadem

Responsum.

Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, ita respondendum censuit: « Si agatur de Missa lecta defunctorum e Rubricis et decretis permissa, Absolutio in cantu immediate post eam non prohibetur; sin vero de Missa diei currentis aut votiva, servetur decretum n. 3780, *Romana-Resolutionis dubiorum*, 12 iulii 1892 ad VIII ».

Dies (28 mart. 1908).

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 28 martii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.

ANNOTATIO

Decreto 12 iul. 1892, ad quod reicimur, absolutio pro defunctis fieri vel responsorium super sepulturam cantari non possunt post missam de die, nisi omnino independenter ab ea. Independenter a missa permittuntur cotidie, exceptis duplicibus primae classis, in quibus nec privatim habere locum possunt post absolutas vespere horas canonicas.

Itaque responso recentiore separatio a missa quae non sit *de Requie* ad omnem *cantum* pro defunctis traduci videtur.

Quod de cantu dicitur, ne ilico transferas in simplicem recitationem.

---

272. — S. RITUUM CONGR. (II mart. et 8 april. 1908)

VARIATIONES IN MARTYROLOGIO ET BREVIARIO

A. *Decretum 11 mart. 1908, de martyrologio*

Die 11 februarii

Lapurdi in Gallia, apparitio Beatae Mariae Virginis Immaculatae. *Fest. Lapurdense.*

Die 12 februarii

In Etruria, apud montem Senarium, Sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, qui post asperrimum vitae genus, meritis et prodigiis clari, pretiosam in Domino mortem obierunt. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spiritus sociavit et indivisa post obitum populi veneratio prosecuta est, Leo decimus tertius una pariter Sanctorum fastis accensuit. *Fest. VIII Fundatorum.*

URBIS et ORBIS

Suprascriptas variationes atque additiones Martyrologio Romano inserendas, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, benigne approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus. *Approbatio pontificia.*

Die 11 martii 1908. *Dies (11 mart 1908).*

S. Card. CRETONI, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

B. *Decretum 8 april. 1908, de Breviario*

Sacra Rituum Congregatio statuit haec varianda et addenda in Proprio Sanctorum Breviarii Romani, diebus 11 et 12 februarii, iuxta Decretum *Urbis et Orbis*, 13 Nov. 1907. *Mutationis occasio.*

Die 11 februarii

Apparitionis B. M. V. Immaculatae. — Duplex maius

Ponatur Officium uti eadem die in Appendice pro aliquibus locis huc usque, addendo ad calcem VI. lectionis « *Tandem Pius Decimus, Pontifex Maximus, pro sua erga Deiparam pietate, ac plurimorum votis annuens Sacrorum Antistitum, idem festum ad Ecclesiam universam extendit* » iuxta Decretum diei 13 novembris, 1907. *Mutatio de festo B. M. V. Imm.*

Et in II Vesperis post Ant. ad Magnif. *Hodie gloriosa... gaudio exsultant (Alleluia)* addatur : Et fit comm. sequ., et Feriae in Quadrag.

Die 12 februarii.

Ss. Septem Fundatorum Ord. Servor. B. M. V., Conff. — Dupl.

Mutatio de VII Fundatoribus.

Omnia de Communi Conf. non Pont., praeter seqq.

In I. Vesperis. Quotiens hae dicendae sint, sumantur Antiphonae et Capit. de Laudibus : Hymnus vero e II. Vesp.

℣. *Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.*

℟. *Semen eorum et gloria eorum non derelinquetur.*

Oratio *Domine Iesu Christe, qui ad recolendam memoriam...*

Ad Matutinum. Invitatorium. *Regem Confessorum...* Ps. *Venite exsultemus.*

Hymnus. *Bella dum late furerent, et urbes...* (qui modo habetur ad Vesp.) per extensum.

In I. Noct. lect. de Scriptura occurrente.

In Quadrag. *Laudemus viros gloriosos.* de Communi Conf. Pont. 2° loco.

In II. Nocturno, etc.

In III. Noct. Homilia S. Hieronymi in Evang. *Ecce nos reliquimus omnia,* de Communi Abbatum. In Quadrag. IX. Lectio de Homilia Feriae.

Ad Laudes. Capitulum. I. Petr. 4. *Carissimi Communicantes...*

Hymnus. *Sic patres vitam...* per extensum (qui modo habetur ad Matutinum.)

℣. *Sit memoria illorum in benedictione.*

℟. *Et ossa eorum pullulent de loco suo.*

Ad Benedictus. Ant. *Ecce quam bonum, et quam iucundum habitare fratres in unum.*

Oratio. *Domine Iesu Christe...*

Et fit comm. Feriae in Quadrag.

In II. Vesperis. Omnia ut in primis praeter sequ.

Hymnus, *Matris sub almae numine...* per extensum (qui modo habetur ad Laudes).

℣. *Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.*

℟. *Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.*

Ad Magnificat. Ant. *Nomen eorum permanet in aeternum, permanens ad filios eorum, sanctorum virorum gloria.*

Et fit comm. Feriae in Quadrag.

Approbatio pontificia.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X suprascriptas variationes ac notas rubricales, ab infrascripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas, approbavit, ac Proprio Sanctorum Breviarii Romani inseri iussit. Die 8 aprilis 1908.

Dies (8 april. 1908).

S. Card. Cretoni, *Praefectus*

D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

273. — S. CONG. INDULG. ET SS. RELIQUIAR.

DECRETUM EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, 8 APRILIS 1908

Concedens Episcopis facultatem statuendi tempus triduanae supplicationis pro frequentiore communione

Memoratis litteris anni superioris,

Anno superiore, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, litteris datis sub die 10 aprilis, catholici Orbis Sacrorum Antistites vehementer hortabatur, ut quotannis, quoad fieri posset, in singulis cathedralibus ecclesiis et etiam in curialibus templis, infra Octavam sollemnitatis Corporis Christi, vel alio anni tempore, prout R^mi Episcopi iudicaverint, supplicationes in triduum instaurarentur, quibus christianus populus ad frequentiorem, immo cotidianam Eucharistiae sumptionem excitarentur. Cum vero in his litteris, iuxta methodum inibi prescriptam, iniunctum sit, ut supplicationes huiusmodi initium sumant a feria sexta et desinant die Dominica, et e contra, ob singularia quaedam adiuncta, in pluribus locis christifidelibus commodius evaderet, aliis diebus hisce supplicationibus interesse eisque annexas indulgentias lucrari, postulatum est ab hac S. Congregatione, ut eaedem supplicationes, loco dierum in memoratis litteris statutorum, aliis infra hebdomadam diebus, iudicio R^morum Episcoporum designandis, peragi queant. Porro has preces in audientia habita die 8 aprilis 1908 ab E^mo Cardinali praefecto relatas, SS^mus Dominus Noster Pius PP. X clementer excipiens, petitam gratiam benigne concessit, ceteris tamen servatis, praesertim quod ad indulgentiarum acquisitionem, quae in litteris huius Sacrae Congregationis praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Conceditur *facultas.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 8 aprilis 1908.

Dies (8 april. 1908).

S. Card. CRETONI, *Praef.*

D. Panici, Archiep. Laodicen. Secr.

---

274. — SS. RITUUM CONGR. (7 aug. 1907 et 8 apr. 1908)

DECRETA DE EDITIONE TYPICA GRADUALIS

A. *Decretum 7 aug. 1907.*

Nova Gradualis editio definitur authentica.

Hanc Vaticanam Gradualis Sacrosanctae Ecclesiae Romanae editionem Sacra Rituum Congregatio, attentis atque confirmatis Decretis suis datis diebus XI et XIV augusti anni 1905, uti authenticam ac typicam declarat et decernit ; quippe quae pro Missis de Tempore et de Sanctis, necnon et pro Missarum Ordinario, Cantum Gregorianum exhibet, prout is fuit a SS. D. N. Pio Papa X feliciter restitutus, ipsiusque iussu et auctoritate diligenter ac rite revisus et recognitus. Ea quidem fuit totius operis norma quam varia plane instituerant et iniunxerant documenta Pontificia, et perspicue rursus ac plenius exponit et inculcat Commentarium de ratione editionis Vaticanae Cantus Romani, quod Graduali praemittitur.

Quatenus tolerentur ceterae editiones.

Haec autem Editio, ut in usum apud omnes ecclesias hic et nunc deveniat, ita sancitum est, ut ceterae quaelibet Cantus Romani editiones ad tempus tantummodo iuxta Decreta praedicta toleratae, nullo iam, in futuro, iure gaudeant quo typicae substitui possint.

Observatio de restitutis quibusdam lectionibus.

Quo vero forma Cantus aptius posset restitui, restitutae sunt etiam non nullae hic illic quod ad verba lectiones, quamvis ab hodierno textu Missalis alienae. Quarum restitutio, cum ab ipso Summo Pontifice, in audientia die XIV martii anni 1906 Emo Cardinali Pro-Praefecto huius Sacrae Congregationis indulta, expresse fuerit approbata atque praescripta, in futuris Grudualis editionibus omnino erit observanda.

Editionis proprietas. Eius imitatio quibusnam et quo modo sit permissa.

Iuxta tenorem quoque utriusque Decreti suprascripti, ad eos tantum editores seu typographos quibus id a Sede Apostolica conceditur, pertinet privilegium evulgandi eundem cantum, qui, cum sit vetus Ecclesiae Romanae patrimonium, eiusdem prorsus exstat proprietas. Cautum est insuper, ne quid quovis praetextu editores praesumant addere, demere aut mutare, quod ipsius Cantus integritati atque uniformitati discrimen inferat. Qualiscumque igitur editio Cantus gregoriani ad usum liturgicum destinata, ut sit legitima, ut ab Ordinario queat permitti, debet esse typicae huic omnino conformis, quod ad ea praesertim quibus, sive in praefatis Decretis, sive in alio diei XIX februarii anni 1906, specialiter provisum est.

Quaenam editiones approbari possint.

Clausulae, Dies (7 aug. 1907).

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die VII aug., 1907.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.

B. *Decretum 8 apr. 1908.*

Commemoratis actis superioribus,

Postquam Sanctissimus Dus Noster Pius Papa X *Motu Proprio* diei 22 novembris 1903 sacram musicen reformari mandavit, ut coeptum opus, qua par est ratione, absolveretur, decrevit *Motu Proprio* diei 25 aprilis 1904 ut *typica* editio librorum cantum Gregorianum continentium in vulgus prodiret typis Vaticanis : qua editione antiquo usu recepti Ecclesiae concentus pristinae integritati ac puritati redderentur, in eum potissimum finem ut Romanae Ecclesiae ceterisque Romani ritus Ecclesiis ad communem liturgicorum concentum probatum textum suppeditaret.

Perfecta nuntiatur editio Gradualis.

Quare, iuxta hanc Summi Pontificis voluntatem, typica editio *Gradualis Romani*, numeris omnibus feliciter absoluta, modo in lucem prodit.

Hinc inculcantur Ordinariis mandata iam data,

Quoniam vero ad Rmos locorum Ordinarios pertinet eiusmodi Gradualis usum ac diffusionem promovere ac regere apud Clerum et Populum sibi commissos ; Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri, animadvertendas proponit iisdem Rmis Ordinariis normas et mandata praecipua circa huiusce typicae editionis introductionem, eiusque novas typographicas impressiones, quae fiant ab editoribus, facultate impetrata ab Apostolica Sede, scilicet Decreta huius S. Congregationis d. d. 11 et 14 augusti 1905 [1], 14 februarii 1906 [2] et 7 augusti 1907 [3].

---

[1] Cfr. PERIODICA, n. 88, (t. 2, p. 38).
[2] Cfr. PERIODICA, n. 115 (t. 2, p. 73).
[3] Cfr. hic superius, A.

Porro, e primo eiusmodi documentorum colligitur : 1° Vaticanam editionem Gradualis, vel quamlibet aliam quae legitime statisque sub condicionibus eandem typicam referat, substitui debere editionibus quae modo adhibeantur itemque 2° ad Rmos Ordinarios pertinere munus efficiendi ut suae cuiusque dioecesis Propria sic restaurentur, ut conformia reddantur Gregorianis concentibus typicae Vaticanae Editionis. *Et corollaria eruuntur.*

Per novissimum decretum hic et nunc ita praescribitur usus huius Gradualis, ut quibuslibet editionibus (minime excepta, quae *Medicea* vocatur) hucusque adhibitis, quam primum substituenda sit editio Vaticana, vel eius legitime peracta nova impressio ; ideoque ceterae Gradualis editiones a typica discrepantes, rursus imprimi nequeunt multoque minus a Rmis Ordinariis approbari. Quae vero, antequam integra typica Gradualis editio prodiret, benignae datae fuerint concessiones, nullimode prorsus contra memoratas universales praescriptiones debent praevalere. *Quomodo usus novi Gradualis praescribatur.*

Denique ad cantus traditionalis instaurationem facilius obsequendam, praeterquam quod iuverit (adiuvante *Commissione* uti vocant dioecesana) animos adicere eorum quotquot Summi Pontificis menti ac beneplacito libenter cupiant respondere, nil, procul dubio, magis efficax erit, quam si vigilantissime intendant Rmi Ordinarii, ut exsecutio sacrorum concentuum in Cathedralibus et potioribus Ecclesiis adeo fiat plena ac perfecta, ut forma et exemplar ceteris habeatur. *Commendatur perfecta exsecutio concentuum in potioribus ecclesiis ;*

Oportet insuper, ut qui ad *Cantoris* officium eliguntur, congruis dotibus re vera sint praediti et superato idoneitatis periculo probati, quod multo magis dici debet de chori Magistro seu de *Praefecto musicae*, uti aiunt, qui necessaria polleat auctoritate ad suum implendum officium iuxta Summi Pontifiis praecepta de musica sacra et cantu Gregoriano instaurandis. *Et prudens delectus Cantoris et Praefecti musicae.*

Voluit autem Sanctitas Sua praesens Decretum a Sacra Rituum Congregatione expediri, et Rmis Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis notum fieri ; contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 8 aprilis, 1908. *Iussio Pontificia.* *Dies (8 april. 1908).*

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

---

275. — S. RITUUM CONGR. (13 maii 1908)

EX AUCTORITATE SSmi ELEVANS FESTUM VII DOLORUM

Urbis et Orbis

Dolores Virginis Deiparae etsi duplici festo in universa Ecclesia per annum recolantur, videlicet Feria sexta post Dominicam Passionis ac Dominica tertia septembris : utrumque tamen festum mobile Beatae Mariae Virginis, utpote secundarium, sub ritu duplici tantummodo maiori celebratur. Quo vero eiusdem Virginis Perdolentis cultus augeatur, et fidelium pietas gratique animi sensus magis magisque foveantur erga misericordem humani generis Coredemptricem ; Rmus Pater Prior generalis Ordinis Servorum B. M. V., qui potissimum ipsam Matrem Doloro- *Proposita petendi causa,*

Orator, opportunitatem addens iubilaei pontificii.

sam veluti suam Conditricem et praecipuam Patronam venerantur, occasionem nactus qua proxime affuturo septembri (mense Virginis Doloribus recolendis sacro) quinquagesimus annus ab inito sacerdotio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X feliciter completur, supplicibus votis totius Regularis Familiae eundem Sanctissimum Dominum Nostrum rogavit, ut etiam ad perennem rei memoriam, festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicae tertiae septembris affixum, ad ritum duplicem saltem secundae classis pro universa Ecclesia elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, eiusmodi preces peramanter excipiens, festum Septem Dolorum B. M. V., quod enuntiatae Dominicae assignatum fuit, in posterum sub ritu duplici secundae classis ubique recolendum decrevit : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 maii, 1908,

Petit *ut fest. VII Dolor. mense septembri fiat ritus 2ae classis, ubique.*

Conceditur

Dies (13 maii 1908)

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secr.

---

276. — SACRAE PAENITENTIARIAE

RESPONSA 5 AUG. 1907, ET 20 MAII 1908

Civiles usurpationes in Gallia. Censurae et poenae

A. *Responsa 5 aug. 1907. Censurae propter usurpata bona.*

Orator recitatis opinionibus de censura Tridentina,

Ordinarius Lucionensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentes difficultates humillime proponit :

1° Locatarios qui, conductione inita cum administratore civili vel cum alio iniusto detentore, bona ecclesiastica usurpata occupant atque fructus ex eis percipiunt excommunicationem incurrere a Conc. Trident. latam (Sess. xxiii, cap. xi, de Reform.) plerique auctores docent, quidam tamen negant.

responso S. Paenit. 1863.

2° Exsecutores, qui per applicationem legis civilis, ecclesiastica bona occupant et vendunt, eadem feriri censura declaravit S. Paenitentiaria 13 nov. 1863 dicens : « Attentis occupationibus... quibus regius oeconomatus operam suam praestare tenetur, quaeque absque ecclesiasticarum censurarum incursu fieri nequeunt... » Sed eadem S. Congreg. respondit 17 sept. 1906 excommunicationem non incurrere eum qui libere *accepit* munus alicuius communitatis religiosae bona secundum novam gallicam legem expediendi, cum tamen talis liquidatoris munus sit spolium exsequendi atque bona occupandi et vendendi nomine gubernii, immo et in proprios usus, salarii colore, partim convertendi.

ac benigna sententia de fructuum emptoribus,

3° Emptores fructuum, qui sibi acquirunt, etiam in quantitate notabili, fructus naturales ex bonis ecclesiasticis usurpatis provenientes minime incurrere praedictam censuram plures dicunt.

Quaerit.

Ut tuto dirigantur conscientiae tum fidelium, tum pastorum in hisce difficultatibus versatae, praedictus Ordinarius enixe postulat sequentium dubiorum solutionem :

De locatariis.

I. Utrum locatarii, qui, conductione inita cum administratore civili aut cum alio illegitimo detentore, bona ecclesiastica occupant, excommunicationem a Conc. Trid. latam incurrant, vel tantum peccent contra iustitiam et teneantur ad restitutionem ?

II. Utrum, non obstante mente S. Paenit. 13 nov. 1863, exsecutores seu liquidatores, qui usurpationem consummando bona ecclesiastica aut religiosa occupant et vendunt atque ex iis quaestum absumunt, ab excommunicatione immunes sint ? *De exsecutoribus seu liquidatoribus,*

III. Utrum emptores fructuum naturalium ex bonis ecclesiasticis usurpatis provenientium, si tamen hos fructus percipiant in notabili quantitate, eandem censuram incurrant vel saltem ad restitutionem teneantur ? *De fructuum emptoribus.*

S. Paenitentiaria, mature consideratis expositis, circa praemissa respondet : **Responsa.**

Ad 1um. *Locatarios excommunicationem incurrere, et ad restitutionem iuxta normas a theologis traditas, teneri ;* *Ad 1.*

Ad 2um. *Liquidatores, quatenus nomine gubernii bona usurpata administrant, eorumque venditionem procurant, non incurrere censuram ; si vero partem bonorum immobilium sibi retineant, eam incurrere ;* *Ad 2.*

Ad 3um. *Emptores fructuum naturalium qui publicae venditioni exponuntur absolvi posse, imposita eisdem aliqua eleemosyna in favorem Congregationum ad quas bona pertinent, quatenus emerint pretio quod inferius sit iusto.* *Ad 3.*

Datum Romae in S. Paenitentaria die 5 augusti 1907. *Dies (5 aug. 1907)*

A. Carcani, S. P. Reg.
A. Cherubini, S. P. Subst.

B. *Responsa 20 maii 1608. Censurae et poenae propter latam legem separationis.*

Vicarius Generalis doecesis N..... implorat solutionem sequentium dubiorum : *Orator* **Dubia**

I. An Deputati et Senatores Galliae qui votis suis legem Separationis, ut aiunt, constituerunt, subiaceant, ipso facto, excommunicationi latae sententiae ? *De censura latae vel ferendae sententiae.*

II. Quatenus affirmative, an Ordinarius debeat contra illos declaratoriam excommunicationis sententiam ferre ut ecclesiastica sepultura priventur ?

III. Quatenus negative, an iidem subiaceant excommunicationi tantum ferendae sententiae ?

IV. Si iidem Deputati et Senatores excommunicati non sunt, an habendi sunt ut peccatores publici, ita ut sint omni ecclesiastica sepultura privati ? *De sepultura ecclesiastica.*

V. Quatenus negative, an expedit praedictos, si decedant, iisdem religiosis honoribus tumulari quibus ceteri fidelium et utrum conveniat observare practicam hanc normam : ut iisdem Deputatis et Senatoribus defunctis concedatur tantum missa lecta cum simplici absolutione cadaveris ?

Et Deus...

Sacra Paenitentiaria, mature consideratis expositis,, respondet : **Responsa.**

Ad I. Affirmative. *Ad I.*

Ad II. Ad id Episcopum minime teneri, nec generatim consulendum, nisi specialis ratio aliud prorsus exigat. *Ad II.*

Ad III. Provisum in primo. *Ad III.*

Ad IV. Si notorie constet huiusmodi homines in peccato suo decedere, indigni sunt ecclesiastica sepultura. *Ad IV.*

Ad V. Si paenitentes defuncti sint, non sunt privandi consuetis honoribus ; si res dubia sit, *affirmative* ad secundam partem. *Ad V.*

Datum Romae ex S. Paenitentiaria die 20 maii 1908. *Dies (20 maii 1908).*

Giorgi, *S. P. Regens.*

ANNOTATIONES

1. Priora responsa ista, quae ab ephem. NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE mutuamur, conferri debent cum aliis responsis quae de simili argumento exscripsimus in Periodicis, n. **176** (t. 3, p. 45).

2. Quod ad altera responsa, de una re monere velimus, non omnes qui suffragio suo legem « separationis » comprobarunt legem istam *constituisse*, sicut dicitur in 1° dubio. Constituerunt enim legem quotquot ex conspiratione cum primis suffragium dantibus legem approbarunt, non item vero qui, obtenta iam maioritate, mere, sine conspiratione, accesserunt ad alios suffragio quod efficacia erat destitutum.

---

277. — S. RITUUM CONGR. (5 iun. 1908)

RESPONSUM DE OFFICIIS VOTIVIS PER ANNUM

Osnabrugen.

Orator

Postulato R^mi^ D^ni^ Episcopi Osnabrugen., Provicarii Apostolici Missionum Germaniae Septemtrionalis et Administratoris Praefecturae Apostolicae Slevigis Holsatiae : « utrum Officia votiva antiqua de praecepto recitanda singulis feriis quintis non impeditis de S^mo^ Sacramento, et singulis sabbatis item non impeditis, de Immaculata Conceptione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda et concessa cum decreto generali n. 3581 *Urbis et Orbis* 5 iulii 1883 ? » ;

Dubium.

Responsum.

Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit : « Negative, nisi expresse recuntiatum fuerit antiquis indultis, iuxta ipsum citatum decretum, ubi in fine ad 1 legitur : *Firmis remanentibus aliis votivorum Officiorum indultis quibuscumque iam concessis* ». Atque ita rescripsit, die 5 Iunii 1908.

Dies 5 iun. 1908).

S. Card. CRETONI, *Praef.*
D. Panici, Arch. Laodicen. Secret.

ANNOTATIO

Ne nimis saepe, suppressa translatione festorum semiduplicium et duplicium minorum (exceptis Doctorum festis), recitandum foret Officium *de ea*, LEO XIII, s. m. decreto 5 iul. 1883, offica votiva concessit, singulis hebdomadae diebus ad arbitrium sacerdotis dicendae pro officio de Feria. Verum iam ante, quibusdam regionibus, v. gr. Belgio, erat concessum ut feria V recitaretur officium SS. Sacramenti, et sabbato officium Immaculatae Conceptionis, idque de *praecepto*.

Hinc quaesitum est utrum, in istis regionibus, prioris concessionis legibus an alterius esset standum. Cuius tamen interrogationis responsio decreto 1883 satis clare erat contenta.

---

278. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (5 iun. 1908)

RESPONSA DE ORDINE COMMEMORATIONUM IN CONCURSU

Atrebaten.

Orator. R. D. Onesimus Machez, magister caerimoniarum ecclesiae cathedralis Atrebaten., et extensor Calendarii dioecesani, de licentia sui R^mi Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime flagitavit, nimirum :

Dubia. I. Quando celebratur festum duplex Dominica infra Octavam communem, ponitur in Laudibus commemoratio Dominicae, deinde Octavae ; debetne in secundis Vesperis idem ordo servari pro commemorationibus, si feria secunda sequenti fit Officium de die infra Octavam, vel poni primo loco commemoratio Octavae ?

Concurrente festo duplici et Dominica infra octavam, si fer. II fit de die infra oct.

II. Quando feria VI post Octavam Ascensionis recolitur festum duplex aut semiduplex quod in secundis Vesperis concurrit cum festo eiusdem ritus ob Vigiliam Pentecostes simplificando, debetne prius fieri commemoratio huius festi simplificati ac postea feriae aut inversus ordo servari ?

Concurrente, fer. VI post oct. ascens. festo duplici et festo simplificando ob vigil.

Rescriptum. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit :

Ad I et II. Ad I et II. *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam, iuxta decretum n. 3843 *Commemorationum in Vesperis* 5 februarii 1895, quia habetur concursus, et commemoratio sumatur e primis Vesperis iuxta Rubricas.

Dies (5 iun. 1908). Atque ita rescripsit, die 5 iun. 1908.

S. Card. CRETONI, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secret.

ANNOTATIONES

1. Iuxta decretum generale n. 3843 *Commemorationum in Vesperis*, post orationem diei, ante ceteras, commemoratio semper agenda est de alio cuiuscumque ritus festo quod concurrat. Quae regula aliqualem facessit difficultatem, si officium sequenti die celebrandum est de die infra octavam. Commemoratio de die infra octavam in vesperis tum facienda, estne de officio concurrente vel occurrente ? Non pauci auctores[1] putarunt dies infra octavas non posse concurrere in 1^is vesperis, cum tales non habeant : rubricae enim breviarii (tit. 7. n. 5) dicunt : « In vesperis infra octavam, omnia dicuntur sicut in secundis vesperis festi ». Alii, contra, talem concurrentiam admittunt [2]. Quibus favere videtur tit. II rubric. breviarii n. 3, 4, 5, in quibus sermo fit de concurrentia festorum cum die infra octavam, et praecipue notanda ad tabellam concordantiae n. 4, ubi legitur : « In duplicibus 2^ae classis non fit commemoratio de die infra octavam nisi de ea fieri deberet officium die sequenti ». Unde clare deducitur hanc commemorationem fieri propter concurrentiam.

---

[1] Sic VAN DER STAPPEN, t. 1, q. 183. — DE HERDT, t. n. 304.
[2] Sic redactor Calendarii prov. belg. S. I.

In hunc sensum respondit Congregatio praesenti decreto.

Quod vero additur : « Commemoratio sumatur e primis vesperis iuxta rubricas » non parvam gignit difficultatem. Etenim tit. 7, n. 5, rubricae expresse dicunt : « In vesperis infra octavas omnia dicuntur sicut in *secundis* vesperis festi ». Ex praesenti igitur decreto, haec rubrica intellegenda tantum est de vesperis integre recitatis. Casu autem quo habetur concurrentia, commemoratio octavae iuxta tit. II. n 1, sumenda erit ex *primis* vesperis.

Ex novo iure dies infra octavas habent utrasque vesperas, eorumque commemoratio fit, adhibita ana cum *y*. ex 1 vel ex 2 vesp., prout secundum regulas concurrentiae primo loco commemorari debet dies sequens vel praecedens, et alia commemoratio tunc ob identitatem omittitur. Quae regula etiam valet in concurrentia diei 7ae infra octavam cum die octava.

Ios. Pauwels, S. I.

---

279 — SS. D. N. PII PP. X

CONST. « SAPIENTI CONSILIO » 29 IUN 1908 ET ANNEXAE ORDINATIONES

De Romana Curia

A. *Constitutio « Sapienti Consilio »*

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Breviter memorato opere Xysti V, eiusque fine,

Sapienti consilio sa. me. Pontifex Xystus V, Decessorum vestigiis inhaerens eorumque coepta perficiens, sacros Cardinalium coetus seu Romanas Congregationes, quarum aliquot iam erant ad certa negotia institutae, augeri numero voluit, ac suis quamque finibus contineri. Quare Apostolicis Litteris, die XXII mensis ianuarii an. MDLXXXVII. queis initium, *Immensa*, eiusmodi Congregationes constituit quindecim, ut, « partita inter eos aliosque Romanae Curiae magistratus ingenti cura- « rum negotiorumque mole », quae solet ad Sanctam Sedem deferri, iam necesse non esset tam multa in Consistorio agi ac deliberari, simulque possent controversiae diligentius expendi, et celerius faciliusque eorum expediri negotia, qui undique, sive studio religionis ac pietatis, sive iuris persequendi, sive gratiae impetrandae, aliisve de causis ad Summum Pontificem confugerent.

laudat Pontifex utilitatem SS. Congregationum

Quantum vero utilitatis ex sacris his Congregationibus accesserit sive ad ecclesiasticam disciplinam tuendam, sive ad iustitiam administrandam, sive ad ipsos Romanos Pontifices relevandos, crescentibus in dies curis negotiisque distentos, compertum ex Ecclesiae historia exploratumque omnibus est.

Ex variis mutationibus inducta confusio et inaequalis negotiorum partitio

Verum decursu temporis ordinatio Romanae Curiae a Xysto V potissimum per memoratas Apostolicas Litteras constituta, haud integra perstitit. Nam et Sacrarum Congregationum numerus, pro rerum ac temporum necessitatibus, modo auctus est, modo deminutus : atque ipsa iurisdictio unicuique Congregationi primitus attributa, modo novis Romanorum Pontificum praescriptis, modo usu aliquo sensim inducto ratoque habito,

mutationibus obnoxia fuit. Quo factum est ut hodie singularum iurisdictio, seu *competentia*, non omnibus perspicua nec bene divisa evaserit ; plures ex Sacris Congregationibus eadem de re ius dicere valeant, et non nullae ad pauca tantum negotia expedienda redactae sint, dum aliae negotiis obruuntur.

Optatam fecerunt reformationem.

Quapropter haud pauci Episcopi ac sapientes viri, maxime vero S. R. E. Cardinales, tum scriptis tum voce, et apud Decessorem Nostrum fel. rec. Leonem XIII, et apud Nos ipsos saepe institerunt ut opportuna remedia hisce incommodis afferrentur. Quod nos quidem pro parte praestare curavimus datis Litteris die VII mensis decembris anno MCMIII, *Romanis Pontificibus ;* aliisque datis die XXVIII mensis ianuarii anno MCMIV, *Quae in Ecclesiae bonum ;* itemque aliis datis die XXVI mensis maii anno MCMVI, *Sacrae Congregationi super negotiis.*

Huius inchoationes

iam perficere cogitat Pontifex.

Cum vero in praesenti res quoque sit de ecclesiasticis legibus in unum colligendis, maxime opportunum visum est a Romana Curia ducere initium, ut ipsa, modo apto et omnibus perspicuo ordinata, Romano Pontifici Ecclesiaeque operam suam praestare facilius valeat et suppetias ferre perfectius.

A die 3 novembr. 1908, nova Rom. curiae ordinatio, suppressa superiore, sola vigebit.

Quam ob rem, adhibitis in consilium pluribus S. R. E. Cardinalibus, statuimus ac decernimus, ut Congregationes, Tribunalia et Officia quae Romanam Curiam componunt et quibus Ecclesiae universae negotia pertractanda reservantur, post ferias autumnales decurrentis anni, hoc est a die III mensis novembris MDCCCCVIII, non alia sint, praeter consueta sacra Consistoria, quam quae praesenti Constitutione decernuntur, eaque numero, ordine, competentia, divisa et constituta maneant his legibus, quae sequuntur.

I. SACRAE CONGREGATIONES

1. Congregatio sancti officii

S. Officii *generalis provincia et praeses.*

1. Haec Sacra Congregatio, cui Summus Pontifex praeest, doctrinam fidei et morum tutatur.

Iudicat haereses.

2. Eidem proinde soli manet iudicium de haeresi aliisque criminibus quae suspicionem haeresis inducunt.

Curat indulgentias.

3. Ad ipsam quoque devoluta est universa res de Indulgentiis, sive quae doctrinam spectet, sive quae usum respiciat.

Ei aufertur disciplina praeceptorum Ecclesiae, electio Episcopor. relaxatio votorum religiosorum.

4. Quicquid ad Ecclesiae praecepta refertur, uti abstinentiae, ieiunia, festa servanda, id omne, huic Sacro Consilio sublatum, Congregationi Concilii tribuitur ; quicquid ad Episcoporum electionem spectat, sibi vindicat Congregatio Consistorialis ; relaxationem vero votorum in religione seu in religiosis institutis emissorum, Congregatio negotiis sodalium religiosorum praeposita.

Quae ipsi maneant integra.

5. Etsi peculiaris Congregatio sit constituta *de disciplina Sacramentorum*, nihilo minus integra manet Sancti Officii facultas ea cognoscendi quae circa privilegium, uti aiunt, Paulinum, et impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, praeter ea quae attingunt dogmaticam de matrimonio, sicut etiam de aliis Sacramentis, doctrinam.

2. Congregatio consistorialis

Congr^i consistoriali *tribuitur :*

1. Duas haec Sacra Congregatio, easque distinctas partes complectitur :

In locis quae S. C. Prop. Fid. non sunt obnoxia, dioecesium et capitulorum erectio, divisio; provisio sedium;

2. Ad primam spectat non modo parare agenda in Consistoriis, sed praeterea in locis Congregationi de Propaganda Fide non obnoxiis novas dioeceses et *capitula* tum *cathedralia* tum *collegiata* constituere ; dioeceses iam constitutas dividere ; Episcopos, Administratores apostolicos, Adiutores et Auxiliarios Episcoporum eligere ; canonicas inquisitiones seu *processus* super eligendis indicere actusque diligenter expendere ; ipsorum periclitari doctrinam. At si viri eligendi vel dioeceses constituendae aut dividendae sint extra Italiam, administri Officii a publicis negotiis, vulgo *Secretariae Status*, ipsi documenta excipient et *Positionem* conficient, Congregationi Consistoriali subiciendam.

Praeterea quae ad dioecesium et seminariorum regimen spectant;

3. Altera pars ea omnia comprehendit quae ad singularum dioecesium regimen, modo Congregationi de propaganda Fide subiectae non sint, universim referuntur, quaeque ad Congregationes Episcoporum et Concilii hactenus pertinebant, et modo Consistoriali tribuuntur. Ad hanc proinde in posterum spectent vigilantia super impletis vel minus obligationibus quibus Ordinarii tenentur ; cognitio eorum quae ab Episcopis scripto relata sint de statu suarum dioecesium ; indictio apostolicarum visitationum, examenque earum quae fuerint absolutae, et, post fidelem rerum expositionem ad Nos delatam singulis vicibus, praescriptio eorum, quae aut necessaria visa fuerint aut opportuna ; denique ea omnia quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem et studia Seminariorum pertinent.

Et solutio dubiorum de competentia SS. Congr.

4. Huius Congregationis erit, in conflictatione iurium, dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum.

Congr. Praeses, socii ex officio;

5. Huius Sacri Consilii Summus Pontifex perget esse Praefectus. Eique Cardinales *a secretis* S. Officii et *Secretarius Status* semper ex officio accensentur, praeter alios, quos Summus Pontifex eidem ascribendos censuerit.

Secretarius; Assessor.

6. A secretis semper esto Cardinalis a Summo Pontifice ad id munus eligendus ; alter ab ipso erit Praelatus, cui *Assessoris* nomen, qui idem fungetur munere a secretis Sacri Collegii Patrum Cardinalium ; et sub ipso sufficiens administrorum numerus.

Consultores.

7. Consultores huius Congregationis erunt *Assessor* Sancti Officii, et *a secretis* Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, durante munere : quibus accedent alii, quos Summus Pontifex elegerit.

3. Congregatio de disciplina sacramentorum

C. de discipl. sacramentorum, excepta parte reservata S. Officio et exceptis caerimoniis, disciplinam curat sacramentorum.

1. Est huic Sacrae Congregationi proposita universa legislatio circa disciplinam septem Sacramentorum, incolumi iure Congregationis Sancti Officii, secundum ea quae superius statuta sunt, et Sacrorum Rituum Congregationis circa caerimonias quae in Sacramentis conficiendis, ministrandis et recipiendis servari debent.

Competentia ista explicatur.

2. Itaque eidem Congregationi tribuuntur ea omnia, quae huc usque ab aliis Congregationibus, Tribunalibus aut Officiis Romanae Curiae decerni concedique consueverant tum in disciplina matrimonii, uti dispensationes in foro externo tam pauperibus quam divitibus, sanationes in radice, dispensatio super rato, separatio coniugum, natalium restitutio seu legitimatio prolis ; tum in disciplina aliorum Sacramentorum, uti dispensationes ordinandis concedendae, salvo iure Congregationis negotiis religiosorum sodalium praepositae ad moderandam eorundem

ordinationem ; dispensationes respicientes locum, tempus, condiciones Eucharistiae sumendae, Sacri litandi, asservandi Augustissimi Sacramenti ; aliaque id genus.

3. Quaestiones quoque de validitate matrimonii vel sacrae Ordinationis, aliasque ad Sacramentorum disciplinam spectantes, eadem Congregatio dirimit, incolumi iure Sancti Officii. Si tamen eadem Congregatio iudicaverit huiusmodi quaestiones iudiciario ordine servato esse tractandas, tunc eas ad Sacrae Romanae Rotae tribunal remittat.

Quaestiones dirimit de validitate matrimonii, ordinationum, etc. nisi quas iudicaverit esse tractandas iudicialiter.

4. Congregationi huic, quem ad modum ceteris omnibus quae sequuntur, erit Cardinalis Praefectus, qui praeerit sacro Ordini, aliquot Patribus Cardinalibus a Pontifice Summo eligendis conflato, cum *secretario* aliisque necessariis administris et consultoribus.

Congr., compositio.

4. Congregatio concilii

1. Huic Sacrae Congregationi ea pars est negotiorum commissa quae ad universam disciplinam Cleri saecularis populique christiani refertur.

C. Concilii *clerus saecularis committitur,*

2. Quam ob rem ipsius est curare ut Ecclesiae praecepta serventur, cuius generis sunt ieiunium (excepto eucharistico, quod ad Congregationem de disciplina Sacramentorum pertinet), abstinentia, decimae, observatio dierum festorum, cum facultate opportune relaxandi ab his legibus fideles ; moderari quae Parochos et Canonicos spectant ; item quae pias Sodalitates, pias uniones, pia legata, pia opera, Missarum stipes, beneficia aut officia, bona ecclesiastica, arcas nummarias, tributa dioecesana, aliaque huiusmodi, attingunt. Videt quoque de iis omnibus quae ad immunitatem ecclesiasticam pertinent. Eidem Congregationi facultas est reservata eximendi a condicionibus requisitis ad assecutionem beneficiorum, quotiens ad Ordinarios eorum collatio spectet.

et observatio praeceptorum Ecclesiae : quod explicatur.

3. Ad eandem pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem, atque ad Episcoporum coetus seu *conferentias* referuntur, suppressa Congregatione speciali, quae hactenus fuit, pro Conciliorum revisione.

Praeterea Conciliorum celebratio et recognitio.

4. Est autem haec Congregatio tribunal competens seu legitimum in omnibus causis negotia eidem commissa spectantibus, quas ratione disciplinae, seu, ut vulgo dicitur, *in linea disciplinari* pertractandas iudicaverit ; cetera ad Sacram Romanam Rotam erunt deferenda.

Tractatio disciplinaris causarum de rebus ad ipsam spectantibus.

5. Congregationi Concilii adiungitur et unitur, qua Congregatio specialis, ea quae *Lauretana* dicitur.

Ipsi unitur Congr. Lauretana.

5. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita

1. Haec Sacra Congregatio iudicium sibi vindicat de iis tantum quae ad Sodales religiosos utriusque sexus tum sollemnibus, tum simplicibus votis astrictos, et ad eos qui, quamvis sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum, itemque ad tertios ordines saeculares, in universum pertinent, sive res agatur inter religiosos ipsos, sive habita eorum ratione cum aliis.

C. negotiis religiosorum praeposita *de religiosis (ample acceptis) et causis quas cum aliis habent curat.*

2. Quapropter ea omnia sibi moderanda assumit, quae sive inter Episcopos et religiosos utriusque sexus sodales intercedunt, sive inter ipsos

Praeterea, in linea dis-

ciplinari, negotia tractat suae competentiae

religiosos. Est autem tribunal competens in omnibus causis, quae ratione disciplinae, seu, ut dici solet, *in linea disciplinari* aguntur, religioso sodali sive convento sive actore ; ceterae ad Sacram Romanam Rotam erunt deferendae, incolumi semper iure Sancti Officii circa causas ad hanc Congregationem spectantes.

Dispensat religiosos a iure communi.

3. Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis.

6. Congregatio de propaganda fide

S. Cis P. F. *competentia propria et rationabilis extensio.*

1. Sacrae huius Congregationis iurisdictio iis est circumscripta regionibus, ubi, sacra hierarchia nondum constituta, status missionis perseverat. Verum, quia regiones non nullae, etsi hierarchia constituta, adhuc inchoatum aliquid prae se ferunt, eas Congregationi de Propaganda Fide subiectas esse volumus.

Regiones eidem subtractae.

2. Itaque a iurisdictione Congregationis de Propaganda Fide exemptas et ad ius commune deductas decernimus - in *Europa* — ecclesiasticas provincias Angliae, Scotiae, Hiberniae, et Hollandiae, ac dioecesim Luxemburgensem ; — in *America* — provincias ecclesiasticas dominii Canadensis, Terrae Novae et Foederatarum Civitatum, seu *Statuum Unitorum*. Negotia proinde quae ad haec loca referuntur, tractanda in posterum non erunt penes Congregationem de Propaganda Fide, sed, pro varia eorundem natura, penes Congregationes ceteras.

Quaenam ipsi maneant vel assignentur.

3. Reliquae ecclesiasticae provinciae ac dioeceses, iurisdictioni Congregationis de Propaganda Fide hactenus subiectae, in eius iure ac potestate maneant. Pariter ad eam pertinere decernimus, Vicariatus omnes Apostolicos, Praefecturas seu missiones quaslibet, eas quoque quae Congregationi a Negotiis ecclesiasticis extraordinariis modo subsunt.

Ad peculiares Congr. defert quae fidem, matrimonium, sacros ritus attingunt.

4. Nihilo minus, ut unitati regiminis consulatur, volumus ut Congregatio de Propagande Fide ad peculiares alias Congregationes deferat quaecumque aut fidem attingunt, aut matrimonium aut sacrorum rituum disciplinam.

Religiosi ad ipsam spectant quatenus missionarii, non qua tales.

5. Quod vero spectat ad sodales religiosos, eadem Congregatio sibi vindicet quidquid religiosos qua missionarios, sive ut singulos, sive simul sumptos tangit. Quidquid vero religiosos qua tales, sive uti singulos, sive simul sumptos attingit, ad Congregationem Religiosorum negotiis praepositam remittat aut relinquat.

Congris Orientalis *munus confirmatur.*

6. Unitam habet Congregationem pro negotiis Rituum Orientalium, cui integra manent quae huc usque servata sunt.

Administratio bonorum.

7. Praefectura specialis pro re oeconomica esse desinit ; omnium vero bonorum administratio, etiam *Reverendae Camerae Spoliorum*, ipsi Congregationi de Propaganda Fide committitur.

Coniunctus coetus.

8. Cum hac Congregatione coniungitur Coetus pro *unione Ecclesiarum dissidentium*.

7. Congregatio indicis

C. Indicis, *praeter solitum munus, ex professo inquirit in scripta et zelum excitat Ordinariorum.*

1. Huius sacrae Congregationis in posterum erit non solum delatos sibi libros diligenter excutere, eos si oportuerit, prohibere, et exemptiones concedere ; sed etiam ex officio inquirere, qua opportuniore licebit via, si quae in vulgus edantur scripta cuiuslibet generis, damnanda ; et in memoriam Ordinariorum reducere, quam religiose teneantur in perniciosa

scripta animadvertere, eaque Sanctae Sedi denuntiare, ad normam Const. *Officiorum*, XXV Ian, MDCCCXCVII.

2. Cum vero librorum prohibitio persaepe propositam habeat catholicae fidei defensionem, qui finis est etiam Congregationis Sancti Officii, decernimus ut in posterum omnia quae ad librorum prohibitionem pertinent, eaque sola, utriusque Congregationis Patres Cardinales, Consultores, Administri secum invicem communicare possint, et omnes hac de re eodem secreto astringantur.

De librorum prohibitione commune fit secretum S. Officii et Indicis.

8. CONGREGATIO SACRORUM RITUUM

1. Haec Sacra Congregatio ius habet videndi et statuendi ea omnia, quae sacros ritus et caerimonias Ecclesiae Latinae proxime spectant, non autem quae latius ad sacros ritus referuntur, cuiusmodi sunt praecedentia iura, aliaque id genus, de quibus, sive servato iudiciario ordine sive ratione disciplinae, hoc est, uti aiunt, *in linea disciplinari* disceptetur.

Cis Rituum *competentia definitur rebus quae ad ritus Eccl. Latinae proxime spectant, non praecedentiam, et hsm. Corollarium.*

2. Eius proinde est praesertim advigilare ut sacri ritus ac caerimoniae diligenter serventur in Sacro celebrando, in Sacramentis administrandis, in divinis officiis persolvendis, in iis denique omnibus quae Ecclesiae Latinae cultum respiciunt; dispensationes opportunas concedere; insignia et honoris privilegia tam personalia et ad tempus, quam localia et perpetua, quae ad sacros ritus vel caerimonias pertineant, elargiri, et cavere ne in haec abusus irrepant.

3. Denique ea omnia exsequi debet quae ad beatificationem et canonizationem Sanctorum vel ad Sacras Reliquias quoquo modo referuntur.

Procurat etiam beatificationes et Reliquias.

4. Huic Congregationi adiunguntur Coetus *liturgicus*, Coetus *historico-liturgicus* et Coetus *pro Sacro Concentu*.

Coniuncti coetus.

9. CONGREGATIO CAERIMONIALIS

Haec Sacra Congregatio iura hactenus ipsi tributa integra servat; ideoque ad eam pertinet moderatio caerimoniarum in Sacello Aulaque Pontificali servandarum, et sacrarum functionum quas Patres Cardinales extra pontificale sacellum peragunt; itemque quaestiones cognoscit de praecedentia tum Patrum Cardinalium, tum Legatorum, quos variae nationes ad Sanctam Sedem mittunt.

Cis Caerimonialis *provincia.*

10. CONGREGATIO PRO NEGOTIIS ECCLESIASTICIS EXTRAORDINARIIS

In ea tantum negotia Sacra haec Congregatio incumbit quae eius examini subiciuntur a Summo Pontifice per Cardinalem *Secretarium Status*, praesertim ex illis quae cum legibus civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis civitatibus referuntur.

Cis pro negotiis eccl. extraord. *provincia.*

11. CONGREGATIO STUDIORUM

Est huic Sacrae Congregationi commissa moderatio studiorum in quibus versari debeant maiora athenaea, seu quae ab Ecclesiae auctoritate dependent, comprehensis iis quae a religiosae alicuius familiae sodalibus administrantur. Novas institutiones perpendit approbatque; facultatem concedit academicos gradus conferendi, et, ubi agatur de viro singulari doctrina commendato, potest eos ipsa conferre.

Cis Studiorum *munus.*

II. TRIBUNALIA

1. Sacra paenitentiaria

S. Paenitentiariae *actio foro interno definitur tota.*

Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coartatur ad ea dumtaxat quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt. Itaque, externi fori dispensationibus circa matrimonium ad Congregationem de disciplina Sacramentorum remissis, hoc tribunal pro foro interno gratias largitur, absolutiones, dispensationes, commutationes, sanationes, condonationes; excutit praeterea quaestiones conscientiae, easque dirimit.

2. Sacra romana rota

Causae contentiosae omnes, non maiores, revocantur ad S. Rotam.

Cum Sacrae Romanae Rotae tribunal, anteactis temporibus omni laude cumulatum, hoc aevo variis de causis iudicare ferme destiterit, factum est ut Sacrae Congregationes forensibus contentionibus nimium gravarentur. Huic incommodo ut occurratur, iis inhaerentes, quae a Decessoribus Nostris Xysto V, Innocentio XII et Pio VI sancita fuerunt, non solum iubemus « per Sacras Congregationes non amplius recipi nec agnosci causas contentiosas, tam civiles quam criminales, ordinem iudiciarium cum processu et probationibus requirentes » (Litt. Secretariae Status, XVII aprilis MDCCXXVIII); sed praeterea decernimus ut causae omnes contentiosae non maiores, quae in Romana Curia aguntur, in posterum devolvantur ad Sacrae Romanae Rotae tribunal, quod hisce litteris rursus in exercitium revocamus iuxta *Legem propriam*, quam in appendice praesentis Constitutionis ponimus, salvo tamen iure Sacrarum Congregationum, prout superius praescriptum est.

3. Signatura apostolica

Signatura Apostolica *restituitur reformata.*

Item supremum Signaturae Apostolicae tribunal restituendum censemus, et praesentibus litteris restituimus, seu melius instituimus, iuxta modum qui in memorata *Lege* determinatur, antiqua ordinatione tribunalium *Signaturae papalis et iustitiae* suppressa.

III. OFFICIA

1. Cancellaria apostolica

Cancellariae *praeses.*

1. Huic officio praesidet unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui posthac Cancellarii, non autem Vice Cancellarii nomen assumet. Ipse, iuxta pervetustam consuetudinem in Sacris Consistoriis, ex officio, notarii munere fungitur.

Officium,

2. Ad Cancellariae officium in posterum hoc unum tamquam proprium reservatur munus, Apostolicas expedire litteras *sub plumbo* circa beneficiorum consistorialium provisionem, circa nova dioecesium et capitulorum institutionem, et pro aliis maioribus Ecclesiae negotiis conficiendis.

Una iam expeditionis Bullarum, via Cancellariae,

3. Unus erit earum expediendarum modus, hoc est per *viam Cancellariae*, iuxta normam seorsum dandam, sublatis iis modis qui dicuntur per *viam secretam*, *de Camera* et *de Curia*.

4. Expedientur momoratae liiterae seu *bullae* de mandato Congregationis Consistorialis circa negotia ad eius iurisdictionem spectantia, aut de mandato Summi Pontificis circa alia negotia, servatis ad unguem in singulis casibus ipsius mandati terminis.

mandante C. Consistoriali vel Pontifice.

5. Suppresso collegio Praelatorum qui dicuntur *Abbreviatores maioris vel minoris residentiae*, seu *de parco maiori vel minori ;* quae ipsius erant munia in subscribendis apostolicis bullis transferuntur ad collegium Protonotariorum Apostolicorum qui vocantur *participantes de numero*.

Subscribunt Protonotarii, suppressis Abbreviatoribus.

2. Dataria apostolica

Datariae *praeses.*

1. Huic officio praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, qui in posterum Datarii, non vero Pro-Datarii nomen obtinebit.

2. Ad Datariam in posterum hoc unum tamquam proprium ministerium tribuitur, cognoscere de idoneitate eorum qui optant ad beneficia non consistorialia Apostolicae Sedi reservata ; et expedire Apostolicas litteras pro eorum collatione ; eximere in conferendo beneficio a condicionibus requisitis ; curare pensiones et onera quae Summus Pontifex in memoratis conferendis beneficiis imposuerit.

Munus in collatione beneficiorum non consistorialium versatur.

3. In his omnibus agendis normas peculiares sibi proprias, aliasque seorsum dandas servabit.

3. Camera apostolica

Camerae Apostolicae *munus et praeses.*

Huic Officio cura est atque administratio bonorum ac iurium temporalium Sanctae Sedis, quo tempore praesertim haec vacua habeatur. Ei officio praeest S. R. E. Cardinalis Camerarius, qui in suo munere, Sede ipsa vacua, exercendo se geret ad normas exhibitas a Const. *Vacante Sede Apostolica*, XXV dec. MDCCCCIV.

4. Secretaria status

Secretariae status *tres partes; negotia extraordinaria, ordinaria, expeditio Brevium.*

Officium hoc, cuius est supremus moderator Cardinalis a *Secretis Status*, hoc est a publicis negotiis, triplici parte constabit, Prima pars in negotiis extraordinariis versabitur, quae Congregationi iisdem praepositae examinanda subici debent, ceteris, pro diversa eorum natura, ad peculiares Congregationes remissis ; altera in ordinaria negotia incumbet, ad eamque, inter cetera, pertinebit honoris insignia quaeque concedere, tum ecclesiastica tum civilia, iis demptis quae Antistiti pontificali domui Praeposito sunt reservata ; tertia expeditioni Apostolicorum Brevium, quae a variis Congregationibus ei committuntur, vacabit. — Primae praeerit *Secretarius* Congregationis pro negotiis extraordinariis ; alteri *Substitutus* pro negotiis ordinariis ; tertiae *Cancellarius* Brevium Apostolicorum. Inter harum partium praesides primus est *Secretarius* Sacrae Congregationis negotiis extraordinariis praepositae, alter *Substitutus* pro ordinariis negotiis.

Moderator Secretariae ; praesides divisionum, eorumque ordo hierarchicus.

5. Secretariae brevium ad principes et epistolarum latinarum

Confirmatur munus secret. Brevium ad Principes et Epist. latinarum.

Duplex hoc officium sua munia, ut antea, servabit, latine scribendi acta Summi Pontificis.

In posterum vero in omnibus Apostolicis Litteris, sive a *Cancellaria* sive a *Dataria* expediendis, initium anni ducetur, non a die Incarnationis Dominicae, hoc est a die XXV mensis martii, sed a calendis ianuariis.

A calend. ianuar. semper computabitur annus.

Abrogatio contrariorum.

Itaque Congregationes, Tribunalia, Officia, quae diximus, posthac Romanam Curiam constituent, servata eorum quae ante Nostras has litteras exstabant, propria constitutione, nisi immutata fuerit secundum superius praescripta aut secundum legem ac normas sive generales sive speciales quae Constitutioni huic adiciuntur.

Provisio de variis Congregationibus et coetibu

Congregatio quae dicitur *Reverendae fabricae S. Petri*, in posterum unam sibi curandam habebit rem familiarem Basilicae Principis Apostolorum, servatis ad unguem in hac parte normis a Benedicto XIV statutis Const. *Quanta curarum*, die XV mensis novembris MDCCLI data.

Coetus *studiis provehendis* sive *Sacrae Scripturae*, sive *historiae; Obulo S. Petri administrando ; Fidei in Urbe praeservandae*, permanent in statu quo ante.

Sublata Congregatione *Visitationis Apostolicae Urbis*, quae ipsius erant iura et munia, ad peculiarem Patrum Cardinalium coetum, penes urbis Vicariatum constituendum, deferimus.

Omnia graviora sunt prius S. P. significanda.

In omnibus autem et singulis superius recensitis Congregationibus, Tribunalibus, Officiis, hoc in primis sollemne sit, ut nil grave et extraordinarium agatur, nisi a moderatoribus eorundem Nobis Nostrisque pro tempore Successoribus fuerit ante significatum.

Sententiae per se indigent pontificia approbatione.

Praeterea, sententiae quaevis, sive gratiae via, sive iustitiae, pontificia approbatione indigent, exceptis iis pro quibus eorundem Officiorum, Tribunalium et Congregationum moderatoribus speciales facultates tributae sint, exceptisque semper sententiis tribunalis Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae, de ipsarum competentia latis.

Praeceptum de coniunctis legibus.

Huic Constitutioni accedunt leges propriae, ac normae tum generales tum particulares, quibus disciplina et modus tractandi negotia in Congregationibus, Tribunalibus, Officiis praestituitur ; quas leges et normas ad unguem ab omnibus observari mandamus.

Vacua Sede alia constitutio obtinet.

Atque haec valere quidem debent Apostolica Sede plena ; vacua enim standum legibus et regulis in memorata Constitutione « *Vacante Sede Apostolica* » statutis.

Clausulae. Plenissima abrogatio contrariorum.

Decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, et illis ad quos spectat aut pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuslibet etiam specialissima mentione dignis.

Dies (29 un. 1908).

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, die festo Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, III cal. iulias, Pontificatus Nostri anno quinto.

A. Card. Di Pietro
Pro-Datarius

R. Card. Merry Del Val
A Secretis Status

VISA
De Curia I. *De Aquila e Vicecomitibus*
Loco † Plumbi
Reg. in Secret. Brevium V. Cugnonius.

B. *Annexae ordinationes, eodem die promulgatae, de mandato speciali SS. D. N. Pii PP. X.*

I Lex propria Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae

TITULUS I

Sacra Romana Rota

Cap. I

De constitutione Sacrae Romanae Rotae

Can. 1

§ 1. Sacra Romana Rota decem Praelatis constat a Romano Pontifice electis, qui Auditores vocantur. *Auditorum numerus.*

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, maturae aetatis, laurea doctorali saltem in theologia et iure canonico praediti, honestate vitae, prudentia, et iuris peritia praeclari. *Qualitates.*

§ 3. Cum aetatem septuaginta quinque annorum attigerint, emeriti evadunt, et a munere iudicis cessant. *Aetassumma.*

Can. 2

§ 1. Sacrae Rota Collegium constituit cui praesidet Decanus, qui primus est inter pares. *Rotae decanus.*

§ 2. Auditores post Decanum ordine sedent ratione antiquioris nominationis, et, in pari nominatione, ratione antiquioris ordinationis ad sacerdotium, et, in pari nominatione et ordinatione presbyterali, ratione aetatis. *Auditorum ordo.*

§ 3. Vacante decanatu, in officium decani ipso iure succedit qui primam sedem post decanum obtinet. *Decani successor.*

Can. 3

§ 1. Singuli Auditores, probante Rotali Collegio et accedente consensu Summi Pontificis, eligant sibi unum studii adiutorem, qui laurea doctorali iuris saltem canonici in publica universitate studiorum, vel facultate a Sancta Sede recognitis donatus sit, et religione vitaeque honestate praestet. *Auditorum adiutores.*

§ 2. Adiutor in suo munere explendo de mandato sui Auditoris agere debet, et manet in officio ad eiusdem nutum.

Can. 4

§ 1. Erunt insuper in Sacra Rota promotor iustitiae pro iuris et legis tutela, et defensor sacri vinculi matrimonii, professionis religiosae et sacrae ordinationis. *Promotor iustitiae et defensor sacri vinculi.*

§ 2. Hi sacerdotes esse debent, laurea doctorali in theologia et in iure saltem canonico insigniti, maturae aetatis, et prudentia ac iuris peritia praestantes.

§ 3. Eligentur a Sommo Pontifice, proponente rotali Auditorum Collegio.

Can. 5

Rotae notarii.

§ 1. Constituentur etiam notarii, quot necessarii sunt pro actibus Sacrae Rotae rogandis, qui praeterea actuarii cancellarii munere in sacro tribunali fungentur.

§ 2. Duo saltem ex his erunt sacerdotes ; et in causis criminalibus clericorum vel religiosorum his dumtaxat reservatur notarii et actuarii munus.

§ 3. Omnes eligentur a Collegio Rotali ex concursu iuxta regulam pro ceteris Sanctae Sedis officiis datam : eorumque electio confirmanda erit a Summo Pontifice.

Can. 6

Rotae custodes, cursores, apparitores.

§ 1. Unus vel duo laici maturae aetatis et probatae vitae constituentur pro custodia sedis et aulae Sacrae Rotae, qui, quotiens necesse sit, cursorum et apparitorum officia praestabunt.

§ 2. Eligentur a Rotali Collegio cum suffragiorum numero absolute maiore.

Can. 7

Iusiurandum praestandum ante initum officium.

§ 1. Singuli Sacrae Rotae Auditores, post nominationem, antequam iudicis officium suscipiant, coram universo Collegio, astante uno ex notariis sacri tribunalis, qui actum rogabit, iusiurandum dabunt de officio rite et fideliter implendo.

§ 2. Idem iusiurandum dabunt singuli adiutores Auditorum, et tribunalis administri coram Sacrae Rotae Decano, astante pariter uno ex notariis.

Can. 8

Secreti ex officio causae.

In re criminali, in causis spiritualibus et in aliis, quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus obvenire potest, vel ab ipso tribunali secretum impositum fuit, Auditores, adiutores Auditorum et tribunalis administri tenentur ad secretum officii.

Can. 9

Sanctio.

§ 1. Auditores qui secretum violaverint, aut ex culpabili neglegentia vel dolo grave litigantibus detrimentum attulerint, tenentur de damnis : et ad instantiam partis laesae, vel etiam ex officio, Signaturae Apostolicae iudicio a SS^mo confirmato, puniri possunt.

§ 2. Tribunalis administri et adiutores Auditorum, qui similia egerint, pariter tenentur de damnis ; et ad instantiam partis laesae, aut etiam ex officio, Rotalis Collegii iudicio, pro modo damni et culpae puniri possunt.

Can. 10

Actuum exemplaria et communicatio.

§ 1. Declaratio fidelitatis exemplarium cum autographo a notariis fieri potest ad instantiam cuiuslibet petentis.

§ 2. Extrahere vero documenta ex archivio, illaque petentibus communicare, notarii non possunt nisi de mandato Paesidis turni, coram quo causa agitur, si ad effectum causae documentum postuletur ; de mandato Decani, si aliquod documentum ob alium finem requiratur.

Can. 11

Varia forma dicendi ius.

Sacra Rota, duabus formis ius dicit, aut per *turnos* trium Auditorum, aut videntibus omnibus, nisi aliter pro aliqua particulari causa Summus Pontifex statuerit sive ex se, sive ex consulto sacrae alicuius Congregationis.

Can. 12

Turnorum ordo et successio, etiam in 2a et 3a instantia.

§ 1. Turni hoc ordine procedent. Primus turnus constituitur ex tribus ultimis Auditoribus ; secundus et tertius ex sex praecedentibus ; quartus ex decano et duobus ultimis Auditoribus, qui denuo in turni seriem redeunt ; quintus et sextus turnus ex Auditoribus sex qui praecedunt ; septimus ex subdecano et decano rotali una cum ultimo Auditore, qui rursus in seriem venit ; denique octavus, nonus, decimus turnus ex novem reliquis Auditoribus ; et sic deinceps, servata ea vice perpetuo.

§ 2. Turni iudicando sibi invicem succedunt iuxta ordinem temporis, quo causae delatae sunt ad Sacrae Rotae tribunal.

§ 3. Si, iudicata iam ab uno turno aliqua causa, opus sit secunda sententia, causam videt turnus qui proxime subsequitur, etsi hic aliam causam iuxta superiorem paragraphum iudicandam assumpserit. Et si opus sit tertia sententia, eodem modo turnus qui duos praecedentes proxime subsequitur, causam videndam suscipit.

§ 4. In uno quoque turno, seu Auditorum coetu, praeses est semper Auditor cui prior locus competit.

§ 5. Si quis infirmitate aut alia iusta causa impeditus partem in iudicando in suo turno habere non possit, praevio Decani decreto, eum supplet primus Auditor liber, non proximi quidem turni, sed alterius subsequentis.

Quod si opus sit tertia rotali sententia, impeditum Auditorem supplet decimus rotalis, vel alius qui partem in tribus turnis non habet.

§ 6. Auditor ob impedimentum alterius rotalis suffectus, etsi senior, praeses turni esse non potest, quotiens causa iam coepta sit, et Praeses alius constitutus.

Can. 13

Vacationes.

Circa vacationes Rotale tribunal eiusque administri eadem utuntur regula ac cetera Sanctae Sedis officia.

Caput II.

De competentia Sacrae Romanae Rotae

Can. 14

Competentia in prima instantia, simul et in 2a et 3a.

§ 1. Sacra Rota iudicat in prima instantia causas quas sive motu proprio, sive ad instantiam partium Romanus Pontifex ad suum tribunal advocaverit, et Sacrae Rotae commiserit ; easque, si opus sit, ac nisi aliter cautum sit in commissionis rescripto, iudicat quoque in secunda et in tertia instantia, ope turnorum subsequentium iuxta praescripta *can. 12*.

Competentia in 2a inst. et in 3a.

§ 2. Iudicat in secunda instantia causas quae a tribunali E^mi Urbis Vicarii et ab aliis Ordinarium tribunalibus in primo gradu diiudicatae fuerint, et ad Sanctam Sedem per appellationem legitimam deferuntur.

Itemque eas iudicat, si opus sit, etiam in tertia iuxta modum in *can. 12* praescriptum.

Competentia in 3a inst.

§ 3. Iudicat denique in ultima instantia causas ab Ordinariis et ab aliis quibusvis tribunalibus in secundo vel ulteriore gradu iam cognitas, quae in rem iudicatam non transierint, et per legitimam appellationem ad Sanctam Sedem deferuntur.

Competentia ad restituendum in integrum.

§ 4. Videt quoque de recursibus pro restitutione in integrum a sententiis quibusvis, quae transierint in rem iudicatam et remedium invenire non possunt apud iudicem secundae instantiae iuxta titulum *De rest. in integr.*; dummodo tamen non agatur de re iudicata ex sententia Sacrae Romanae Rotae; et in his iudicat tum de forma, tum de merito.

Can. 15

Causae maiores.

Causae maiores, sive tales sint ratione obiecti, sive ratione personarum, excluduntur ab ambitu competentiae huius tribunalis.

Can. 16

Quid si recurratur contra sententiam non iudicialem.

Contra dispositiones Ordinariorum, quae non sint sententiae forma iudiciali latae, non datur appellatio seu recursus ad Sacram Rotam; sed eorum cognitio Sacris Congregationibus reservatur.

Can. 17

Sanctio nullitatis.

Defectus auctoritatis Sacrae Rotae in videndis causis, de quibus in duobus canonibus praecedentibus, est absolutus, ita ut ne obiter quidem de his cognoscere queat, et si tamen sententiam proferat, haec ipso iure sit nulla.

Caput III.

De modo iudicandi Sacrae Romanae Rotae

Can. 18

De partibus advocarum.

§ 1. Partes per se ipsae possunt se sistere et iura sua dicere coram Sacra Rota.

§ 2. Si quem tamen sibi assumant advocatum, hunc eligere debent inter approbatos iuxta tit. III huius legis.

§ 3. Advocatus, aut qua consultor et assistens, aut qua patronus, cui causa defendenda ex integro commissa maneat, a parte eligi potest; in utroque casu tradi ei debet mandatum in scriptis, quod exhibendum est tribunali, et servandum in actis.

§ 4. Advocatus ad assistendum assumptus tenetur clientem instruere, prout et quatenus opus sit, de regulis et usu sacri tribunalis, opportuna consilia de modo agendi eidem praebere, et defensionem ac responsionem cum eo subsignare.

§ 5. Si partes per se ipsae etiam cum assistente advocato ut in § 3, defensionem suam suscipiant, uti possunt in defensionis et responsionis scriptura vernacula lingua a sacro tribunali admissa.

§ 6. In quolibet tamen casu unica semper esse debet defensionis et responsionis scriptura, hoc est aut partis aut eius patroni: numquam vero duplex, id est utriusque.

Can. 19

De causae assumptione.

§ 1. Cum ad Sacrae Rotae protocollum pervenerit appellatio aliqua, aut commissio iudicandi aliquam causam in forma ordinaria, appellationis libellus aut litterae commissoriae ex Decani mandato transmittuntur Auditorum turno ad quem spectat iudicium in ordine et vice sua iuxta praecedentem *canonem 12 ;* turnus autem, assumpta causa, procedit ad eius examen iuxta ordinarias iuris normas.

§ 2. Quod si commissio iudicandi facta sit, non in forma ordinaria, sed speciali, id est videntibus quinque, vel septem, vel omnibus Auditoribus, aut dumtaxat pro voto ; Sacra Rota servare in primis debet commissionis formam iuxta tenorem rescripti, et in reliquis iuxta regulas iuris communis et sibi proprias procedere.

Can. 20

Definitiones provisoriae relictae Praesidi turni.

Quotiens quaestio in Sacra Rota fiat circa exsecutionem provisoriam alicuius sententiae aut circa inhibitionem exsecutionis, res inappellabili sententia a solo Praeside turni, ad quem iudicium causae in merito spectaret, est definienda.

Can. 21

Causae relatio.

Praeses turni, seu Auditorum coetus, qui tribunal constituit, per se est etiam Ponens seu Relator causae. Quod si iustam habeat rationem declinandi hoc officium, auditis ceteris turni seu coetus Auditoribus, suo decreto statuet qui vice sua Ponentis munus suscipiat.

Can. 22

Causae instructio.

§ 1. Si in aliqua causa opus sit instructione processus, instructio fiat iuxta receptas canonicas regulas.

§ 2. Ponens autem seu Relator non potest simul esse causae instructor, sed hoc officium a Decano debet demandari alicui Auditori alterius turni.

Can. 23

Constitutio diei.

§ 1. Causa coram Sacra Rota introducta et instructa, actor, vel etiam conventus, si ipsius intersit, Ponentem rogabit ut diem dicat alteri parti pro contestatione litis, seu concordatione dubiorum.

§ 2. Ponens, vel eius studii adiutor, in calce libelli diem constituet. Quod in exemplari authentico alteri parti communicari statim debet.

Can. 24

Formula dubii.

§ 1. Si die assignata pro concordatione dubiorum, pars in ius vocata non compareat, et legitimam excusationem absentiae dare neglegat, contumax declarabitur, et dubiorum formula ac dies propositionis causae ad postulationem partis praesentis et diligentis ex officio statuetur ; idque statim ex officio notum fiet alteri parti, ut, si velit, excipere possit contra dubiorum formulam, et a contumacia se purgare, constituto ad hoc a Ponente vel eius studii Adiutore congruo temporis termino.

§ 2. Si partes praesentes sint, et conveniant in formula dubii atque in die propositionis causae, et Ponens vel eius Adiutor ex parte sua nil excipiendum habeant, dabitur opportunum decretum quo id constabiliatur.

§ 3. Si vero partes non conveniant in formula dubii, aut in die propositionis causae ; itemque si Ponens vel eius Adiutor censeant acceptari non posse partium conclusiones, definitio controversiae reservatur iudicio totius turni ; qui quaestione incidentali discussa decretum ad rem feret.

§ 4. Dubiorum formula utcumque statuta mutari non potest nisi ad instantiam alicuius partis, vel promotoris iustitiae, vel defensoris vinculi, audita altera parte, novo Ponentis vel turni decreto, prout fuerit vel a Ponente vel a turno statuta.

Mutatio diei.

§ 5. Dies eodem modo mutari potest ; sed haec mutatio fieri potest etiam ex officio, si Ponens vel turnus necessarium ducant.

Can. 25

Tempestiva documentorum exhibitio.

§ 1. Sententiae, decreta et acta quaelibet contra quae expostulatio facta sit, exhibenda sunt Sacrae Rotae saltem decem dies ante litis contestationem.

§ 2. Documenta quae partes in propriae thesis suffragium producenda habent, triginta saltem dies ante causae discussionem deponenda sunt in protocollo Sacrae Rotae, ut a iudicibus et tribunalis administris atque ab altera parte examinari possint in ipso loco protocolli, unde ea asportari non licet.

§ 3. Debent autem esse legitima forma confecta, et exhibenda sunt in forma authentica, colligata in fasciculo, cum adiecto eorum indice, ne subtrahi aut deperdi possint.

Can. 26

Defensionis forma et tempestiva depositio.

§ 1. Defensio typis est imprimenda : et triginta dies ante causae discussionem *(eodem nempe tempore ac documenta de quibus in can. praec. deponenda sunt in protocollo rotali)* distribuenda est duplici exemplari singulis iudicibus, notariis protocolli et archivii, itemque promotori iustitiae et vinculi defensori, si iudicio intersint. Commutari praeterea debet cum altera parte, aut partibus, ut responsioni locus hinc inde fiat.

§ 2. Defensioni adiungendum est Summarium, typis pariter impressum, in quo documenta potiora contineantur.

Can. 27

Responsiones et causae conclusio.

§ 1. Responsiones decem dies ante causae discussionem, id est viginti dies post distributionem defensionis, exhibendae sunt una cum novis documentis, si quae adiungenda partes habeant, servatis etiam hoc in casu regulis *can. 24 et can. 25.*

§ 2. Quo facto conclusum in causa reputabitur ; et partibus earumque patronis seu procuratoribus iam non licebit quippiam adiungere aut scribere.

§ 3. Si tamen agatur de repertis novis documentis, fas semper est ea producere. Sed in eo casu pars exhibens probare tenetur se ea documenta non nisi ad ultimum reperisse. Admissis vero his novis documentis,

Ponens debet congruum tempus alteri parti concedere ut super iisdem respondere possit. Aliter nullum erit iudicium.

§ 4. In potestate autem de officio Ponentis est documenta futtilia ad moras nectendas exhibita respuere.

Can. 28

Prorogatio et limitatio spatiorum.

Spatia temporum superioribus canonibus constituta prorogari possunt a iudice ad instantiam unius partis, altera prius audita, vel etiam coartari, si ipse iudex necessarium duxerit, consentientibus tamen partibus.

Can. 29

Limites scripturarum. Impressio fit post approbationem, et in probata typographia.

§ 1. Defensionis scriptura excedere non debet viginti paginas formae typographicae ordinariae folii romani. Responsiones, decem paginas.

§ 2. Si ob gravitatem, difficultatem, aut grande volumen documentorum parti vel patrono necesse sit hos limites excedere, a Ponente supplici libello id ipsi impetrabunt. Ponens autem decreto suo statuet numerum ulteriorem paginarum quem concedit, quemque praetergredi nefas est.

§ 3. Exemplar tum defensionis tum responsionis, antequam edatur, exhibendum Ponenti vel eius studii adiutori, ut imprimendi atque evulgandi facultas impetretur.

§ 4. Nulla scriptura Sacrae Rotae destinata typis edi potest, nisi in typographia a Collegio Sacrae Rotae approbata.

Can. 30

Prohibitis informationibus oralibus ad iudicem, disputationi regulae statuuntur.

Quae dicuntur *informationes orales ad iudicem*, in Sacra Rota prohibentur ; admittitur tamen moderata disputatio ad elucidationem dubiorum coram turno pro tribunali sedente, si alterutra vel utraque pars eam postulet, aut tribunal statuat ut eadem habeatur. In ea vero hae regulae serventur :

1° Disputatio fiat die et hora a tribunali opportune assignanda tempore intermedio inter exhibitionem responsionis et assignatum iudicio diem.

2° Partes regulariter non admittuntur ut per se ipsae causam suam dicant coram iudicibus ; sed ad id deputare debent unum ex advocatis, quem sibi ad assistendum, aut qua patronum vel procuratorem, asciverint. In potestate tamen tribunalis est eas rationabili de causa admittere, aut advocare et iubere ut intersint.

3° Biduo ante disputationem partes exhibere debent Adiutori Ponentis quaestionis capita cum altera parte discutienda paucis verbis, una vel altera periodo contenta, eaque Adiutor partibus hinc inde communicabit, una simul cum quaesitis a turni Auditoribus praeparatis, si quae ipsi habeant, super quibus partes rogare velint.

4° Disputatio non assumet oratoriam formam ; sed sub Ponentis ductu ac moderatione circumscripta erit limitibus illustrandorum dubiorum.

5° Assistet unus ex notariis tribunalis ad hoc ut, si aliqua pars postulet et tribunal consentiat, possit de disceptatis, confessis aut conclusis, annotationem ad tramitem iuris ex continenti assumere.

6° Qui in disputatione iniurias proferat, aut reverentiam et oboedientiam tribunali debitam non servet, ius ad ulterius loquendum amittit, et si agatur de procuratore vel advocato, puniri pro casus gravitate potest etiam suspensione aut privatione officii.

Can. 31

Causae discussio inter iudices et sententia.

§ 1. Assignata iudicio die, Auditores in consilium ad secretam causae discussionem convenire debent.

§ 2. Unus quisque scripto afferet conclusiones suas seu votum cum brevibus probationibus tam in facto quam in iure. Attamen in discussione fas semper est Auditoribus a conclusionibus suis recedere, si iustum et necessarium ducant. Conclusiones autem suas singuli Auditores in actis causae deponere tenentur ad rei memoriam : secretae tamen ibi servabuntur.

§ 3. Ea demum sit sententia in qua firmiter conveniant duo saltem ex Auditoribus, aut pars absolute maior praesentium, si tribunal plus quam tribus Auditoribus constituatur.

§ 4. Si ad sententiam in prima discussione devenire iudices nolint aut nequeant, differre poterunt iudicium ad primum proximum eiusdem turni conventum, quem protrahi non licet ultra hebdomadam, nisi forte vacationes tribunalis intercedant.

Can. 32

Sententiae promulgatio.

§ 1. Re conclusa in Auditorum consilio, Ponens super actorum fasciculo signabit partem dispositivam sententiae, id est responsiones ad dubia : quae a notario tribunalis partibus significari poterunt, nisi tribunal censuerit solutionem suam secreto servare usque ad formalis sententiae promulgationem.

§ 2. Haec intra decem dies, aut ad summum intra triginta in causis implicatioribus est peragenda ; exaranda vero vel a causae Ponente vel ab alio ex Auditoribus, cui hoc munus in secreta causae discussione commissum sit.

§ 3. Eadem lingua latina est conscribenda ; et rationes tam in facto quam in iure sub poena nullitatis continere debent.

§ 4. Subsignabitur a Praeside turni et ab aliis Auditoribus una cum aliquo ex notariis Sacrae Rotae.

Can. 33

Facultas appellandi et res iudicata.

§ 1. Si sententia rotalis confirmatoria sit alterius sententiae sive rotalis sive alius tribunalis, habetur res iudicata, contra quam nullum datur remedium nisi per querelam nullitatis, vel per petitionem restitutionis in integrum coram supremo Apostolicae Signaturae tribunali.

§ 2. Si duplex sententia conformis non habeatur, a sententia rotali ab uno turno lata datur appellatio ad turnum proxime sequentem iuxta *canonem 12*, intra tempus utile dierum decem ab intimatione sententiae, ad tramitem iuris communis.

Can. 34

Causae renuntiatio.

§ 1. Si, introducta causa, actor renuntiare velit instantiae, aut liti, aut causae actibus, id ei semper licebit. Sed renuntiatio debet esse absoluta

nullique condicioni subiecta, subsignata cum loco et die a renuntiante, vel ab eius procuratore speciali tamen mandato munito, ab altera parte acceptata aut saltem non oppugnata, et a iudice deinde admissa.

§ 2. Renuntians tamen tenetur hisce in casibus ad omnia consectaria quae ex his renuntiationibus profluunt ad tramitem iuris communis.

TITULUS II

Signatura Apostolica

Cap. I

De constitutione et competentia Signaturae Apostolicae

Can. 35

Supremi tribunalis Ap^ae Signaturae Constitutio. Praefectus, Secretarius.

§ 1. Supremum Apostolicae Signaturae tribunal constat sex S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice electis, quorum unus, ab eodem Pontifice designatus, Praefecti munere fungetur.

§ 2. Eique dabitur a Romano Pontifice adiutor, seu a Secretis, qui iuxta regulas eiusdem Signaturae proprias, sub ductu Cardinalis Praefecti, omnia praestabit quae ad propositae causae instructionem necessaria sunt.

Can. 36

Notarius et Custos.

§ 1. Praeter Secretarium erit etiam in Apostolica Signatura unus saltem notarius conficiendis actibus, conservando archivio, et adiuvando Secretario iu iis quae ab eo ipsi committuntur : habebitur quoque custos conclavium eiusdem Signaturae : prior sacerdos, alter laicus.

Consultores.

§ 2. Erunt etiam aliquot Consultores, a Summo Pontifice eligendi, quibus poterit examen alicuius quaestionis pro voto ferendo committi.

Secretum.

§ 3. Quae ad nominationem, iusiurandum, obligationem secreti ac disciplinam pertinent, et pro administris Sacrae Rotae constituta sunt, serventur quoque, cum proportione, pro Apostolicae Signaturae administris.

Can. 37

Tribunalis competentia.

Supremum Apostolicae Signaturae tribunal videt tamquam sibi propria ac praecipua,

1° de exceptione suspicionis contra aliquem Auditorem, ob quam ipse recusetur ;

2° de violatione secreti, ac de damnis ab Auditoribus illatis, eo quod actum nullum vel iniustum in iudicando posuerint, iuxta *can. 9 ;*

3° de querela nullitatis contra sententiam rotalem ;

4° de expostulatione pro restitutione in integrum adversus rotalem sententiam quae in rem iudicatam transierit.

Cap. II

De modo iudicandi Apostolicae Signaturae

Can. 38

Tempus utile recursus.

Ad postulandam restitutionem in integrum et ad introducendum iudicium nullitatis contra sententiam rotalem dantur tres menses utiles a reperto documento aut a cognita causa ob quam ad haec remedia recursus fieri potest.

Can. 39

Vis recursus.

§ 1. Expostulatio ad Signaturam pro restitutione in integrum non suspendit rei iudicatae exsecutionem.

§ 2. Nihilo minus ad instantiam partis recurrentis Signatura potest, incidentali sententia, inhibitionem exsecutionis iubere, aut obligare partem victricem ad congruam cautionem praestandam pro restitutione in integrum.

Can. 40

Causae introductio.

§ 1. Libellus, quo causa introducitur, exhibendus est Secretario Signaturae Apostolicae.

§ 2 Cardinalis autem Praefectus, una cum Secretario, accepta instantia, examinare debet, utrum fundamentum aliquod boni iuris habeat, quod si desit, instantiam ipsam quam primum reicere ; sin vero habeatur, tenetur admittere.

Can. 41

Forma processus.

§ 1. In causa criminali, de qua sub *num. 2 canonis 37*, regulae processuales serventur, quae pro causis criminalibus a iure canonico statuuntur.

§ 2. In aliis iudiciis, de quibus in *num. 1, 3 et 4, can. 37*, Signatura procedere potest sola rei veritate inspecta, citata tamen semper parte adversa, vel conventa, vel cuius intersit, et praefixo partibus congruo peremportio termino ad iura sua deducenda.

§ 3. Et in primo ex memorati iudicii casibus Apostolica Signatura inappellabili sententia definit utrum, an non, sit locus recusationi Auditoris. Quo facto, iudicium, ad Sacram Rotam remittit, ut iuxta suas regulas ordinarias procedat, admisso in suo turno, vel non, Auditore contra quem exceptio sublevata fuit, iuxta Signaturae sententiam.

In tertio casu, de hoc tantum iudicat, sitne nulla rotalis sententia, et sitne locus eius circumscriptioni.

In quarto casu, Apostolica Signatura, inappelabili sententia definit utrum necne locus sit restitutioni in integrum. Qua concessa, rem remittit ad Sacram Rotam, ut, videntibus omnibus, de merito iudicet.

Can. 42

Convocatio Promotoris iustit. et Defensoris vinculi.

Cardinalis Praefectus, itemque Signaturae tribunal, si expedire reputent, convocare possunt Promotorem iustitiae et Defensorem vinculi penes Sacram Rotam, et ab iis votum exigere, vel etiam petere ut de actibus rotalibus, quae impugnantur, rationes explicent.

Can. 43

Usus regularum Rotae et Iuris communis.

In reliquis, quae necessaria sunt ad iudicii expeditionem, et non sunt in praecedentibus canonibus cauta, servari in primis debent, congrua congruis referendo, regulae pro Sacra Rota statutae, et deinde normae iuris communis.

TITULUS III

De Advocatis penes Sacram Rotam et Apostolicam Signaturam

Can. 44

Quinam advocati admittantur.

§ 1. Advocati proprii ac nativi Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sunt Advocati consistoriales.

§ 2. Admittuntur tamen et alii, sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in cononico iure instructi, post triennale tirocinium vel qua adiutores penes aliquem ex Auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram Rotali Collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint a Sacrae Rotae Decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum coram Rotali Collegio dederint de munere ex conscientia implendo.

Can. 45

Regulae de eorum actione.

§. 1. Advocati in causis coram Sacra Rota et Signatura Apostolica agendis tenentur servare tum communes leges canonicas tum regulas horum tribunalium proprias ; et in scripturis pro defensione exarandis lingua latina uti debent.

§ 2. Tenentur insuper de mandato Decani Sacrae Rotae aut Cardinalis Praefecti Signaturae Apostolicae gratuitum patrocinium aut gratuitam assistentiam praebere iis quibus Sacra Rota aut Signatura Apostolica hoc beneficium concesserit.

§ 3. Nefas iisdem est emere litem, aut de extraordinario emolumento vel immodica rei litigiosae parte sibi vindicanda pacisci. Quae si fecerint, praeter nullitatem pactionis, a Sacra Rota congrua poena multari possunt, iuxta sequentem canonem.

Can. 46

Collegii consistorialis iurisdictio.

Collegium advocatorum consistorialium fungetur munere collegii disciplinae pro continendis in officio advocatis : qui, ex voto eiusdem Collegii, a Sacra Rota reprehensionis nota inuri, poena pecuniara multari, suspendi, vel etiam ex albo advocatorum expungi poterunt.

APPENDIX

DE TAXATIONE EXPENSARUM IUDICIALIUM

CAP. I

De proventibus quae ad aerarium Sanctae Sedis spectant

Taxationes

1. Acta quaelibet iudicialia in causis tum contentiosis tum criminalibus exarari debent in foliis sigillum Sedis Apostolicae referentibus, excepta

prima instantia, et exceptis quoque foliis typis edendis, de quibus in *can. 25 et 26*. Folia quattuor paginis constant, et paginae triginta lineis.

Pretium unius cuiusque folii coram Sacra Rota adhibendi est, lib. 1 ; coram Signatura Apostolica, lib. 2.

Folii sigillati.

2. In eodem folio cumulari nequeunt acta diversa, quamvis ad eandem causam spectantia.

Exhibitionis documentorum.

3. Quotiens documenta in protocollo Sacrae Rotae exhibentur, sive plura sint, sive pauciora, singulis vicibus pendenda est lib. 1.

Actus quo exemplo declaratur concordare.

4. Pro actu quo declaratur concordare exemplar alicuius documenti cum autographo, ad singula folia, lib. 0.50.

Peritiarum et examinis testium.

5. Pro peritiis, si repuirantur, et pro examine testium, si habendum sit, a requirente peritiam vel probationem per testes deponenda est penes officialem rotalem, pecuniae custodem, summa ab Adiutore Praesidis tribunalis taxanda, quae ab eo censeatur sufficiens ad expensas peritiae vel examinis testium solvendas.

6. In taxanda hac summa Adiutor aestimare debet, iuxta civilem Urbis usum, quid requiratur ad retribuendam peritorum operam, si de ipsa agatur, vel ad indemnitatem testibus praestandam, tum ob itineris expensas, tum ob cessatum lucrum ex interruptione laboris, si de examine testium res sit. Praeterea tribunalis iura iuxta communes normas ei prae oculis habenda sunt.

Reponenda summa ad occurrendum expensis iudicialibus.

7. Ad occurrendum expensis iudicialibus universe sumptis deponenda est in arca nummaria Sacrae Rotae pro prudenti Ponentis arbitrio pecuniae summa a 100 ad 500 libellas.

Haec ad aerarium spectant S. Sedis.

8. Proventus universi huc usque recensiti ad aerarium Sanctae Sedis spectant, et ad illud singulis mensibus transmitti debent iuxta regulam pro aliis Sanctae Sedis officiis assignatam.

Cap. II

De proventibus qui cedunt in retributionem operae a singulis praestitae

Retributiones pro opera praestita.

1. Pro versione alicuius actus a lingua non in usu penes Romanam Curiam in aliam usu receptam, retributio pro singulis foliis, lib. 1,50.

2. Pro examinanda versione, et pro declaratione facienda a perito de eius fidelitate, ad singula folia, lib. 0,50.

3. Pro simplici transcriptione, ad singulas paginas, lib. 0,25.

4. Pro extrahendis ex archivio documentis vel fasciculo (*posizione*) alicuius causae. tabularius ministerium suum gratuito debet praestare, si agatur de re ultimis decem annis acta ; si de antiquiore, ius habet ad lib. 5.

Cap. III

De advocatorum et procuratorum proventibus

Proventus advocatorum et procuratorum.

1. Pro qualibet instantia exarata, lib. 5.

2. Pro concordatione dubiorum, ad singula dubia, lib. 5.

3. Pro interventu in examine testium in qualibet sessione, lib. 5.

4. Pro assistentia examini, vel iuramento parti delato, lib. 5.

5. Pro congressibus cum cliente et cum aliis personis ad effectum causae, iuxta numerum et simul sumptis, a lib. 10 ad 100.

6. Pro accessibus ad tribunal, a lib. 5 ad 50.

7. Pro disputatione coram tribunali ad normam *can. 30*, a lib. 10 ad 25.
8. Pro examine omnium documentorum, a lib. 50 ad 300.
9. Pro eorum ordinatione et summarii compositione, a lib. 50 ad 100.
10. Pro exaranda defensione, a lib. 200 ad 1000.
11. Pro responsione, a lib. 100 ad 200.
12. Pro simplici assistentia ad normam *can. 18*, a lib. 100 ad 200.
13. Harum omnium taxarum motio, seu *liquatio*, facienda est ad tramitem communis iuris a Praeside tribunalis.

Cap. IV

De exemptione a iudicialibus expensis et gratuito patrocinio

Quibusnam plena vel partialis concedatur exemptio.

1. Pauperibus ius est exemptionis ab expensis iudicialibus, et gratuiti patrocinii, iuxta praescripta superius *can. 45*, § 2.

2. Qui pauperes absolute dici non possunt, sed ob artam suam condicionem ordinariis expensis ferendis pares non sunt, ad earum reductionem ius habent,

Ratio impetrandi et concedendi exemptionem.

3. Qui exemptionem ab expensis vel earum reductionem assequi velit, eam postulare debet, dato supplici libello Praesidi turni vel Auditorum coetus qui causam iudicandam habet, adductisque documentis quibus condicionem suam comprobet. Praeterea, nisi agatur de iudicio a SS^mo commisso, demonstrare debet se non futtilem neque temerariam causam agere.

4. Praeses turni postulationem ne admittat, nisi auditis, praeter partem postulantem, parte adversa, promotore iustitiae ac decano advocatorum consistorialium, requisitisque, si opus sit, notitiis etiam secretis super statu oeconomico postulantis.

5. Contra decretum Praesidis negantis exemptionem ab expensis vel earum reductionem, potest, intra utile tempus decem dierum, expostulatio fieri, pro recognitione iudicii, ad turnum vel Auditorum coetum, cui causa iudicanda est.

6. Qui exemptionem ab expensis et gratuitum patrocinium concedit, simul debet unum ex advocatis designare, qui pauperis patrocinium vel assistentiam suscipiat ad normam *can. 45*, § 2.

7. Si vero decreta tantum fuerit expensarum reductio, qui huiusmodi decretum tulit, debet simul normas saltem generales statuere intra quas reductio sit circumscribenda.

Cap. V

De expensis in iudiciis coram Signatura Apostolica

Expensae in Signatura Apost.

Eadem regula, congrua congruis referendo, servetur ac pro iudiciis coram S. Rota.

Dies (29 iun. 1908).

Datum Romae, die 29 iunii 1908.

De mandato speciali SS^mi D. N. Pii Papae X.

R. Card. Merry Del Val.

II. Ordo servandus in SS. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae [1]

Cap. I

De Ordine ac Directione generatim

Duplex Administratorum coetus.

1º In omnibus superius memoratis S. Sedes Officiis (*dicasteri*) duplex erit Administrorum coetus, Maiorum et Minorum.

Moderatio secretariae.

2º In singulis moderatio proxima Secretariae, Protocolli, Tabularii, ad Praelatum pertinet qui alter est a Cardinali Praeside. A Praelato tamen erunt ad Cardinalem deferendae maioris momenti res, quibus peculiari aliquo modo sit consulendum.

In S. Rotae tribunali secretaria, protocollum, tabularium, obnoxia sunt Auditori Decano, eoque impedito, Auditori qui primam sedem post decanum obtinet : hi tamen, ubi agatur de extraordinario aliquo consulto capiendo, rem deferent ad Collegium Auditorum universum.

Congressus constitutio et officium.

3º Excepta S. Rota, cui propriis erit agendum normis, in ceteris Officiis omnibus, administri maiores, praeside Cardinali suo, Congressum constituunt.

4º Ad Congressum spectat minora negotia expendere atque expedire ; de ceteris disponere et ordinare ut agantur in pleno sui cuiusque officii conventu.

Liber rerum notabilium.

5º Singula Officia sibi librum habebunt « *Rerum Notabilium* », in quo rite indicentur nominationes, initique muneris dies Patrum Cardinalium, Consultorum, maioris et minoris ordinis Administrorum ; datum iusiurandum, cessatio ab officio, et si qua forte pontificia rescripta immutationem aliquam circa cuiusque Officii competentias induxerint.

Cap. II

De provisione Officiorum

Libera electio maiorum administrorum.

1º Maiores Administri cuiusque Sacrae Congregationis, Tribunalis, Officii, a Summo Pontifice libere eliguntur.

Minorum administrorum electio per scrutinium post examen.

2º Minoribus eligendis administris titulorum doctrinaeque certamen proponetur.

Gratiosae suffragationes non admittuntur, earumque, si intercedant, ratio habebitur nulla.

3º Certamen indicetur intra mensem a vacuo officio, acceptis ante mandatis a Summo Pontifice. Assignabitur vero spatium utile unius mensis ad exhibendam petitionem ac titulos necessarios.

4º Periculum de doctrina erit scripto faciendum certo die, quo propositae ex tempore quaestiones evolventur circa disciplinas ad petitum officium pertinentes. De proposita materia candidati in communi aula conscribent, designatis horis, advigilante Consultore aut aliquo ex minoribus eiusdem Officii administris, quem Praelatus moderator allegerit.

5º Scripta, numeris distincta, non expresso candidati nomine, duo Consultores ordine excutient, a Congressu eligendi, et, si agatur de S. Rota, a Decano. Horum nomina Censorum occulta manebunt ; iidemque

[1] Ex COMMENTARIO OFFICIALI, t. I, p. 36, Normae istae inscribi debuerunt **normae communes** et **Pars Prima**. — Altera habetur infra nº **298**, p. 298.

quam primum suum expriment scripto iudicium super exarata a candidatis, declarantes, quaenam ex iis, sive doctrinae laude, sive dicendi forma probentur; quaenam idonea tantum, quaenam omnino improbanda censeantur.

6° Si consultorum iudicia de idoneitate scripti secum pugnent, candidatus non idoneus habebitur deficientis causa doctrinae. Verum facultas erit Congressui, et apud S. Rotam Decano, in ea iudiciorum discrepantia, exquirendi, si necessarium aut aequum duxerint, Consultoris tertii suffragium, ad quem proinde remittentur priorum duorum iudicia, ut ipse proferat de summa lite sententiam.

7° Ut quis possit ad eligendorum scrutinium admitti, requiritur tamquam necessaria condicio ut probatus discesserit experimento doctrinae.

8° Scrutinium fiet a Congressu, et apud S. Rotam a Collegio Auditorum. Idem erit duplex, et in utroque suffragia erunt secreta.

In primo, suffragia ferentur de singulis candidatis, ut decernatur, quinam aetate, moribus, indole censeantur idonei. Qui paria suffragia rettulerint iudicandi sunt non idonei.

In altero suffagio ferentur de singulis in primo scrutinio approbatis, ut decernatur quisnam virtute, meritis, scientia, habilitate sit praeferendus. Paribus inter duos pluresve candidatos suffragiis, Cardinalis, qui Congressui praeerit, et apud S. Rotam Decanus, paritatem diriment.

9° De scrutinii exitu ad Summum Pontificem integre referetur, ut, Eo probante, ad candidati nominationem deveniri possit.

10° Rationes et modi, quibus lata sint suffragia, sunt prorsus reticendi.

Nominationis expeditio.

11° Litteras nominationis ad maiores Administros mittet Cardinalis a Secretis Status; ad minores mittent, in S. Rota Decanus, subscripto nomine alicuius Notarii; in ceteris Officiis, suus cuiusque praeses Cardinalis, contra posita subscriptione more rescriptorum.

Deservientium nominatio.

12° Deservientium nominatio, apud S. Rotam spectat ad Collegium Auditorum; apud Officia reliqua ad suum cuiusque Praesidem Cardinalem, proponentibus maioribus Administris.

Munia non cumulanda in uno.

13° In uno eodemque viro cumulare munia non licet; ideoque qui ad novum aspiret munus, ad id semel assumptus, pristino cessit.

14° Ad unum idemque Officium prohibetur aditus duobus consaguineis in primo et secundo gradu, et affinibus in primo.

Ius ascensus.

15° Minoribus administris, ubi inter ipsos vacaverit locus, ius est ascensus titulo ministerii provectioris; non ita ceteris.

Cap. III

Iusiurandum antequam asciscantur.

Cuiusvis ordinis Administri, antequam asciscantur, iusiurandum dabunt, coram suo Praelato, « de officio fideliter implendo, de non recipiendis muneribus etiam sponte oblatis, et de secreto servando », secundum formulam heic adiectam, servata lege iis Officiis quibus peculiare et gravius iusiurandum imponitur ut communi formae particularem addant.

Iurisiurandi forma

In nomine Domini

Ego N. N. spondeo, voveo ac iuro, fidelem et oboedientem me semper futurum B. Petro et Domino Nostro Papae eiusque legitimis Successori-

bus ; ministeria mihi commissa in hac S. Congregatione (Tribunali, aut Officio) sedulo ac diligenter impleturum ; munera mihi in remunerationem, etiam sub specie doni oblata, non recepturum ; et secretum officii religiose servaturum in iis omnibus quae sacri Canones aut Superiores secreta servari iusserint, itemque, quotiens ab Ordinariis id postulatum fuerit, et quando ex revelatione alicuius actus praeiudicium partibus aut Ecclesiae obvenire potest. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango.

Cap. IV

De horis ac disciplina officiorum

Horae explendi officii.

1° Spatium temporis officio assignatum est matutinum, ab hora nona cum dimidio usque ad meridiem cum semihora, singulis diebus non feriatis. Per has horas administri omnes tenentur in officio esse, non remorari, nec ab ipso ante constitutum tempus discedere, incolumi eorum privilegio, quibus officii sui lex concesserit ut commissum opus possint exsequi domi.

Vacationes.

2° Est tamen Moderatoribus facultas concedendi singulis Administris diem unum vel duos vacationis in mense, modo talis concessio cum Officii necessitatibus componi queat. Eadem condicione quotannis aut uno quoque bennio dies aliquot, non ultra hebdomadam, singulis concedere debebunt, ut piis exercitationibus vacent.

Significanda impedimenta.

3° Morbo aut alia causa impediti quominus Officium adeant, rem Praelato significent.

Visitatores non admittendi.

4° Exceptis maioribus Administris, itemque scriba Protocolli, Diribitore atque aliis, qui sui muneris gratia debent se adeuntes excipere, ceteris non licet per horas officii visitantem quemquam admittere.

Diligentia et vetita surrogatio.

5° In sua quisque munia religiose et quam optime explenda incumbet ; nec fas erit cuiquam alienam occupare provinciam, aut in sui locum constituere quempiam, aut ipse alium sufficere.

6° Verum, si Praelatus id committat, quilibet Administer se promptum exhibebit ad surrogandos collegas, atque ad alia non communia pensa quae forte sint expedienda.

7° Erit curae omnibus, maxime iis qui praesunt, ne diu negotia iaceant. Danda igitur opera ut necessaria studia, ut actorum perscriptio, ut expeditio negotiorum ea sollicitudine procedant, quae naturae rerum tractandarum et normis Officii respondeant.

Productus abor.

8° Quotiens igitur designatae horae muneri explendo satis non sint, administri reliquum operis aut domi conficient, aut morabuntur in officio diutius, aut revertentur post meridiem, prout visum fuerit moderatori opportunius.

9° Quod si productus hic labor fere cotidianus evadat, moderatorum erit eum ex aequo remunerari.

Significanda merita.

10° Iidem Administrorum nomina, qui doctrina, diligentia, rerum agendarum peritia, vitaeque honestate praecellant, Summo Pontifici significanda curabunt.

Munera prohibita administris.

11° Administro nemini licet Agentis, Procuratoris, Advocati partes assumere, neque in suo, neque in alieno Officio.

Unum eximitur procuratoris vel advocati munus in Sanctorum causis, quo munere fungi poterunt Administri minores ad SS. Rituum Congregationem non pertinentes.

12° Si quis Administer neglegentia culpave suo officio defuerit, erit admonendus, aut aliqua poena multandus, aut movendus ad tempus, aut etiam omnino dimittendus, pro admissi gravitate aut recidendi frequentia. *Sanctione glegentiae, delictorum, aeris alieni.*

13° Si autem a sacerdotis aut christiani viri aut civis officiis ita declinaverit, ut in ius rapi debuerit, aut publicae existimationis iacturam fecerit, suo loco movebitur ad tempus, aut omnino dimittetur.

14° Aere alieno ita gravari ut aditus fiat sequestris iudicialibus, esse causa potest quam ob rem quis ad certum tempus exuatur munere, aut etiam abdicare cogatur.

15° Publica inquisitione instituta de crimine adversus aliquem administrum, qui Officio praeest, officii ipsius honori tutando, simulque non gravando reo, providebit. Ad eum finem curare poterit ut accusatus ab officio recedat, et partem stipendii retinere in remunerationem suffecti in eius locum.

16° Remotio ad tempus, expulsio aut officii amissio, multae poenaeque ceterae contra administrum decernentur, nullo provocationis iure relicto, apud S. Rotam a Collegio Auditorum ; in aliis vero Officiis a Cardinali Praeside, suffragante Congressu ; et in utroque casu audita parte per scriptum.

De temporaria remotione aut dimissione referendum est ad SS^mum^ Dominum, ut has poenas ratas habeat.

Cap. V

De Feriis

1° Singulis diebus festis cum praecepto Officia vacabunt. *Feriae.*

His adduntur :

Anniversarius dies creationis et coronationis Summi Pontificis.

Item obitus Decessoris.

Stati dies Consistoriis habendis sive publicis sive semipublicis.

Feria secunda et tertia Quinquagesimae, et quarta Cinerum.

Postremi dies quattuor maioris hebdomadae, et Feria secunda et tertia Paschatis.

Pervigilium Pentecostes et succedentes huic Festo dies, Feria secunda ac tertia.

Pervigilium Deiparare in caelum receptae.

Secundus dies mensis novembris, in commemoratione Fidelium defunctorum.

Pervigilium Nativitatis Domini et consequentes tres dies.

Ultimus anni dies.

2° Feriatis diebus, Moderatores Officii curare poterunt ut aliquis ex administris Officium frequentet, expediturus negotia si quae forte occurrerint. Huic autem administro licebit vacationis dies alios petere.

3° A die decimo mensis septembris ad trigesimum primum octobris decurrent Feriae autumnales.

Hoc spatio temporis Officium nullum erit intermissum ; sed in uno quoque tot aderunt tum maioris tum minoris ordinis administri, quot satis esse existimentur urgentioribus expediendis negotiis ordinariae administrationis ; maiorum enim tractationes, ac de gravioribus et implicatioribus rebus deliberationes in mensem novembrem differentur. Quod si urgens

rei gravitas postulet ut cito occurratur, intra merae necessitatis fines providebitur.

4° Qui feriarum tempore in officio versari debebunt, iis conceduntur vacationis dies quinque et quadraginta, sive intermissi, sive continui pro lubitu petentium, alio anni tempore ab iisdem eligendo, habita tamen ratione necessitatum Officii, atque approbante Moderatore.

Cap. VI

De stipendiis

Stipendium certum.

1° De medio sublatis emolumentis quae *incerta* vocari solent, administri omnes certo stipendio, eoque menstruo et ad honestam sustentationem sufficienti, fruentur ex aerario Sanctae Sedis. Stipendii ratio pro variis administris proponetur in apposita tabula ; incipietque vim habere pro iis qui in officia asciscentur post praesentem ordinationem, ac pro veteribus administris qui ad officia diversi gradus et condicionis advocentur.

Incertorum unum manet genus.

2° Emolumentorum, seu *incertorum*, genus unicum derivari poterit minoribus administris ex opere in extrahendis ab archivio documentis impenso, ac transcriptione documentorum et processuum, si non ex officio fiant, sed instantibus partibus quarum intersit ; dummodo tamen his rebus non detur opera horis officio destinatis, et praescripta serventur *Appendicis Legis propriae S. Rotae* c 2, de exigenda compensatione.

Provisiones de praesentibus officialibus.

3° Qui in praesens cuiusvis gradus ac naturae officio funguntur, sua stipendia retinebunt tum ordinaria tum extraordinaria, quae tamen stabilitatis rationem habeant (*incerta certa*), et ad officium ipsum referantur ; non quae speciem remunerationis prae se ferant ob collocatam peculiarem operam aut extraordinarios ob titulos.

Eadem stipendia non aliunde solventur in posterum nisi ab aerario Sanctae Sedis.

4° Ut autem recti iustique servetur lex, intra mensem ab edita praesenti ordinatione, singuli qui variis Officiis praesunt ad Cardinalem *Secretarium Status* administrorum deferent nomina, adiecto suo cuiusque stipendio, ad normam superiore numero descriptam.

Iidem Praesules, intra memoratum tempus, recensebunt onera sive perpetua sive temporaria, quibus Officia sua gravantur, et impensas Officii ordinarias.

5° Gradus et stipendia ad normam n. 3 sarta tectaque manebunt Administris eorum etiam Officiorum, quae ob novam Romanae Curiae ordinationem aut prorsus desierint, aut sint natura penitus immutata.

Huiusmodi autem administri a Sanctae Sedis nutu pendebunt, et, ubi eorum postuletur opera, ad eam praestandam debebunt sese promptos ac paratos exhibere.

Provisio de iis qui senio vel valetudine confecti sunt.

6° Salvis iuribus a praesentibus administris acquisitis in quibusdam Officiis ad emeritum percipiendum, ceteris omnibus in posterum, qui sive aetatis ingravescentis, sive diutini morbi causa, sustinendis rite muneribus impares fiant, Apostolica Sedes, quantum poterit, ex aequo providebit, curando ut sufficiantur ab aliis, et cavendo ne ipsis necessaria desint ad honestam sustentationem.

Cap. VII

De advocatis

Advocatorum cooptatio, leges.

1° Firmo illorum iure qui modo legitimi habentur advocati, in posterum, ad ineundum hoc munus, servandae erunt normae tit III *legis propriae S. Rotae* constitutae.

De advocatis in Storum causis.

2° Exinde leges disciplinae vigebunt in memorato titulo contentae, quibus aeque omnes erunt obnoxii.

3° Qui vero cupiat advocati munus exercere apud S. Rituum Congregationem in Sanctorum causis, is legitimum sibi titulum comparet Advocati rotalis, ceterisque satisfaciat consuetudinis formis, quae ab eo Sacro Consilio praescriptae sunt.

Cap. VIII

De ministris expeditionum

Abrogatur privilegium exclusivae; ministris providebitur.

1° Privilegium *exclusivae*, quo Apostolici Ministri expeditionum in Datariae Officio fruuntur, ubi primum habere vim coeperit Constitutio *Sapienti consilio*, cessabit.

2° Est autem Sanctae Sedis propositum de ministrorum expeditionum, qui modo sunt, condicione ac statu cognoscere, ut in peculiaribus casibus ea possit inire consilia, quae magis aequa et opportuna iudicaverit.

Cap. IX.

De procuratoribus seu agentibus

Sectio I. — *De procuratoribus particularibus et privatis.*

Procuratores privati quinam eligi possint.

1° Qui ad Sanctam Sedem recurrens sui particularis ac privati negotii causa uti opera velit procuratoris, potest ad id munus deputare quemlibet suae fiduciae virum, dummodo catholicum, integra fama, et ad Officium, in quo agenda sit res, minime pertinentem. Praeterea oportet eundem legitimo mandato munire, quod in Actis, ad ipsius Officii cautionem, servabitur; aut sin minus apud Moderatores eiusdem in tuto ponere delecti viri honestatem et requisitas condiciones.

2° Si exhibitum virum Moderatores iudicaverint admitti non posse, certiorem facient mandantem, ut aliter consulat.

Sectio II. — *De procuratoribus publicis ac legitimis.*

Quinam possint esse publici et stabiles procuratores dioecesani.

3° Ad procuratoris munus legitime et constanter obeundum pro Episcopo eiusque dioecesi, oportet inscriptum habere nomen in Procuratorum albo, quod patebit in Officio a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis.

4° Salvis iuribus acquisitis ab exercentibus hodie munus *Agentium* seu ministrorum expeditionis, qui, ubi postulaverint, in memoratum album referentur, posthac quicumque volet inscribi debebit petitionem, cum titulis quibus illa nititur, exhibere Assessori S. C. Consistorialis.

5° Ad iustam admissionem requiritur ut orator catholicam fidem profiteatur, sit integra fama, calleatque satis latinum sermonem et ius canonicum. Si agatur de sacri ordinis viro, oportet ab Officio Urbis

Vicarii assensum impetret Romae residendi ; religiosus autem sodalis id a Praeposito generali impetrabit.

6° Iudicium de petitione, utrum ea admitti possit necne, edetur a Cardinali a Secretis S. C. Consistorialis, audito *congressu ;* qui, ut magis explorata sit candidati doctrina, poterit ipsum experimento subicere, prout melius iudicaverit.

7° Nihil obstat quominus Ordinarius procuratorem eligat virum nondum in album relatum ; qui tamen, antequam exerceat mandatum, inscriptionem postulabit.

Hoc autem in casu Ordinariorum prudentiae relinquitur ante videre, num cui forte obstaculo propositus procurator esse possit obnoxius, ne sese repulsae periculo obiciant.

Procuratores dioecesani quomodo fiant.

8° Praeter inscriptionem in album, ut quis publicus habeatur et stabilis procurator dioecesanus, necessario requiritur iustum Ordinarii mandatum ab allecto exhibendum, cuius mandati authenticum exemplar apud Officium a Secretis Consistorialis Congregationis deponetur.

Eorum munus et obligationes.

9° Munerum a procuratore dioecesano explendorum haec summa est : curare ut epistolarum commercium inter Apostolicam Sedem et Episcopum, de omnibus dioecesis negotiis, rite et cum fide procedat ; ea referre, de quibus Officio alicui praepositi, in rebus ad ipsum pertinentibus, eum sint percontati ; in cognitione versari negotiorum quae apud varia Sanctae Sedis Officia evolvuntur spectantque dioecesim, cuius habet ipse procurationem.

10° Quae scripta data sint obsignata, inviolata transmittenda sunt ; neve procurator umquam ullave de causa sibi fas esse ducat ea resignare. Qua in re cuiusvis generis culpa censebitur gravis.

11° Circa res omnes dioecesis, quarum, ratione sui muneris, notitiam acceperit, nisi agatur de re publica et notoria, procurator secreto officii tenetur. Huius legis violatio culpae gravis instar habebitur.

Vetita specialia.

12° Procuratoribus interdicitur ne litteras passim dimittant ad clientum aucupium, exhibentes faciliores condiciones aut similia.

13° Nemini procuratori licet pro sua opera maiorem pecuniae summam exigere quam quae pro rescriptis, brevibus, bullis officiorum Sanctae Sedis constituta sit atque descripta ; quam qui fregerit legem restitutionis obligatione tenebitur, etiam poenis aliis non irrogatis.

Sanctio poenalis. Eius intimatio.

14° Qui christiano plane more non agat, quae condicio ad exercendum procuratoris munus est omnino necessaria, aut in memoratis officii sui partibus grave aliquid admittat, potest ad tempus removeri, aut etiam perpetuo dimitti.

15° Advocatorum Consistorialium Collegium erit *agentibus* seu procuratoribus omnibus instar Consilii disciplinae. Ex eius Collegii sententia, Cardinalis a Secretis S C. Consistorialis (si agatur de prave acta vita sociali vel de alio publice nota culpa) ; aut praepositi Officio, cuius intersit (si de culpa officium spectante), poterunt ad admonitionem rei, aut ad eius remotionem sive temporariam sive perpetuam procedere.

16° Procurator, sive remotus ad tempus sive perpetuo dimissus ab uno officio, hoc ipso remotus censetur, aut omnino exclusus ab omnibus. Quare praepositi Officio a quo eiusmodi sit prolata sententia, ceteris Officiis rem significandam curabunt.

Cap. X

De ratione adeundi Sanctae Sedis officia cum iisque agendi generatim

Sectio I. — *Pro privatis*

Privati fideles quomodo agant cum S. Sede.

1º Christi fideli cuique patet aditus ad Sanctae Sedis Officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis.

2º Advocati opera uti volenti, in quaestionibus quae illum admittant, fas non erit patronum proponere quemlibet; sed optio ei dabitur inter approbatos, de quibus *cap. VII.*

3º Si vero Procuratoris desideret operam, eius eligendi arbitrium ipsi relinquitur, servatis tamen normis *cap. IX sect. I.* constitutis.

Sectio II. — *Pro Ordinariis*

Directe quomodo agant Ordinarii.

4º Ordinarius unus quisque potest ipse per se in variis Apostolicae Sedis Officiis negotia libere tractare, non solum quae se ipsum spectent, sed etiam quae dioecesim ac sibi subditos fideles ad ipsum confugientes.

5º Quotiens Ordinarius velit ipse per se de negotio aliquo agere, sive praesens in Curia, sive per litteras a sua Sede mittendas, Officium praemonebit quocum ei erit agendum. Tunc vero in positione annotabitur: *Personalis pro Ordinario;* resque nullis interpositis procuratoribus agetur.

6º Ordinarius qui petit directe agere cum Officio aliquo, sibi assumit solvendas impensas, non modo pro acceptis redditisque litteris et scriptis, aut pro aliis rebus necessariis, sed etiam pro taxationibus praescriptis in singulis.

Usus advocati et procuratoris.

7º Si advocato fuerit opus, etiam Ordinariis cohibetur optio, ita ut nequeant ipsum deligere nisi ex approbatis.

8º Si procuratore uti velint, normis inhaerebunt *cap. IX sect. II* declaratis.

Rescissio mandati.

9º Mandatum, quo ab Ordinario procurator eligitur, potest usque rescindi ad formam iuris communis, in eamque rescissionem, utpote rem ad fiduciam pertinentem, nulla datur inquirendi aut expostulandi facultas.

Potestas Vic. capitularis.

10º Vicario Capitulari non licet electum ab Episcopo procuratorem cum alio mutare; at poterit cum Sanctae Sedis Officiis directe agere, ad normam *art. 4, 5, 6* huius Sectionis.

Cap. XI

De taxationibus et procurationibus

Taxationis solvendae principiam generale.

1º In omni rescripto, indulto, dispensatione, a suo Officio indicabitur, non modo taxatio Sanctae Sedi solvenda et remuneratio Agenti debita, sed etiam pecuniae summa, cuius repetendae ius habet dioecesana Curia pro exsecutione rescriptorum si haec necessaria sit; quae quidem summa pontificia taxatione erit inferior.

Exoneratio pauperum et eorum qui iniquae sunt voluntatis.

2º Taxatio pauperibus, sive cives privati sint, sive Instituti piaeve causae, si petita gratia moraliter necessaria sit, non lucrosa oratori, ita ut hic nullum possit ex ea quaestum facere, ex dimidia parte minuetur, aut etiam, si visum fuerit, omnino condonabitur, integris tamen oratori

manentibus impensis pro tabellariis, pro exscriptione, aliisque id genus necessariis.

His in casibus, etiam Agentis procuratio ad partem dimidiam redigetur aut omnimo condonabitur, salvis impensis pro tabellariis.

3° Ordinarii, secreto percontati parochos quae vera sit oratorum condicio, significabunt in singulis casibus, agaturne de paupere, aut quasi paupere, ideoque competatne ipsis ius ad plenam aut dimidiatam condonationem taxationis, onerata utriusque partis conscientia super expositorum veritate ; contra quam si actum fuerit, firma restat obligatio sarciendi quidquid iniuria sublatum sit.

Si qui autem iniqua voluntate renuant satisfacere taxationem ad aliquam consequendam dispensationem praescriptam, cuius tamen concessio sit moraliter necessaria ad offendicula et peccata vitanda, hoc erit ab Ordinariis indicandum in suis litteris. Idem impetratae gratiae notitiam communicantes cum iis quorum interest, eos commonebunt (si opportune id fieri prudenterque licebit ab ipsis) ex iustitia, aliquid Sanctae Sedi deberi.

Utcumque tamen gratiae validitati nihil umquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis condicionem.

Taxationis notatio.

4° In omnibus Officiis, subsignatis rescriptis destinatus administer, peculiari super ipsis impresso sigillo, taxationem notabit Sanctae Sedi debitam, impensas procurationis et pecuniae summam pro exsecutione ; quae omnia in menstruo libello recensebit, ad rationum computationem suique cautionem asservando.

In variis taxationibus designandis administer prae oculis habebit superius expositas normas, Positionem seu fasciculum actorum expendens ; in dubiis vero rem ad Officii moderatores deferet.

Distinctus administer pro taxationibus S. Sedis.

5° Singula Officia alterum habebunt a priore distinctum administrum diribendis litteris, rescriptis, et exigendae pecuniae taxationum ad Sanctam Sedem pertinentium.

Notatio taxationis, si res sit secreta.

6° In rebus secreto tegendis rescripta obserata tradentur ; taxatio vero in alio notabitur folio eundem numerum referente qui in obserato rescripto. Eadem taxationis notatio in interiore rescripti pagina iterabitur, ad securitatem recipientis.

Partes moderatoris Officii, extremo quoque mense.

7° Extremo quoque mense, praelatus Officii moderator libbelum inspiciet, de quo *num. 4*, acceptique rationem expendet ; deinde utrumque ad Sanctae Sedis arcam nummariam deferet, suae auctoritatis testimonio munitum.

Dispositiones temporariae

Nuntiantur peculiares normae.

8° Officiorum administrationem totam ilico retexere cum minime detur, Sancta Sedes sibi reservat peculiares normas constituere servandas in posterum.

Quaenam interea vigeant taxationes.

9° Interim nulla fiet immutatio taxationum quae legitime in usu sunt pro expeditione *Bullarum* et *Brevium* Apostolicorum.

10° Pariter in usu esse non desinunt eae taxationes, quae in causis Beatificationis aut Canonizationis descriptae habentur in lege SS. Rituum Congregationis : *de taxis et impensis pro causis Sanctorum Dei*.

11° Sua etiam disciplina est moderandarum taxationum, mercedium, impensarum apud S. Rotam et Signaturam Apostolicam in causis quae ad ea tribunalia deferantur.

12° Pro dispensationibus matrimonii vigere quoque pergent in praesens taxationes pendi solitae penes *Datariam* Apostolicam et *S. Paenitentiariam*. In causis vero matrimonialibus dispensationis *super rato*, et in aliis quae a S. Congregatione *de Sacramentis* iudicantur, standum normis a S. Congregatione Concilii huc usque servatis.

Norma generalis pro ceteris rescriptis.

13° Pro ceteris gratiarum, indultorum, dispensationum rescriptis, in Officiis omnibus, taxatio Sanctae Sedi solvenda erit libellarum decem, si de maioribus rescriptis agatur : si de minoribus, quinque.

Quid si rescriptum plures contineat gratias.

Remuneratio *Agenti* debita erit libellarum sex pro rescriptis maioribus ; pro minoribus, trium.

Si rescriptum unum plures gratias contineat, augebitur pro portione taxatio ; non ita tamen Agentis procuratio.

Clausula confirmatoria.

14° In omnibus autem et singulis casibus superius, *num. 9, 10, 11, 12 et 13*, recensitis, incolumes semper sint dispositiones capitis VI praecedentis, *de stipendiis*, et dispositiones num. 4, 5, 6 et 7 huius capitis, de solutione pecuniae singulis mensibus arcae nummariae S. Sedis facienda.

Incolumis manet exemptio S. C. P. F.

15° Usus S. Congregationis de Propaganda Fide exemptionis e qualibet taxatione in suae iurisdictionis locis incolumis servetur.

Dies (29 iun. 1908).

Datum Romae, die 29 iunii 1908.

De mandato speciali SSmi D. N. Pii Papae X
R. Card. MERRY DEL VAL.

ANNOTATIONES

Plenos commentarios Constitutionis *Sapienti consilio* non postulat finis nostrorum Periodicorum, nec hora iisdem scribendis opportuna videtur. Veri simile etenim est, novam legem, ob ipsius momentum, variis ordinationibus et declarationibus perfectum iri.

Satis tamen enucleabitur eius vis ac ratio, si, indicata reformationis causa, subiecto ac die a quo initium ducet, potissima eius capita demonstraverimus, ea deinde notaverimus quae religiosorum ac missionariorum maxime intersint, ut, solutis quibusdam dubiis, finem disserendi faciamus.

§ I. *Reformationis causa, subiectum et dies*

I. Ex ipsa Bullae introductione, reformationis causae et opportunitas facile eruuntur. Magno quidem emolumento tuendae disciplinae, administrandae iustitiae et relevandi SS. Pontifices, multitudo negotiorum divisa est inter varias Congregationes, quae diligentiore cura, maiore celeritate et facilitate, suam quaeque provinciam administrare potuerunt. Sed, ut sunt vices humanarum rerum, saepe variato numero Congregationum, atque per legem vel ipsum usum mutata competentia, factum est ut unius cuiusque partes minus perspicuae fierent et nimis inaequales, ita ut aliis obtingerent pauciora negotia, aliis nimis multa. Atque haec quidem reformandi dederunt causam. Horum autem opportunam attulit inceptum opus leges canonicas in unum colligendi, ut Curia bene ordinata validior esset ad novas leges sapienter et efficaciter urgendas.

Ex ipsis causis eruitur reformationis finis, quem Pontifex esse dicit aptam et omnibus perspicuam Romanae Curiae ordinationem.

II. Reformationis subiectum est *Romana Curia ;* eam dico quae Ecclesiae universae negotia procurat, seu Romana Curia strictiore usu intellecta. Latius comprehendit multas Praelaturas honorificas quae Pontificiam maiestatem illustrant.

Praeter curiam Romanam quae Pontifici adest ut Pastori Universali, alia iuvatur ut Episcopus Urbis et Metropolita provinciae Romanae. Ad hanc pertinent variae Vicariatus Urbis administrationes.

Ut princeps Romanae dicionis, regia aula circumdatur.

III. *Dies* a qua reformatio vigere incipiet, indicitur 3ª novembris huius anni 1908. Ab illa die, curia Romana, exceptis Consistoriis, non subsistet nisi eius formae et figurae quae praesenti Constitutione adumbratur.

Curia ista complectitur *Congregationes Romanas, — Tribunalia, — Officia,* — quae communi dicasteriorum nomine interdum appellantur [1].

§ II. *Potissima Reformationis capita*

A. Conspectus generalis

1. Causae contensiosae, quae iudiciario ordine sunt tractandae, a S. Congregationibus revocantur ad tribunalia proprie dicta, nominatim ad S Rotam. Quod ius dicatur a iudicibus qui, omni facultate mutandi legem destituti, non possint nisi secundum legem sententiam ferre, id iuris cultoribus maxime placebit, praesertim cum antiquum Rotae tribunal famam non mediocris prudentiae sibi sit adeptum.

2. Pari prorsus necessitate, omnes iam Congregationum et Officiorum [2] sententiae, sive gratiae, sive iustitiae, approbatione pontificiae indigent ; nihilque in Curia Romana grave vel extraordinarium agi potest nisi a moderatoribus sit S. Pontifici ante significatum. Obsoletae itaque sunt opiniones quibus non nulli volebant alii Congregationi prae alia potestatem legiferam tribuere.

Supprimitur etiam varietas usus, quo omnia S. Officii acta, non autem aliarum Congregationum, a S. Pontifice approbabantur, et quo alia Congregatio, v. gr. Rituum, non autem alia, v. gr. S. Concilii, Decreta generalia per se edebat.

3. Perspicua iam fit potestas SS Congregationum, quae genere omnino eadem est, excepto privilegio quo certae causae criminales S. Officio reservantur. Potestas porro ista non est ferendi leges, sed sententias de sensu legum, concedendi gratias et dispensationes, et causas iudicandi in via disciplinari (quid hoc significet v. infra).

---

[1] Nos fugit cur usurpetur graecum istud vocabulum, quod tantum valet quantum vox *tribunal.* Fuere quidem (v. gr. SANTI-LEITNER, t. 31, nº 42), qui ipsas Congregationes describerent S. Sedis tribunalia. Nunc vero, cum iudicia contentiosa a sacris Congregationibus per se abiudicentur, vox ista minus propria est iudicanda.

[2] Congregationum dico et Officiorum, quia S. Rotae et Signaturae sententiae approbationem istam per se non requirunt ; et Moderatores (seu Praefecti) suis facultatibus dispensandi et concedendi gratias, sicut antea, uti poterunt.

4. Suppressa omni potestatis confusione, seu iurisdictione cumulativa, sua cuique Congregationi competentia definitur propria.

Huc spectat etiam munus Congregationi Consistoriali assignatum dirimendi « conflictus » seu dubia de competentia [1].

5. Annus, in omnibus Litteris apostolicis, a 1a ianuarii initium ducet, dum hactenus Bullae annum Incarnationis [2] (a XXV martii) indicabant.

Praeterea, dum varius erat expeditionis modus, iam unicus subsistit, id est *via Cancellariae*, cuius normae nuntiantur novae.

6. Plurium Congregationum, ut magis postea apparebit, nota propria mutatur.

7. Ipso ordine quo Constitutio Congregationes numerat, quandam deprehendere videmur Congregationum praecedentiam, dum antea vario ordine ponebantur, si demas Congregationem S. Officii, quae primum locum occupare pergit [3].

Constitutio enim vult ut « munere, *ordine*, competentia divisa.... maneant his legibus quae sequuntur ». Iam vero ordo quo Congregationes numerantur non videtur alius esse nisi ordo dignitatis. Non idem dixerim de tribunalibus, ubi inferius, seu prior instantia ante superiorem poni consuevit. Sic *S. Rota* nominatur ante *Supremam Signaturam*. — *Congregationes* etiam ante *Tribunalia* ponuntur, et haec ante *Officia*.

B. Reformatio Congregationum

I. *Reformatio numerica*. — Ex toto nova exsurgit C. *super disciplina sacramentorum ;* et C. *consistorialis* provinciam adeo ampliatam obtinet, ut fere nova dici possit.

Supprimuntur autem S. C. *Indulgentiarum et SS. Reliquiarum*, indulgentiis ad S. Officium, reliquiis ad S. Rituum Congregationem amandatis ; SS. Congregationes *pro relatione Episcoporum super statu dioecesis*, — *de eligendis Episcopis*, — *super examine Episcoporum, super residentia Episcoporum*, quarum partes Congregationi Consistoriali tribuuntur ; *C. specialis pro revisione Conciliorum*, quae cum C. Concilii confundetur ; *S. C. Immunitatis Ecclesiasticae*. Iam antea SS. D. N. Motu Proprio 26 maii 1906 [4] suppresserat C. *super statu Regularium et super disciplina regulari*. *S. C. Reverendae fabricae S. Petri*, cum non iam debeat nisi rem familiarem Basilicae Vaticanae curare, iam e Curia Romana exsulat.

---

[1] Antea, si quae contentiones vel dubia exorta essent, non poterant nisi speciali mandato S. Pontificis iudicari, sicut, 30 ian. 1879, dirempta est quaestio utrum ad Cardinalem titularem an ad Cardinalem Vicarium spectaret consecratio altaris in titulis cardinaliciis. (Decr. auth. S. Rit. n. 3478.)

[2] Hinc facilis ansa errandi. Ita C. *Officiorum et Munerum* ascribitur ad annum 1896, quia data ante 25 martii (25 ianuarii), dum vulgo ad annum 1897 est referenda. — Antea, LEO XIII iam suppresserat caracteres teutonicos seu longobardos, qua alia ratione Bulla a communi scribendi ratione differebat.

[3] In *Gerarchia cattolica* Congregationes quibus Papa praeest, ante ceteras numerabantur.

[4] Cfr. PERIODICA n. **132** (t. 2, p. 126).

Monet S. Pontifex se auferre etiam *S. C. Visitationis apostolicae* (quae pro Urbe exsistebat) atque eius iura ac munia ad peculiarem Cardinalium coetum devolvi. Hunc S. Pontifex constituet penes Urbis Vicariatum.

II. *Reformatio nominum et distributio rerum.*

1. *Congregatio S. Officii.*

a) Iam authentice appellatur nomine quod in Urbe erat consuetum, pro pleniore appellatione *Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis.*

b) Dogmaticam et moralem servat competentiam, et iudicia de criminibus haeresis vel quibus haeresis suspicio inducitur.

Moderari etiam pergit usum privilegii Paulini, dispensationes disparitatis cultus et mixtae religionis : quae res cum fide et haeresi artam habent coniunctionem.

c) Disciplinarem acquirit potestatem in indulgentias.

d) Amittit disciplinarem competentiam de praeceptis Ecclesiae. (Horum violatio suspicionem haeresis olim inferebat).

Amittit etiam sibi a SS. D. N. Pio Pp. X [1] commissam curam de electione Episcoporum, et relaxationem votorum religiosorum si qua conectebatur cum iudicio (quod servat) de obstinate apostatis ab Ordine vel a statu regulari.

2. *Congregatio consist rialis.*

a) Confirmatur in munere parandi agenda in Consistoriis.

b) Recuperat ampliatam competentiam de negotiis consistorialibus, ita ut Congregationem de eligendis Episcopis, etc. absorbeat. In locis enim C. Propagandae Fidei non obnoxiis, novas dioeceses et capitula, cum cathedralia tum collegiata constituit, dioeceses dividit, Episcopos vel administratores pontificios eligit, indicit et expendit processus super eligendis, horumque doctrinam periclitatur. Extra Italiam tamen, Secretaria status excipit documenta et conficit positionem C. Consistoriali subiciendam.

c) Acquirit traducta a C. Concilii, omnia quae ad dioecesium regimen spectant et omnem seminariorum administrationem.

d) Et, quod plane novum, dubia dirimit de S. Congregationum competentia.

3. *Congregatio de disciplina Sacramentorum :*

Variarum Congregationum partibus decisis concreta,

a) A S. Officio sumit dispensationes ieiunii eucharistici,

b) A S. Congr. Concilii causas matrimoniales quae tractantur non servato ordine iudiciario, dispensationes super rato, natalium restitutionem, dispensationes quae ordinandis concedendae sunt.

c) A pluribus Congregationibus dispensationes de loco, tempore sumendi vel servandi Eucharistiam, litandi sacrum.

d) A Dataria et Paenitentiaria, dispensationes matrimoniales fori externi.

4. *Congregatio Concilii :*

a) Amissa nota caracteristica, quam a formali disciplinae Tridentinae interpretatione acceperat, breviorem nominis rationem (sollemnius enim dicebatur *S. C. Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum*) servat maxime ob causam historicam.

Ei tamen tribuitur quod spectat ad Conciliorum celebrationem et con-

[1] Motu proprio 17 dec. 1903.

firmationem, suppressa Congregatione pro Conciliorum revisione [1].

b) Servat, ut sibi reservatam, disciplinam cleri saecularis et populi christiani; omnia proinde, praeter ieiunium Eucharisticum, quae spectant ad praecepta Ecclesiae, Missarum stipendia et obligationes, beneficia, officia, atque etiam sodalicia, seclusis Tertiis Ordinibus.

c) Ei adiungitur, ut specialis, Congregatio Lauretana [2].

5. *Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita.*

a) Reiectis ad Congr. Consistorialem vel Concilii causis Episcoporum et cleri saecularis, Congregatio quae negotiis Episcoporum et Regularium praeponebatur propria fit Congregatio religiosorum. Hi *ample accipiuntur*, ita ut eorum nota essentialis iam non sit in votis, sed in vita communi more religiosorum, constituta. Tertii Ordines saeculares etiam huic Congregationi sunt obnoxii.

b) Servat simul competentiam in causis mixtis, id est quae inter religiosos et alios, puta Episcopos, sunt dirimendae, in linea tamen disciplinari. Excipiuntur causae quae, ex negotii qualitate, ad S. Officium pertinent. Ita abusus sacramentalis confessionis.

6. *Congregatio de Propaganda Fide.*

a) Servata nota caracteristica, qua missionum regionibus deputatur, in varias Europae et Americae regiones, ubi hierarchia est restituta, iurisdictionem amittit. Sunt Anglia, Scotia, Hibernia, Hollandia, Luxemburgensis dioecesis, dominium Canadence, Terra nova et Foederatae Civitates Americae Septemtrionalis (Status-Uniti).

b) Acquirit Vicariatus Apostolicos, Praefecturas missionum quae hactenus ad C. super negotiis ecclesiasticis extraordinariis pertinebant: ita Russia, America latina.

c) Iubetur, quod usus iam habebat, ad peculiares Congregationes referre quae fidem attingunt aut matrimonium, aut sacrorum rituum disciplinam.

d) Amissa competentia in religiosa Instituta eorumque sodales qua tales, ipsis imperat qua missionariis.

e) Supprimitur specialis Praefectura Oeconomiae.

f) Unitam servat Congregationem pro negotiis *Rituum Orientalium*, quae intacta manet.

g) Cum ea coniungitur coetus *pro unione Ecclesiarum dissidentium.*

7. *Congregatio Indicis.*

a) Servata pristina provincia, simul partes magis activas assumit inquirendi in scripta prava et stimulandi Ordinariorum zelum.

b) Communicatione secreti, quod ad scripta noxia attinet, conexio istius Congregationis cum Congr. S. Officii simul demonstratur et firmatur.

8. *Congregatio Sacrorum Rituum.*

a) Principalem suam de ritibus competentiam servat, quae Ecclesia latina conceptis verbis circumscribitur.

b) In iuribus annexis, v. gr. praecedentiae [3], iam non versatur.

---

[1] Haec, vulgo dicta *Concilietto*, iam ex eius coetu constituebatur.

[2] Cf. *Sacrosancta*, 9 aug. 1698, INNOC. XII substituta Cardinali Protectori ad regendam exemptam Basilicam Lauretanam.

[3] SANTI-LEITNER, n. 104.

c) Pergere servat res Beatificationis et Canonizationis, quamvis restituatur S. Rota, quae olim in causis istis pronuntiabat.

d) Curam SS. Reliquiarum acquirit.

e) Tres coetus ipsi adiunguntur.

9. *Congregatio caerimonialis.*

Intacta manet.

10. *Congregatio pro negotiis Ecclesiae extraordinariis,*

Servata sua competentia propria in negotia quae ipsi committit S. Pontifex per Cardinalem Secretarium Status, praesertim de relationibus cum potestate civili, exclusivam suam iurisdictionem amittit in partes Russiae et Americae latinae.

11. *Congregatio Studiorum.*

Competentiam de studiis superioribus servat, ita ut eius curae in Universitates quas religiosi moderantur expresse transferantur.

12. N. B. Coetus *studiis provehendis*, sive *S. Scripturae*, sive *historiae ; Obulo S. Petri administrando ; Fidei in Urbe praeservandae*, in statu quo ante permanent.

C. Reformatio Tribunalium

I. *Reformatio numerica.*

Quod ad numerum attinet Tribunalium, reformatio huc potissimum spectat, ut erepta SS. Congregationibus contentiosa potestate, cum iudiciarius ordo servatur, duo tribunalia, quae nomine tantum supererant, novis legibus propriis restituantur viventia.

Ut *tribunal* simul exstinguitur *Camera Apostolica*, quae iam dudum nihil habuerat iudicandum.

II. *Reformatio nominum et distributio rerum.*

1. *Sacra Paenitentiaria.*

Ut ante, in foro interno versatur, matrimonialem fori externi competentiam amittit.

2. *Sacra Romana Rota.*

Omnem iurisdictionem stricte contentiosam, pro causis non maioribus, recuperat, ac ratione quam lex propria definit, ut solebat, causas inter varios turnos rotabit.

3. *Signatura Apostolica.*

Ut supremum cassationis tribunal restituitur.

D. Reformatio Officiorum

I. *Reformatio numeri.*

Observandum prius est nec nomine et, partim saltem, nec re officia gratiae ab officiis expeditionis distingui.

Dataria enim et *Secretaria status* ut officia gratiae et expeditionis simul constituuntur.

Supprimitur porro *signatura gratiae*, quae verbo tenus subsistebat, nec iam mentio occurrit secretariarum *Brevium et Memoralium.*

II. *Reformatio nominum et distributio rerum.*

1. *Cancellaria Apostolica.*

a) Praefectum servat, more a Bonifacio VIII restituto, Cardinalem, qui iam non *Vice-Cancellarius*, sed *Cancellarius* vocabitur. Nomine Vice-Cancellarii significari videbatur munus istud, per aliquod saltem tempus, ab Honorio III, non fuisse cardinalicium, sed praelaticium (id est Praelatis non Cardinalibus commissum).

b) Omnes iam *Litteras sub plumbo* expediet, atque ad hoc obiectum eius actio reducitur.

A Leone XIII iam non omnes Bullae, sed graviores tantum, *sub plumbo* expediuntur.

Varia autem pro clausulis et natura negotii vel votis partium offerebatur, ad expediendas Bullas, via *Cancellariae* ordinaria et extraordinaria, seu secreta, via *Camerae* (Apostolica), via *Curiae*, qualem secuta est praesens Constitutio.

Age porro, secundum novas normas, una supererit via Cancellariae.

c) Suppressis *Abbreviatoribus Parci maioris et minoris* [1], *Protonotarii Apostolici*, participantes de numero, eorum munus in subscribendis Bullis supplent.

2. *Dataria Apostolica*.

a) Praefectum obtinet Cardinalem, qui *Datarius* appellabitur. Antea Cardinalis officio isti praestitui consueverat. Quia tamen munus non erat per se Cardinalibus reservatum, Cardinalis cui committibatur nomine *Pro-Datarii* vocabatur.

b) Unice iam versatur in conferendis beneficiis non consistorialibus [2], et expediendis littteris Apostolicis quibus conferuntur; simul opportunas, in re ista, dispensationes largitur.

c) Competentiam in matrimoniales dispensationes amittit.

3. *Camera Apostolica*.

Servat, praesertim vacante Sede, curam et administrationem bonorum et iurium temporalium S. Sedis, secundum normas *Const. Vacante Sede*, 25 dec. 1904.

4. *Secretaria Status*.

a) Triplici iam parte constat. — Prima versatur in *negotiis extraordinariis* quae Congregationi huius nominis sunt proponenda; altera, in *negotiis ordinariis*, praesertim in conferendis honoris insignibus; tertia, in expediendis *Apostolicis Brevibus*.

b) Olim, non ita raro, praesertim per ferias, procurabat, praeter ordinem, omnis generis negotia.

Diserte iam iubetur negotiis extraordinariis abstinere, nisi ad Congregationem pro negotiis extraordinariis spectarint.

c) Secretarias *Brevium et Memorialium* in se absorbet.

5. *Secretaria Brevium ad Principes et Secretaria epistolarum latinarum* sua munia conservant.

§ III. *Reformatio, quatenus religiosorum et missionariorum praecipue intersit*

1. Dum, sub vario respectu, S. C. Concilii et S. C. Episcoporum et Regularium in religiosos iurisdictionem saepe cumulativam obtinebant, religiosi iam Congregationi negotiis Religiosorum Sodalium omnino obnoxii fiunt.

A pluribus ceterum annis S. C. Concilii causis religiosorum iudicandis fere abstinuit, nisi formalis postularetur Concilii Tridentini interpretatio.

---

[1] Parcus locum designat cancellis clausum, quo officiales a privato populo separantur. Parcus dicebatur *maior*, qui interior erat.

[2] Consistorialia sunt quae in Consistorio conferuntur: episcopatus in regionibus quae C. de Propaganda Fide non sunt obnoxiae.

2. S. C. de *Propaganda Fide* approbabat et plene regebat Instituta religiosa quae in locis suae dicionis condebantur vel missiones pro fine principali habebant. In posterum, religiosos non iam reget nisi ut missionarios. Poterunt tamen (quamvis iam non debeant) religiosi e locis quae C. de Propaganda Fide moderatur, et quotquot missionibus addicuntur, ut ante, omnia postulata ad Congregationem istam mittere, ac per eam omnes gratias gratis obtinere.

Id colligi posse arbitramur ex Const. *Sapienti* quae, agendo de Progaganda Fide, mere iubet ut quae ad religiosos qua tales pertinent ad Congr. Religiosorum negotiis praepositam *remittat* aut *relinquat*, sicut ad peculiares Congregationes deferre debebit causas fidei, matrimoniorum et S. Rituum. Porro, in annexis normis quibus, c. 10, prononitur Ordo adeundi S. Sedis officia, postremo loco (n. 15) confirmatur usus exemptionis qua S. C. Propagandae Fidei omnia in suae iurisdictionis locis gratis procurat.

Ut ante, pro fori interni negotiis, poterunt S. Paenitentiariam ipsi per se adire.

4. Dispensationes a iure communi obtinent omnes a S. C. quae negotiis religiosorum sodalium praeponitur. Dispensationes, ni fallimur, intellegendae sunt *personales*, quales pro ordinatione sunt ; namque quae ad *ritus* qua tales spectant arbitramur, ut ante, a S. Rituum Congregatione impetrandas.

5. Causae contentiosae religiosorum, *in linea disciplinari*, dirimuntur a S. C. negotiis Religiosorum praeposita ; idque, quod probe notandum, sive religiosus sit actor, sive ipse conveniatur.

Iudiciario ordine servato, causae eorum a Tribunali Rotae iudicantur, nisi sint reservatae S. Officio (ob haeresis suspicionem).

6. Ut missionarii, qua singuli vel qua simul sumpti, religiosi reguntur S. C. de Propaganda Fide.

7. Nec in regimine Missionum quicquam cernimus mutatum, nisi quod Vicariatus, Praefecturae ac missiones, quae hactenus pendebant a S. C. negotiis extraordinariis praeposita, iam ad dicionem Cis de Propaganda Fide traducuntur.

8. In normis communibus Congregationum, Tribunalium et Officialium, c. 10 statuitur aditum ad S. Sedes officia unicuique Christi fideli patere, qui per seipsum agere potest vel Procuratoris opera uti.

Hac facultate Religiosi non videntur excludi. Atque eorum Superiores maiores in numero Ordinariorum ponendi sunt qui *per se* agere possunt vel habitualem habere Prucuratorem.

§ IV. *Dubia quaedam specialia*

1. *Quaeres* de solutione in *linea disciplinari*, quid sit, quisnam eius usus.

R. Solutio in linea disciplinari definiri posse videtur, auctoritativa controversiae solutio ex eminenti potestate S. Sedis. Omisso tramite iuris, ex aequo et bono ea statuit quae, omnibus perpensis, expedire videntur. Minus ius strictum reddit quam oeconomice providet utilitati plus minusve generali Ecclesiae, vitae religiosae, disciplinae ecclesiasticae.

Ei locus proinde est cum, vel ex qualitate personae, vel causae natura, iudex iure stricto servando non tenetur, vel cum recurritur contra dispositionem Ordinarii, quae non est sententia iudicialis ; vel cum ambae partes iure stricto cedere possunt et cedunt.

Ita v. gr. in removendis parochis vel religioso, Episcopus vel Institutum causas et leges observare debent quibus S. Sedes eximitur.

2. Ad quamnam Congregationem vel ad quodnam tribunal querelae deferentur contra Episcopos ?

In linea disciplinari, videtur, pro causae argumento, recurrendum esse ad Congregationem Consistorialem vel Congregationem Concilii.

Si controversia fuerit cum Religiosis (actoribus vel reis), competens semper est Congr. Negotiis Religiosorum praeposita. In linea porro disciplinari examinantur appellationes a sententia non iudiciali Episcopi.

Iudicario ordine servato, causae spectabunt maxime ad S. Rotam, nisi maiores fuerint, quales sunt criminales. De his quandoque iudicabit S. Officium, quandoque tribunal quod S. Pontifex designabit.

3. Hactenus America latina erat Congregationi pro negotiis extraordinariis obnoxia. Cuinam in posterum subdetur ?

Cum America ista, praeter hierarchiam ordinariam etiam missiones complectatur, dioecesanae et saeculares administrationes partim ad Congregationem Consistorialem partim ad Concilii Congregationem pertinebunt ; res *religiosorum*, Congregationi negotiis religiosorum sodalium praepositae tribuentur, et missiones Ci de Proganda Fide addicentur.

4. Num in prima iam instantia S. Sedes adiri potest pro controversiis iudicialibus ?

Tribunal Rotae est per se tribunal secundae vel etiam tertiae instantiae. S. Pontifex tamen vel ultro rogatus eidem causas in prima instantia dicitur committere. Quare postulatio ad S. Pontificem per se necessaria videtur ut S. Rota causas in 1a instantia iudicet. Excipidiendae tamen videntur causae pro quibus aliud tribunal competentia carere videtur. Ita, v. gr. causae Religiosorum, quae ex *C. Sapienti Concilio* ad S. Rotam dicuntur deferendae.

Verum haec omnia, promulgato novo Codice canonico, magis perspicua fient. Atque haec satis sint de Reformatione quae, in locum disciplinae Tridentinae, nova aetas, Pii X inquam, exordium sumere videtur.

N. B. Plures declarationes de competentia sunt postea a S. C. Consistoriali datae. Hae conferendae sunt.

---

280. — S. CONG. INDULG. ET SS. RELIQUIAR.

DECRETA 18 SEPT. 1903 ET 4 IUL. 1908

Indulgentiae, Privilegia, etc. Tertii Ordinis Carmel. et Confratern. Scapul.

A. *Decretum ex aud. SSmi, 18 sept. 1903, de Tertio Ordine*

SUMMARUM INDULGENTIARUM, PRIVILEGIORUM, INDULTORUM SODALIBUS TERTII ORDINIS SAECULARIS B. MARIAE VIRGINIS DE MONTE CARMELO

I.

Indulgentiae plenariae

A) Tertiariis ex utroque sexu vere paenitentibus, confessis ac S. Communione refectis : *Condicio communis.*

Opera vel occasiones. Ingressus. Professio. Renovatio votorum. Conferentia.

1º Die ingressus in tertium Ordinem ;
2º Die quo primitus profitentur ;
3º Semel in anno, die quo professionem renovarerint ;
4º Quo die una simul ad contionem menstruam seu *Conferentiam* conveniunt ;

Exercitia spir.

5º Quotiens potioris vitae studio per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi vacaverint ;

Semel in mense.

6º Semel in mense, ad lubitum.

B) Iisdem Tertiariis, si uti supra dispositi ad mentem Summi Pontificis oraverint :

Benedict. Papales.

I. Bis in anno, Benedictionem nomine eiusdem Summi Pontificis accepturi ;

Plura festa.

II. Sequentibus festis diebus quibus Absolutionem Generalem acceperint:
1º Nativitatis D. N. Iesu Christi ;
2º Paschatis Resurrectionis ;
3º Pentecostes ;
4º SSmi Corporis Christi ;
5º Purificationis
6º Assumptionis } B. Mariae Virginis ;
7º S. Ioseph, Sponsi eiusdem B. V. ;
8º S. Teresiae Virg. ;
9º Omnium Sanctorum Ordinis.

Cum visitatione ecclesiae.

C) Iisdem Tertiariis, qui uti supra dispositi, Ecclesiam Ordinis, vel ubi Sedes Sodalicii invenitur constituta, vel earum defectu respectivam ecclesiam parochialem devote visitaverint diebus festis sequentibus :
1º SS. Trinitatis ;
2º Circumcisionis
3º Ascensionis } D. N. Iesu Christi ;
4º SS. Cordis Iesu ;
5º Purificationis
6º Assumptionis
7º Annuntiationis
8º Visitationis } B. Mariae Virginis ;
9º Nativitatis
10º Praesentationis
11º Imm. Conceptionis
12º S. Andreae Corsini Ep. Conf. (4 februarii) ;
13º S. Petri Thomae Ep. Mart. (14 vel 15 februarii) ;
14º S. Avertani Conf. (25 februarii) ;
15º S. Cyrilli Conf. (6 martii) ;
16º Feria V in Cena Domini ;
17º S. Ioseph Sponsi B. M. V. (19 martii) ;
18º B. Baptistae Mant. Conf. (23 martii) ;
19º S. Bertholdi Conf. (29 martii) ;
20º B. Ioannae Tolosanae Virg. (31 martii) ;
21º S. Alberti Ep. Conf. Ordinis Legisl. (8 aprilis) ;
22º Patrocinii S. Ioseph (Dom. III post Pascha) ;
23º S. Angeli Mart. (5 maii) ;
24º S. Simonis Stock Conf. (16 maii) ;
25º S. Mariae Magd. de Pazzis Virg. (25 maii) ;
26º B. Mariae V. de Monte Carmelo, *totiens quotiens* (16 iulii) ;

27° S. Eliae Prophetae (20 iulii) ;
28° S. Annae, Matris B. M. V. (26 iulii) ;
29° S. Alberti Conf. (7 augusti) ;
30° S. Ioachim Patris B. M. V. Conf. (Dom. infra Octavam Assumpt.) ;
31° Transverberationis Cordis S. Teresiae Virg. (27 aug.) ;
32° S. Brocardi Conf. (2 sept.) ;
33° S. Teresiae Virg. (15 oct.) ;
34° Omnium Sanctorum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo (14 nov.) ;
35° Die commemor. omnium defunctorum Ordinis, pro defunctis tantum (15 vel 16 nov.) ;
36° S. Ioannis a Cruce, Conf. (24 nov.) ;
37° BB. Dionysii et Redempti Protomartyr. Discalceatorum (29 nov.) ;
38° B. Franci Conf. (11 vel 17 decembris).

D) In mortis articulo, si, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SSmum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde invocaverint. *In morte.*

II.

Indulgentiae stationum urbis

Diebus Stationum in Missali Romano descriptis iidem Tertiarii, si ecclesiam Ordinis aut eam, in qua sedes sodalicii est constituta, earumque defectu propriam paroeciam visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, easdem Indulgentias consequuntur quas praefatis diebus lucrarentur si personaliter visitarent Ecclesias Urbis vel extra eam, ceteris tamen adimpletis condicionibus. *Indulg. stationum.*

III.

Indulgentiae partiales

A) *Quinque annorum totidemque quadragenarum*, si Sanctissimum Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint ; vel interfuerint antiphonae *Salve Regina*, quae diebus Sabbati et in Vigiliis festorum B. M. V. in Ecclesiis Ordinis a fratribus sollemniter cani solet. *Quinque annor. et quadragen.*

B) *Trium annorum totidemque quadragenarum*, in qualibet ex festivitatibus B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia, si devote visitaverint Ecclesiam Ordinis, vel Sodalicii, vel utraque deficiente, suam parochialem ecclesiam. *Trium annor. et quadrag.*

C) *Tercentorum dierum* quotiens aliquod pium opus pietatis vel caritatis corde saltem contrito ac devoto exercuerint. *300 dierum.*

Omnes et singulae hucusque recensitae Indulgentiae, excepta tamen plenaria in articulo mortis lucranda, sunt etiam applicabiles animabus in Purgatorio detentis. *Applicatio defunctis.*

IV.

Privilegia

1° Sacerdotes Tertiarii ad quodlibet altare missam celebrantes, gaudent indulto altaris privilegiati personalis tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo simile indultum pro alia die non obtinuerint. *Altare privilegiatum.*

2° Missae omnes, quae in suffragium celebrantur Sodalium defunctorum sunt semper et ubique privilegiatae. *Missae privilegiatae.*

V.

Indulta

Commutatio vel dispensatio pro Visitatione Ecclesiarum.

1º Tertiarii degentes in locis ubi nulla exstet Ordinis Ecclesia lucrari valent omnes Indulgentias fidelibus easdem Ordinis Ecclesias visitantibus concessas, ea condicione ut respectivam Ecclesiam parochialem visitent, ceteris servatis de iure servandis.

2º Tertiarii si sint infirmi, aut fuerint ob aliud quodcumque permanens impedimentum praepediti ne foris e domo prodeant, lucrari possunt easdem Indulgentias, dummodo, alia opera imposita adimplentes, loco communionis et visitationis Ecclesiae, opus aliquod a confessario constitutum perfecerint.

3º Tertiarii, qui in collegiis, seminariis aliisque communitatibus degunt, lucrari valent Indulgentias Sodalitati proprias, privatum respectivae domus Sacellum loco Ecclesiae Sodalicii visitando ceteris adimpletis condicionibus.

DECRETUM

Memorato decreto generali de indulgentiis Tertiariorum,

Oratores novum indicem **proponunt**.

In audientia 23 aug. 1903 **approbatur**

Dies (18 sept 1903).

Cum per Decretum huius S Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 28 iulii 1902, undequaque abrogatis omnibus Indulgentiis, quibus Tertiarii Saeculares cuiusvis Ordinis ob communicationem cum primo et secundo respective perfruebantur, Supremis Moderatoribus Religiosorum Ordinum proprium Tertium Ordinem habentium, praescriptum fuerit, ut novum Indulgentiarum Indicem pro suis Tertiariis proponerent, Prior Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, nec non Praepositus Generalis Carmelitarum Excalceatorum, tali mandato obtemperantes, novum praedictum Indicem elaborarunt, illumque huic S. Congregationi humiliter subiecerunt, quae, adhibita etiam quorundam ex suis Consultoribus opera, illum ad examen revocavit. Sanctissimus vero Dominus Noster Pius Pp. X. in audientia diei 23 augusti 1903, audita de his omnibus relatione facta ab infrascripto Cardinali Praefecto, ex Indulgentiis in supra proposito Elencho enumeratis, eas, quae olim Tertiariis directe tributae fuerant, benigne confirmavit, alias vero, loco earum, quibus vi communicationis gaudebant, clementer est impertitus ; simulque mandavit, ut in posterum utriusque Ordinis Carmelitarum, sive Antiquae Observantiae, sive Excalceatorum, Sodales Tertiarii in saeculo viventes, earum tantummodo participes evadant Indulgentiarum, iisque potiantur Privilegiis et Indultis, quae in praedicto Elencho recensentur. Quam concessionem eadem Sanctitas Sua perpetuis quoque futuris temporibus valituram esse voluit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 18 septembris 1903.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. † S.

Pro R. P. D. Franc. Sogaro, Archiep. Amid., Secr.
Iosephus M. Can. Coselli, Substitutus.

B. *Decretum S. C. Indulg. de Confraternitate Scapularis*

Summarium indulgentiarum, privilegiorum et indultorum Confratribus s. scapularis B. Mariae V. de monte Carmelo a romanis pontificibus concessorum

Qui rite acceptum scapulare gestant, consequentur :

Confratres, qui legitime acceperunt S. Scapulare a Sacerdote deputato per PP. Generales Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, aut de eorum assensu a PP. Provincialibus, et illud semper super humeros gestant, consequuntur sequentes Indulgentias et in'rascriptis Privilegiis et Indultis gaudent.

I.

Indulgentia plenaria

I. Condicionibus communibus, indulg. plen. certis diebus,

Si confessi ac S. Synaxi refecti Sodales ad mentem Summi Pontificis oraverint :

1° Die illa, qua, accipiendo S. Scapulare, Confraternitatem ingrediuntur ;

2° In festo Commemorationis B. Mariae V. de Monte Carmelo, die 16 iulii, vel una eiusdem mensis Dominica, iuxta locorum consuetudinem ;

3° Eodem die *quotiens* Ecclesiam vel publicum Sacellum visitaverint, ubi S. Scapularis Sodalicium canonice erectum reperitur ;

4° In una ex Dominicis cuiusvis mensis, si processioni a confraternitate, de Ordinarii licentia, peragendae interfuerint ;

5° In festo Pentecostes ;

6° Die Commemorationis Defunctorum Ordinis Carmelitici (15 novembris, vel, si dominica fuerit, die 16) ;

in articulo mortis.

7° In mortis articulo, si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS. Iesu Nomen ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint.

II.

Indulgentiae partiales

II. Indulg. partiales quinque annor. et quadrag.

1° Quinque annorum totidemque quadragenarum :

a) Semel in mense, die cuiusque arbitrio eligenda, qua Sodales confessi ac SS. Synaxi refecti iuxta intentionem Summi Pontificis oraverint ;

b) Si SS. Sacramentum, dum ad infirmos defertur, cum candela accensa et pro iisdem pias ad Deum preces fundendo, comitati fuerint ;

Trium annar. et quadrag.

2° Trium annorum totidemque quadragenarum in qualibet ex festivitatibus B. M. V. quae in universa Ecclesia celebrantur, si Sodales confessi S. Synaxi in Ecclesia vel Capella Confraternitatis refecti fuerint et ad mentem Summi Pontificis oraverint ;

300 dier.

3° Trecentorum dierum pro abstinentia singulis feriis IV et Sabbatis per annum ;

100 dier.

4° Centum dierum quotiescumque aliquod pietatis vel caritatis opus corde saltem contrito ac devote Sodales exercuerint ;

Septem annor. et quidragen. vel 300 dier.

5° Si Confratres, corde saltem contrito ac devote, Ecclesiam vel Capellam Sodalicii visitaverint :

a) Septem annorum totidemque quadragenarum quibuslibet infra annum feria IV et Sabbato ;

Applicatio defunctis.

b) Trecentorum dierum quocumque alio anni die. — Omnes et singulae praefatae Indulgentiae, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, etiam animabus fidelium defunctorum applicari possunt.

III.

Privilegia

III. Privilegium Sabbatinum.

1º Privilegium, vulgo dictum *Sabbatinum*, Summi Pontificis Ioannis XXII, a Clemente VII « Ex clementi » 12 aug. 1530, S. Pio V « Superna dispositione » 18 febr. 1566, Gregorio XIII « Ut laudes » 18 sept. 1577, aliisque approbatum et confirmatum ; nec non a S. Romana et Universali Inquisitione sub Paulo V die 20 ian. 1613 decreto tenoris sequentis : « Patribus Carmelitanis permittitur praedicare quod populus christianus possit pie credere de adiutorio animarum fratrum et confratrum sodalitatis B. M. V. de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in caritate decedentium, qui in vita habitum gestaverint, et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel, si recitare nesciant, Ecclesiae ieiunia observaverint, et feria IV et sabbato a carnibus abstinuerint (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit), suis intercessionibus continuis piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimae Virgini dicatus est, adiuturam. »

Et missarum privilegiatarum.

2º Omnes et singulae Missae, quae in suffragium celebrantur confratrum, eodem gaudent privilegio ac si in altari privilegiato celebratae fuissent.

Absolutio generalis.

3º Absolutio generalis cum Indulgentia plenaria in articulo mortis Sodalibus impertiri potest a facultatem habente, vel, eo deficiente, a quovis Confessario approbato.

IV.

Indulta

IV. Indulta pro condicione visitandae ecclesiae.

1º Omnes Confratres, si in locis versantur ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur Ecclesia, omnes Indulgentias ab Apostolica Sede eiusdem Ordinis Ecclesiis concessas vel concedendas lucrari possunt, si, ceteris condicionibus adimpletis, parochialem Ecclesiam statis diebus devote visitaverint.

Ubi autem existit aliqua Confraternitatis Ecclesia, hanc tenentur Sodales ad easdem Indulgentias lucrundas visitare, nisi plus quam unius miliarii spatio distet.

2º Sodales, qui menstruae processioni commode assistere nequeunt, plenariam Indulgentiam sub num. 4º relatam lucrari valent, si, ceteris positis condicionibus, Cappellam respectivae Confraternitatis eadem die visitaverint.

3º Ubi processio praedicta locum non habet, vel Confraternitas erecta non reperitur, Confratres plenariam memoratam Indulgentiam Dominica III cuiusque mensis lucrantur, si, ceteris adimpletis, quamcumque Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint.

Approbatio elenchi.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium ex authenticis documentis excerptum approbavit typisque imprimi ac publicari benigne permisit.

(Dies (4 iul. 1908 .

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 4 iulii 1908.

D. Panici Archiep. Laodicen., Secret.

281. — S. C. DE PROP. FIDE (PRO NEGOTIIS RIT. ORIENTALIS)

INSTRUCTIO 15 IUL. 1908

De ratione qua Missae ad Orientales Eccl. sint transmittendae

Cum plures praelati enucleatas instructiones postulaverint circa modum quo transmitti possint Missae ad Ecclesias rituum orientalium, haec S. C., ad tramites recentiorum Decretorum, has distinctas normas proponit ab omnibus ad amussim servandas :

Ut plurium Praelatorum votis satisfiat praecipiuntur hae normae :

1° Si qui velint Missas, quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc praestare possunt non modo per hanc S. C., uti praecipitur in Decreto *Recenti* S. C. Concilii (die 22 maii 1907) [1] sed etiam per R^mos Delegatos Apostolicos in regionibus orientalibus constitutos. Quo in casu, necesse est significare Delegatis Apostolicis quot Missae et quae stipendiorum summa tradi debeant praelatis orientalibus intra cuiusque Delegationis ambitum exsistentibus.

Missae mitti possunt per S. C. vel Delegatos, certiorandos de numero et stipendio,

2° Nullatenus licet eleemosynas mittere ad viros laicos qui postea eas distribuant sacerdotibus Missas celebraturis.

Non autem ad laicos.

3° Neque licet celebrationem Missarum directe commitere presbyteris orientalibus.

Nec ad presbyteros Orient.

4° Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores Congregationum religiosarum orientalium.

Nec ad Superiores Congr. Orient.

5° Immo neque licet Missas directe committere Praelatis orientalibus qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

Nec ad Praelatos Orient.

6° Si vero agatur de Antistitibus habentibus iurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab episcopis et sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subiectorum, uti declaravit S. C. Concilii die 18 martii 1908. Ne autem, ex pluribus locis simul, multae eleemosynae confluant in unam et eandem dioecesim (quod nimiam dilationem in Missis celebrandis secum ferret) ; ideo qui committit eleemosynas alicui Praelato orientali, certiorem faciat de numero Missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis [2] ad quem spectat vigilare ut Missae, ea qua par est sollicitudine, celebrentur.

Exceptis Episcopis residential. pro ipsorum sacerdotibus.

Certior tamen faciendus est Delegatus.

Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide, die 15 iulii 1908.

F. H. M. Card Gotti, *Praef.*

Aloisius Ghiesa Officialis.

Dies (15 Iul. 1908).

In delegatione Apostolica Constantinopolitana :

Delegationum et eccl. orientat. conspectus.

Ecclesiae ritus Armeni :

Constantinopolitan., Adanen , (*Adana*), Ancyran., Bursen., (*Brussa*), Caesareen-Ponti, Erzerumien., (*Erzerum*), Sebasten. (*Sebaste* aut *Sivas*), Tokaten., (*Tokat*), Trapezuntina, (*Trebisonda Trébizonde*).

---

[1] Cfr. Periodica, n. 215 (t. 2, p. 138).

[2] Claritatis gratia recensentur in annexo folio singulae Ecclesiae rituum orientalium intra cuiusque Delegationis ambitum exsistentes. (Nomina quae indicabantur italice restituimus latina, addito, ubi utile videretur, intra ( ) nomine vulgari.)

Ecclesiae ritus Bulgarici :

Vicariatus Apostolicus Thraciae (*Andrinopoli*). Vicariatus Apostolicus Macedoniae (Salonae, Salonico, Salonique).

In delegatione Apostolica Syriae :

Ecclesiae ritus Armeni :

Aleppen., (Aleppo vel Beroë), Marascen., (*Marasc.*)

Ecclesiae ritus Graeco-Melchitae.

Aleppen., Heliopolitan., Beryten., (*Beyrouth*), Bostren. et Auranen., (*Bosra et Auran*), Damascen., Emesen. et Apamen. (*Homs* et *Hama. Emèse* vel *Horns* et *Harna* vel *Apamée*) Caesarien. vel Panaen. (*Paneas, Césarée de Philippe*), Sidonien. Ptolemaiden., (*Tolema'de* seu *S. Giovanni d'Acri, Ptolémais, Saint Jean d'Acre*), Tyren., Tripolitan. Mariamnen. (*Zahle* vel *Fourzol*).

Ecclesiae ritus Syriaci :

Aleppen., Beryten., (*Beyrouth*), Damascen., Emesen. et Apamen.

Ecclesiae ritus Syro-Maronitici :

Aleppen., Heliopolitan., (*Balbek, Balbeck*), Beryten , Cippen. Damascen., Gibailen. et Botryen., (*Gebail* et *Batrun*, vel *Botri*), Tyren , Tripolitan., Sidonien., (*Sidone sidon*, vel *Saida*).

In delegatione Apostolica Mesopotamiae :

Ecclesiae ritus Armeni :

Amiden., (*Diarbékir* vel *Amida*), Karputhen., Marden. et Amiden. Melitenen , (*Malatia, Mélytene*), Muscen., (Musc.).

Ecclesiae ritus Syriaci :

Babylonen , (Bagdad), Amiden., Jaziren., (Gezira), Marden. et Amiden. Mausilien , (Mossul, Mossoul).

Ecclesiae ritus Chaldaici :

Babylonen., Amiden., Jaziren., Marden., Mausilien., Zakuen., Amadien., Ahren., Cherchen., (*Kerkuk, Kerkouk*), Serten., (*Seerth*), Salmasien , Schanen., (Sena vel Sina), Urmian..

In delegatione Apostolica Aegypti :

Ecclesiae ritus Armeni :

Alexandrin.

Ecclesiae ritus Copti :

Alexandrin., Hermopolitan., (*Hermopoli, Hermopolis Majeure* vel *M'n'eh*), Theban.

In delegatione Apostolica Indarum :

Ecclesiae ritus Syro Malabarici :

Vicariatus Apostolici : Ernaculamen., (Ernaculum), Changanacheren., (Changanachery), Trichurien., (Trichur).

Annotationes

1. Instructione ista interpretatio confirmatur quam, post R. D. Besson, dedimus in his Periodicis (t. 2, p. 141), et quae valet ad plures scrupulos sedandos et non paucas tollendas difficultates. Id est : ecclesiae « in

Oriente sitae », ad quas decretum *Recenti* vetat ne missae exuberantes a sacerdotibus directe mittantur, sunt ecclesiae rituum *orientalium*, ut nunc conceptis verbis dicitur, minime autem communitates *latinae* quae in regionibus Orientalibus sint constitutae. De nova itaque sanctione ad Vicarios Apostolicos latinos vel missionarios latinos nihil attinet.

2. Decreti *Recenti* rigor aliquatenus temperatur, cum missae directe mitti possint ad Episcopos vel Antistites, etiam Orientales, si modo sedem ibi residentialem occupent easque pro suis sacerdotibus accipiant. Transmittentes tamen certiorem de re facere iubentur Delegatum Apostolicum, qui etiam observare debet num missae accurate celebrentur.

---

282. — S. CONGR. CONCILII

RESOLUTIONES 27 IUL. 1908

De forma Sponsalium et Matrimonii

I. Utrum ad valida ineunda sponsalia partes teneantur subsignare scripturam unico contextu cum parocho seu Ordinario, aut cum duobus testibus ; an potius sufficiat ut scriptura, ab una parte cum parocho vel cum duobus, testibus subsignata, remittatur ad alteram partem quae vicissim cum parocho vel cum duobus, testibus subscribat.

II. An ad sponsalium validitatem in scriptura sit apponenda data, seu ascriptio diei, mensis et anni.

III. An vi decreti *Ne temere*, etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda, ab Ordinario vel a parocho exquirendus et excipiendus sit contrahentium consensus.

IV. Utrum ad valide et licite matrimoniis assistendum, ad tramitem art. VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis.

V. An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit, — in quibus tamen si peteretur haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi, — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida.

VI. Utrum ratione momentanei, inopinati et fidelibus prorsus incogniti transitus per aliquem locum, a quo iam a mense missionarius abest, interrumpi dicenda sit illa rerum condicio de qua in art. VIII decreti.

VII. An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium, praesertim : 1° quod ad sponsalium celebrationem ; 2° quod ad matrimonia ex dispensatione contracta a baptizatis cum non baptizatis ; 3° quod ad matrimonia contracta inter catholicos qui sub paganorum potestate sunt constituti.

VIII. Utrum subditi dioecesis Damaensis, in dioecesi tamen Bombayensi commorantes, et e converso subditi dioecesis Bombayensis degentes in dioecesi Damaensi, ut validum et licitum ineant matrimonium, teneantur se sistere dumtaxat coram parocho personali, vel possint etiam coram parocho territorii.

IX. An et quomodo providere expediat casui quo parochi a lege civili graviter prohibeantur quo minus matrimoniis fidelium assistant nisi praemissa caerimonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio.

Et Sacra Congregatio Concilii, in plenario consessu habito, die 27 iulii, 1908, in Palatio Vaticano, ad praeposita dubia respondit :

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative, servatis ad liceitatem, quod ad reliqua, praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.

Ad IV. Quod ad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, et restrictam ad territorium delegantis.

Ad V. Negative.

Ad VI. Negative.

Ad VII. Quod ad primum, negative. Quod ad secundum et tertium concedendam esse Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus.

Ad VIII. Dilata.

Ad IX. Non esse interloquendum.

ANNOTATIONES

1. Praescripta dubia exhibentur nobis a R^mo Secretario S. Congregationis tamquam selecta inter non pauca alia quae ad S. Congregationem pervenerunt sed minore attentione sunt digna, « cum potius inter cavillationes sint accensenda [1]. » Omissa nova doctrinali inquisitione, de qua libellus noster adiri potest, ea pauca dicemus quae ad distinctum solutionum intellectum satis erunt.

2. *Primi dubii* occasio fuit postulatio Albanensium, apud quos usus vetat ne ante matrimonium sponsa cum sponso simul esse possit et procurator difficulter constitui possit ita saltem ut de eius mandato legitime constet, cum extra urbes pauci admodum scribere noverint [2].

Nihilo minus S. Congregatio, non tantum, ut ipsi scripseramus, postulavit ut testes ipsi partium subscriptioni interessent, sed etiam, contra atque opinabamur [3], simultaneam *utriusque partis* et testium (vel testes qualificati) praesentiam et subscriptionem declaravit esse necessariam.

Itaque, suppressis sponsalibus per litteras, sponsalia inter absentes non poterunt nisi constituto procuratore fieri.

3. *Alterius dubii* resolutio ad sollemnitatem pacti sponsalicii necessitatem addit apponendae datae et quidem ita intellectae ut annum, mensem, diem comprehendat.

Ex usu quo solemus in scribendis actis diem notare, facilis existimari potest exsecutio condicionis quae utilitatem habet suppeditandi aliqualem temporis notitiam.

---

[1] Ita Secretarius scribit in folio dubiorum.

[2] Haec mutuamur ab expositione consultoris P. P. OIETTI, S. I.

[3] N. 34.

Aliqualem, inquam, namque ex authentico actu tantum dies plene fit certa, cum partes quae de substantiali pactione consentiant, facile, si accedat causa, de falsa diei indicatione conveniant. Diei igitur appositio minime securitatem istam dabit quam praedicabat consultor, id est demonstrandi quaenam, ex pluribus sponsalium actis, prioritate temporis sint praeferenda. Qui enim, fide fracta, nova sponsalia inire statuerint, diem veram, nisi aliis indiciis probetur, dissimulare non dubitabunt.

Verum ultro exsurgit haec quastio. Quid si voluntario vel non voluntario errore dies falsa sponsalicio instrumento apponatur ? Valebitne, an contra, cum diem indicare non videatur qui diem mentiatur, eritne substantiali vitio corruptum ? Et valere quidem putare possis, cum non expresse exigatur ut dies indicetur *vera*. Ex analogia tamen iuris civilis quod, exigendo datam, S. Congregatio imitari voluit [1], respondendum videtur.

Iam vero falsa data infirmat actam cui, ad valorum, data erat apponenda. Nominatim de testamento privato tunc tantum censent actum falsa diei indicatione non vitiari, si falsitas involuntaria fuerit et ex ipso testamento vera dies erui possit. Idem in praesenti causa tenebimus. Cfr. v. gr. AUBRY et RAU, *Cours de droit civil français*, t. VII, § 668, p. 104.

4. *Tertium dubium*, de modo quo parochi matrimoniis mixtis interresse debent, ea ratione iam authentice solvitur quam in nostris Commentariis putabamus certam. Passiva parochi assistentia numquam sufficere potest. Quotiescumque ergo munus suum testes qualificati exercere permittuntur, debet parochus active quaerere et excipere partium consensum. Ceterum, ut observat consultor theologus, R. P. FR. ALOYSIUS A TABIA (O. M. Cap.), passivus iste assistendi modus usu potius quam lege scripta erat inductus ; nec erat generaliter praeceptus nisi in iis matrimoniis mixtis quae sine dispensatione Ecclesiae sacrilege celebrabantur, assistente tamen parocho, ad maiora mala vitanda.

5. Optime etiam, *quartum dubium* solvendo, S. Congregatio inculcat principium, delegationis ius minime esse immutatum, excepta necessitate eam dandi sacerdoti determinato et certo, atque in suo (delegantis) territorio exercendam.

6 *Quinti dubii* solutio ex decreto *Ne temere* satis facile colligi poterat. « Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab iis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit. » Lege, his verbis expressa, sponsi permittuntur coram duobus testibus formaliter in matrimonium consentire. Iam vero, si absque gravi incommodo sacerdos competens vel acciri potest vel adiri, patet eius copiam non abesse. Debuit ergo S. Congregatio *negative* respondere, et alia tantum motus consideratione, id est difficultatis perpendendi gravitatem incommodi vel cognoscendi facultatem vocandi sacerdotem, alter consultorum proposuit ut S. Congregatio admitteret satis esse ut per mensem Missionarius afuerit.

Unum tantum observamus, facultatem habendi sacerdotem aestimandam

---

[1] Observes tamen in pactionibus iuris civilis quae privata scriptura fieri permittuntur, datam per se omitti posse. Hoc fugit Consultorem, qui regulam actus *authentici* ad actum privatum, qualia Sponsalia sunt, traduci posse exsistimavit. Cfr. AUBRY et RAU, t. VIII, § 756, p. 222.

esse ex facilitate *generali*, non ex ea quam divitiae paucis parare possunt. Quare, si divites tantum possint iter illud sine gravi incommodo suscipere, ne ipsi quidem missionarium adire debebunt.

7. Eodem art. VIII legis, haec altera ponitur condicio regiminis benignioris, ut inopia sacerdotis *a mense* iam duret. Hinc *dubium VI* quo petitur num accidentalis et incognitus transitus missionarii sufficiat ad mensem istum interrumpendum. Hoc sapienter negavit S. Congregatio. Ut enim observant Consultores, ea tantum praesentia attendenda est quae nupturientibus utilis esse possit ; sin aliter, inopia sacerdotis omnino subsistit. Requiritur ergo ut praesentia missionarii satis cognoscatur, volueritque ipse operam suam ministerio sacro praestare. Casus a Vicario Apostolico Coreae erat propositus. Narrabat contingere ut missionarii ad sacramenta moribundis ministranda per regionem unde a mense aberant, ita transirent ut in regione nullum exercerent ministerium et eorum transitus plerosque lateret.

8. *Dubii VII* auctores fuere Vicarii Apostolici Sinenses. Novem ex iis postularunt ut Ecclesia rata haberet sponsalia de futuro a parentibus pro filiis contracta. Qui mos est perpetuus Sinensium, isque lege civili approbatus.

Quod tamen S. Congregatio concedere noluit, nec concedandum putarunt Consultores. Severitas quidem ista, sic arguebant, impeditura videtur sponsalia ; verum nulla habetur huius contractus necessitas, ob quam tantopere optatam regiminis unitatem dissolvere oporteat. Ac praeterea de naturali valore huiusmodi sponsalium, in quibus sponsi nullas partes habeant, etiam ambigi potest.

Exposuerunt praeterea Vicarii Apostolici Sinenses a servanda Decreti forma saepe impeditum iri catholicos qui cum non baptizatis, ut ibi non raro est concedendum, nuptias contrahere permittuntur, aliosque qui sub paganorum potestate sunt constituti. Huic difficultati ampla dispensandi potestate providere placuit.

9. *De octavo dubio* controversia erat inter Antistitem Bombayensem et Damaensem. Hic parochi personalis privilegium defundebat, motus etiam timore ne secus orirentur discidia et perverteretur ordo de quo pactio cum Rege Lusitaniae est facta. Ille vero, decreto *Ne temere* nixus et declarationibus superioribus, contendebat parocho territoriali etiam competere iurisdictionem quam semper exerceret valide, licite autem post mensem commorationis in territorio. Consultor validitatem concedebat, negabat liceitatem, quia ipse opinabatur menstruam commorationem fidelibus sub personali parocho constitutis non prodesse. Et S. Congregatio responsum differre maluit, ideo fortasse quia difficultates cum civili Lusitaniae gubernio sint praecavendae.

10. Hanc ipsam sollicitudinem causam fuisse suspicamur cur S. Congregatio ad *nonum dubium* responderit *non esse interloquendum*, id est, deliberationem et responsionem esse omittendam. Dubium istud est a Rumeno Archiepiscopo Iassiensi propositum, casumque attingit quem etiam in aliis regionibus, ut Hollandia, Belgio, accidere merito observat alter Consultor, qui tamen momentum difficultatis ac frequentiam casuum non plene persensisse videtur.

Durum profecto est viro christiano iure privari contrahendi nuptias quas Ecclesia probat. Iam vero, in variis istis regionibus, sescenti nuptiis

civilibus prohibiti arcentur etiam matrimonio catholico, cum parochus, poenis civilibus deterritus, suam assistentiam iure ac merito detrectare consueverit. Quod si tunc, ut saepe accidit, pro nuptiis fiat concubinatus, malum ex privato fit, ob scandalum, commune paroeciae.

Age porro, postquam S. Congregatio responsum declinavit, quaeres fortasse *num remedium quodpiam suppetat ad minuendum malum.*

Et duplex quidem iniri potest via. Antistites enim generali facultate munire se possunt dispensandi a praesentia parochi. Quam facultatem S. Sedes non videtur negatura esse, cum in responsione ad VII eandem declaret esse concedendam. Sed ipse usus dispensationis lege civili multari facile potest.

Quod si Antistites hac facultate sint destituti, nonne possint sponsi catholici sic ratiocinari : A natura et ab Ecclesia, ius nobis est contrahendi nuptias. Cum parochus ministerium suum detrectet, formam implere omnino non possumus. Ballerini [1] autem, aliis auctoritatibus innixus, contendit in casu huiusmodi legem irritantem cessare. Ipsa S. Congregatio, anno 1785, forma tridentina immunes iudicavit pauperes qui in insula Curaçao coram proprio parocho contrahere non poterant ob legem civilem, nisi soluta summa 50 florenorum. Simili genere obstaculi, nos et bene multi alii, in nostra regione impedimur.

Praeterea est auctor probatus, Consultor S. Congregationis Concilii, P. Oietti, S. I. qui existimat dispositionem art. VIII ad nostrum casum transferri posse. [2] Quare, coram duobus testibus consensum dabimus matrimonialem, quem opinio probabilis efficacem et licitum pronunciat.

His quidem rationibus pauca putaverimus esse opponenda, dummodo dicti sponsi prius parochum rogaverint ut velit ipsorum nuptiis interesse et deinde satisfaciant iussioni art. VIII quo iubentur nomina mittere tabulis nuptialibus inserenda.

Immo, ubi immineat vel iam exsistat concubinatus, non improbaverimus virum catholicum qui concubinariis hanc agendi rationem suaserit, ad consulendum eorum conscientiae et sic, planiore modo et sine ullo periculo offensae civilis, ad inducendum usum qui voto expleat eorum qui de nono dubio S. Congregationem interrogarunt.

---

283. — S. CONG. EPISC. ET REGUL.

IUDICIUM 17 APRIL. 1907

Pinerolien. *Exemptionis*

Species facti.

In Constitutionibus Monialium Visitationis B. M. V. n. 50 statuitur vocandum esse a Monialibus parochum loci pro Monialium sepulturo. Quod statutum S. Franciscus Salesius iia in Directorii art. XV explicat : parocho, qui moniales sepelire debet, nullum aliud ius competere in Monasterium vel ecclesiam, praeter ius sepeliendi, quod ex mente S. Fun-

[1] *Opus morale*, t. 3, n. 319 sq.
[2] *In ius antepianum et pianum*, etc. n. 122.

datoris, signum et pignus foret coniunctionis Congregationis cum corpore ecclesiastico.

Ob natas tamen difficultates, moniales a Visitatione civitatis Pineroliensis, anno iam 1788 ab Episcopo et anno 1817 a S. Pontifice dispensationem ab hac Constitutione impetrarunt, ita ut sepultura ad Confessarium spectaret. Quod etiam confirmavit responsum S. Congr. Episc. et Regul. datum 30 nov. 1853.

Postquam autem anno 1866 lege civili vetitum est ne sepulturae fierent in ecclesiis vel propriis religiosorum coemeteriis, moniales ab Episcopo petierunt ut definiret quo pacto, factis, sicut ante, exsequiis in monasterio, corpus deferretur in commune coemeterium, sine incommodo pro Parochia, cui emolumenta debita traderentur.

Episcopus porro ius levandi corpus et deducendi ab monasterio ad coemeterium tribuit parocho loci, ita ut etiamsi alter funus duceret, iura stolae reciperet, quae iura dein 20 fr. sunt taxata.

Per 39 annos viguit ista ordinatio, donec, occasione mutatae parochi personae utentes, moniales plenam vindicarunt sibi exemptionem, atque, obstante capitulo canonicorum ad quod habitualis cura porochiae spectat, causam ad S. C. Episcoporum et Reg. detulerunt. Haec autem, proposito dubio ;

Se il Decreto emanato da Mons. Rinaldi, vescovo di pinerolo in data 5 maggio 1866 si sostenga nel caso [1].

Respondit :

Ad mentem. Mens est quod, attentis omnibus in casu, ad Confessarium Monialium spectat ius agendi exsequias super cadaveribus earundem monialium, eaque associandi ad publicum coemeterium, dummodo tamen associatio fiat recto tramite et sine pompa.

Annotationes

1. S. Congreg. *ad mentem* respondisse videtur, quia de valore vel nullitate decreti episcopalis nihil directe definire voluit.

2. Pro Monialibus faciebat cum ius Regularium commune quo sepultura Monialium Confessario permittitur, tum decreta S. Sedis quibus dispensatae erant a Constitutione 50 secundum quam sepultura parocho tribuitur.

3. In sua tamen relatione, Secretarius obiciebat, derogationem concessam esse ad vitanda quaedam incommoda, quae ad ipsam clausuram haberent respectum ; ac proinde, cum iam de delatione ad publicum coemeterium ageretur, eandem, ob mutata substantialiter adiuncta, iam desiisse. Manere tunc constitutionem Ordinis Visitationis.

Sed, ut observat Boudinhon, Canon. contemp. 30 (1907) 494, eo quod Moniales parochum vocare iubeantur suis Constitutionibus, non constat parocho *ius sepulturae* competere. Nonne contra, ex ipso Directorio, videtur spontaneum esse obsequium potius quam communis Regularium exemptionis exceptionem. Dum sua ordinatione 1866 Episcopus parocho verum addicebat ius.

---

[1] Latine: Num decretum quod Episcopus Pineriol. Ill. D. Rinaldi, 5 maii 1866 sustineatur in casu.

Praeterea, illud fortasse addi potest, rem plane novam statuisse Episcopum dum post exsequias a Confessario celebratas, deductionem corporis parocho assignaret. Hanc iurium divisionem ipsae Constitutiones ignorabant.

Cum ipso Consultore arbitramur itaque monialibus istis ius commune non fuisse negandum.

Obiciebat etiam praescriptionem quae, ut putabat Secretarius, locum habere poterat, quia non agebatur de privilegio, quod *per non usum* non amittitur, sed de exceptione Constitutionis contra quam exceptionem parochus praescribere possit.

N. B. SANATIONES INSCRIPTIONUM INVALIDARUM

1. Indulto 4 febr. 1908, Inscriptiones in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo ad 4 febr. 1908 peractae, sanantur ex quacumque causa fuerint nullae.

2. Indulto 17 iun. 1908, sanantur quoque ascriptiones ad Congregationes Beatae Mariae Virginis et Bonae Mortis cum quocumque defectu peractae sint.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Van de Burgt, R. D. *Tractatus de matrimonio*, quem novissimis S. Sedis legibus et decisionibus, praesertim decreto S. C. C *Ne temere*, adoptavit et tertio edidit A C. M. Schaepman. 1 vol. in-8, 360 p. Ultraiecti (Hollandiae) 1908.

PARS PRIMA. De matrimonio eiusque proprietatibus ; de Sacramenti materia, forma, ministro, deque inseparabili nexu contractum inter et sacramentum ; de subiecto matrimonii.

PARS ALTERA. De impedimentis matrimonii.

Gennari, Card. *Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio*. Edizione quinto, con altra giunte e correzione. 1 vol. in-8, 68. p. Romae, 1908. Cfr. PERIODICA.

Miguel De Arquer, R. D. *Comentario sobre el decreto « Ne temere »*. 1 vol. in-8, 96 p. Barcelona, 1908.

Capitulo primero. De los Esponsales.

Capitulo segundo. Del Matrimonio.

Xavier de Franciosi, S. I. *Le Sacré Cœur de Jésus et la tradition. Documents recueillis chez les Pères, les Docteurs, les hagiographes, etc.* Tournai, Casterman, 1 vol. grand in-8, VIII-747 pages. Deuxième édition, 1908.

Préface. Table chronologique. Table alphabétique.

Matthew L Fortier, S. I. « *In Thy Courts* », (*La vocation à la vie religieuse*), translated from the Frensch of LOUIS VIGNAT, S. J.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

New York, Longmans. 1 vol. in-18, XIV-61 pages, 1908.

I. Jesus Christ and the religious life.

II. The call of Jesus Christ.

III. How the divine call is made manifest.

IV. The struggle for a vocation.

Lintelo, J. (S. I.) *Triduum Eucharistique et instructions sur la Communion quotidienne, d'après les Décrets de Sa Sainteté Pie X.* 1 vol. in-8, 125 pages. Tournai, Casterman, 1908. Prix 0,75 fr.

Première partie. Documents et industries.

Deuxième partie. Instructions.

Troisième partie. Après le triduum.

Guilhem, R. D. *Les litanies du Cœur de Jésus étudiées dans l'ordre chronologique en l'honneur de Notre-Dame du Rosaire de Lourdes.*

Ouvrage honoré d'une lettre du Saint-Père.

1 vol. in-8°, CLV-425 pages. Marseille, Imprimerie marseillaise, 1908.

Livre premier. Amour du Cœur de Jésus étudié dans ses origines.

Livre deuxième. L'amour du Cœur de Jésus dans sa vie privée.

Livre troisième. L'amour du Cœur de Jésus dans sa vie publique.

Livre quatrième. L'amour du Cœur de Jésus dans la pratique de toutes les vertus.

Livre cinquième. L'amour du Cœur de Jésus dans sa prière et dans son agonie au Jardin des Oliviers.

Livre sixième. L'amour du Cœur de Jésus dans sa voie douloureuse, portant sa croix.

Livre septième. Le Cœur de Jésus montre son amour en mourant sur la croix pour sauver le genre humain,

Livre huitième. L'amour du Cœur de Jésus dans sa Résurrection.

Livre neuvième. L'amour du Cœur de Jésus dans son Ascension.

Livre dixième. L'amour du Cœur de Jésus, manifesté à son Eglise, d'une façon éclatante au fin de la Pentecôte.

Livre onzième. L'amour du Cœur de Jésus, manifesté dans l'Eucharistie.

Livre douzième. L'amour du Cœur de Jésus fait les délices de tous les saints, dans les parties de son Eglise.

Conclusion.

(Sine nomine) *Handelingen van het IVe internationaal Congres (VIe conferentie) der Christelijke textielarbeiders-organisaties van Duitschland, België, Nederland, Oostenrijk, Zwitserland en Italie*, gehouden 12-15 Aug. 1907, te Zurich. 1 vol. in-8, 162 p. Enschede, (Holland) 1908.

Nève, Paul. *La philosophie de Taine. Essai critique.* Louvain, Institut Supérieur de philosophie. 1 vol. in-8, XVI-359 pages, 1908. Chap. I. La vie de Taine.

Première partie. *Les causes.* Chapitre II. Les causes dernières. La métaphysique. Chap. III. Les causes subordonnées. Le monde. Chap. IV. La société. Chap. V. L'homme. La Psychologie. Chap. VI. Les institutions. Chap. VII. L'Esthétique.

Deuxième partie. *Les normes.* Chap. VIII. La Morale. Chap. IX. La Logique. Chap. X. La Politique. Chap. XI. L'Idéal dans l'Art. Chap. XII. Conclusion.

MONUMENTA

284. — S. CONGR. INDULG. ET RELIQUIAR.

DECRETA 15 MAII 1908

Indulgentiae, Privilegia, etc. Congr. Presbyterorum a SS. Sacramento et Associationis sacerdotalis pro adoratione SS. Sacramenti

A *Decretum 15 maii 1908, de Congr. Presbyterorum a SS. Sacramento.*

SUMMARIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM CONGREGATIONIS PRESBYTERORUM A SANCTISSIMO SACRAMENTO

I. INDULGENTIAE PLENARIAE

Condiciones communes.

Sodalibus dictae Congregationis qui, confessi ac S. Synaxi refecti, aliquam ecclesiam vel publicum oratorium, vel etiam privatum suae domus sacellium, devote visitaverint, ibique ad mentem summi Pontificis oraverint, diebus infrascriptis, vel uno ex septem immediate sequentibus :

Dies.

1° Die ingressus in noviciatum ; — 2° Die professionis religiosae ; — 3° Die anniversaria eiusdem professionis ; — 4° Die qua primam missam celebraverint (tam ab ipsis, quam ab christifidelibus astantibus lucranda) ; — 5° Die suprema spiritualium exercitiorum, quae quotannis per septem dies peraguntur ; — 6° Feria V., in Cena Domini ; — 7° In festo Paschatis Resurrectionis ; — 8° Ascensionis ; — 9° Pentecostes ; — 10° SS. Trinitatis ; — 11° — Corporis Christi ; — 12° SS. Cordis Iesu : — 13° Circumcisionis Domini (1 ian.) ; — 14° Epiphaniae Domini (6 ian.) ; — 15° S. Tharsicii, M. (26 ian.) ; — 16° B. M. V. de Foroveteri (Dominica IV ian.) ; — 17° Purificationis B. M. V. ; — 18° S. Hyacinthae de Mariscottis, V. (26 febr.) ; — 19° Apparitionis B. M. V. Immaculatae (11 feb.) ; — 20° S. Mathiae, Ap. (24 feb.) ; — 21° S. Thomae Aquin. (7 mart.) ; — 22° B. Hevae Leodiensis (14 mart.) ; — 23° Annuntiationis B. M. V. (25 mart.) ; — 24° B. Iulianae a Monte Cornelion. (5 april.) ; — 25° S. Benedicti Iosephi Labre (16 april.) ; 26° SS. Philippi et Iacobi, App. (1 maii) ; — 27° Apparitionis S. Michaëls Archangeli (8 maii) ; — 28° B. M. V. Matris Divini Pastoris (Dominica II Maii) ; — 29° S. Paschalis Baylon (22 maii) ; — 30° S. Ioannis Bapt. (24 iun.) ; — 31° SS. Petri et Pauli, App. (29 iun.) ; — 32° Visitation. B. M. V. (2 iul.) ; — 33° S. Mariae Magdalenae (22 iul.) ; — 34° S. Iacobi, Ap. (25 iul.) ; — 35° B. M. V. ad Nives (5 aug.) ; — 36° Transfigurationis D. N. I. C. (6 aug.) ; —

37° Assumptionis B. M. V. (15 aug.) ; — 38° S. Bartholomaei, Ap. (24 aug.) ; — 39° Nativitatis B. M. V. (8 sept.) ; — 40° S. Matthaei, Ap. et Evang. (21 sept.) ; — 41° S. Machaëlis Archang. (29 sept.) ; — 42° B. Margaritae-Mariae Alacoque (17 oct.) ; — 43° SS. Redemptoris (23 oct.) ; — 44° Ss. Simonis et Iudae, App. (28 oct.) ; — 45° Omnium Sanctorum (1 nov.) ; — 46° Praesentationis B. M. V. (21 nov.) ; — 47° S. Andreae, Ap. (30 nov.) ; — 48° Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 dec.) ; — 49° S. Thomae, Ap. (21 dec.) ; — 50° Nativitatis D. N. I. C. (25 dec.) ; — 51° S. Ioannis Ev. (27 dec.) ; — 52° Quocumque anni die, si unam horam in adoratione transegerint coram SS. Sacramento publicae venerationi exposito, vel saltem in Tabernaculo recondito ; — 53° In mortis articulo, si, uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS. Iesu nomen ore si potuerint, sin autem corde, devote recitaverint.

Indulg. stationum.

II. Sodales, quotiens corde saltem contrito, ac devote sexies *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* coram SS. Sacramento in aliqua ecclesia, vel publico oratorio vel etiam in privato suae domus sacello recitaverint, lucrari valeant Indulgentias omnes, seraphico ordini iam concessas, stationum Almae Urbis, Ierusalem, S. Iacobi Compostellani et Portiunculae, servato tamen Decreto *Delatae saepius* S. C. Indulgentiarum, diei 7 novembris [1] 1678.

III. Indulgentiae partiales

Indulg. septem annorum et quadragenarum.

1° Septem annorum totidemque quadragenar., semel quocumque anni die, si corde saltem contrito ac devote, unam horam in adoratione transegerint coram SS. Sacramento publice exposito, vel saltem in tabernaculo recondito (quin S. Synaxim acceperint).

300 d.

2° Trecentorum dierum, *a*) quotiens singulis horis diurnis, campana pulsante, sequentem iaculatoriam precem corde saltem contrito ac devote recitaverint : *Laudes ac Gratiae sint omni momento sanctissimo ac divinissimo Sacramento ; — b)* quotiens corde saltem contrito ac devote recitaverint iaculatoriam precem : *Domina Nostra a SS. Sacramento, ora pro nobis.*

Applicatio defunctis.

Omnes et singulae praefatae Indulgentiae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus fidelium defunctorum sunt etiam applicabiles.

IV. Privilegia

Missae privilegiatae.

1° Missae omnes, quae in suffragium alicuius Sodalis defuncti celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae.

Altare privilegiatum.

2° Sacerdotes Sodales gaudent Indulto personali Altaris privilegiati ter in hebdomada.

Benedictio apostolica.

3° Sacerdotes Sodales, qui sacras contiones habent ad modum spiritualium exercitiorum, facultate gaudent impertiendi Benedictionem Summi Pontificis, cum annexa plenaria Indulgentia, defunctis quoque applicabili, iis christifidelibus qui saltem per tres dies iisdem exercitiis pie vacaverint, simulque confessi ac sacra Synaxi refecti fuerint.

---

[1] Sic in libello, sed decretum est ad 7 martii ascribendum.

4° Praepositus Generalis totius Congregationis necnon Superiores cuiusque domus facultatem habent benedicendi coronas cum Indulgentiis vulgo nuncupatis « Crucigerorum ». *Coronae Crucigerorum.*

5° Sodales omnes, qui in choro SS. Sacramentum publice expositum adorant in genuflexorio, pium S. Viae Crucis exercitium peragere et Indulgentias eidem annexas lucrari valent, quin ad singulas stationes surgant et genuflectant. *Privilegium pro via crucis.*

S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, praesens Summarium, ex authenticis documentis excerptum, uti authenticum approbavit typisque imprimi et publicari posse benigne permissit ; *Approbatio.*

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 15 maii 1908.

Pro Rev. P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodic., Secret.
Ios.-M. Canonicus Coselli, substitutus.

B. *Decretum 15 maii 1908, de Associatione sacerdotali.*

SUMMARIUM INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM ASSOCIATIONIS SACERDOTALIS PRO ADORATIONE SS. SACRAMENTI

I. INDULGENTIAE PLENARIAE

Sacerdotibus Sodalibus, qui confessi S. Missae Sacrificium celebraverint, vel S. Synaxi refecti fuerint, nec non aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus infrascriptis, vel uno ex septem immediate sequentibus : *Condiciones communes.*

1° Die quo Sodalitati nomen dederint ; *Dies.*
2° Semel in mense, die quo ad menstruam collationem convenerint ;
3° Die festo Nativitatis Domini ;
4° Epiphaniae ;
5° Feria V in Cena Domini ;
6° SS. Corporis Domini ;
7° Immaculatae Conceptionis B. M. V. ;
8° Annunciationis ;
9° Dedicationis S. Michaelis Arch. ;
10° S. Ioseph, Sponsi B. M. V. ;
11° SS. Petri et Pauli, App. ;
12° S. Ioannis, Apost. et Ev. ;
13° Singulis diebus, si, SS. Sacramentum per integram horam adoraverint, publicae venerationi expositum vel saltem in Tabernaculo reconditum ;
14° In mortis articulo, si uti supra dispositi, vel saltem contriti, SS. Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint.

II. INDULGENTIAS omnes, Seraphico Ordini iam concessas, nempe stationum Almae Urbis, Ierusalem, S. Iacobi Compostellani et Portiunculae, Sodales lucrari valeant quotiens SS. Sacramentum in aliqua ecclesia vel publico sacello visitaverint, sex *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* corde saltem contrito ac devote recitando, servato tamen Decreto *Delatae saepius* S. C. Indulgent. d. d. 7 novembris [1] 1678. *Indulg. stationum.*

[1] Id est, 7 martii.

III. Indulgentiae partiales

Indulg. septem annor. et quadragen.

1° Septem annorum totidemque quadragenarum, semel quocumque die, si per unam horam SS. Sacramentum publice expositum, vel saltem in Tabernaculo reconditum, Sodales corde saltem contrito ac devote visitaverint [quin S. Synaxim acceperint] ;

100 dierum.

2° Centum dierum, quotiens Sodales corde saltem contrito ac devote aliquot pium opus peregerint, quod conferat ad finem piae associationis consequendum.

Omnes et singulae Indulgentiae superius recensitae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, animabus fidelium defunctorum sunt etiam applicabiles.

IV. Privilegia

Missae privilegiatae.

1° Missae omnes quae in suffragium animae alicuius Sodalis defuncti celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae ;

Coronae Crucigerorum.

2° Sodales omnes gaudent facultate benedicendi Coronas cum Indulgentiis, quae a *PP. Crucigeris* nuncupantur ;

Benedictiones permissae moderatoribus.

3° Moderatores dioecesani nec non Directores regionales benedicere valent extra Urbem et de consensu Ordinarii loci, Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas ac S. Numismata, iisque applicare Indulgentias Apostolicas nuncupatas, nec non Coronis Indulgentias quae a S. Birgttta nomen habent ;

Privilegium Directorum dioeces.

4° Directores dioecesani cotidie gaudent Indulto personali Altaris privilegiati.

Approbatio.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium, ex authenticis documentis excerptum, uti authenticum approbavit typisque imprimi et publicari posse benigne permisit.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 15 maii 1903.

Pro R^mo P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodicen., Secretar.
Ios. M. Canonicus Coselli, Substitutus.

Annotationes

1. In Summario Indulgentiarum et Privilegiorum quae *religiosae Congregationi Sacerdotum a SS. Sacramento* concessa sunt, haec occurrunt notabilia :

a) Directe aequiperantur, ad lucrandas indulgentias, ecclesia, publicum oratorium quodlibet, et privatum oratorium domus religiosorum.

b) Indulgentiae plenariae offeruntur vel ipsis diebus assignatis, vel uno ex septem immediate sequentibus.

c) Via crucis peragi potest ita ut obtineantur indulgentiae a sodalibus dum in choro SS. Sacramentnm publice expositum adorant in genuflexorio. Expresse dispensantur a necessitate surgendi et genuflectendi ad singulas stationes.

Age porro, communes leges peragendi viam crucis praecipiunt tamquam essentialia : α) aliquam singularum stationum visitationem, qua fiat ut via crucis sit tota perlustrata. Quare actio genuflectendi et resurgendi, quae coram singulis stationibus minime requiritur, minime etiam, secluso

indulto, sufficit, si fiat ab aliquo qui maneat moraliter eodem loco (v. gr. in choro) ; 5) meditationem passionis Christi in universum. Minime opus est ut consideratio in singulas stationes feratur.

Quaeres itaque, cum praesenti privilegio obligatio omnis motus corporalis tollatur (sic enim intellegimus clausulam « quin genuflectant et surgant »), quaenam supersit essentialis condicio ? Dices : mentalem requiri passionis Christi considerationem. Optime quidem. Sed, nisi aliquo modo eam ad erectam viam crucis referas, quo pacto differet a communi passionis Christi meditatione ; et qua ratione conscius eris te fecisse viam crucis ? Et quis definiat tempus in illa meditatione insumendum ?

Donec res melius declaretur, arbitramur requiri et sufficere ut sodalis qui isto privilegio utatur, in ecclesia vel oratorio, ubi via crucis fuerit legitime erecta, mente quattuordecim cruces seu stationes perlustret et argumentum passionis simul volvat.

2. Tum *sodalibus religiosis, tum etiam sacerdotibus qui eucharisticae Unioni* [1] nomen dederunt indulgentiae stationum Urbis communicantur, observato tamen decreto *Delatae saepius*, quod die 7 martii 1678 est a S. Congregatione Indulgentiarum et SS. Reliquiarum editum. Decretum istud, quod in decretis authenticis n. 18 signatur, versatur fere omne in numerandis indulgentiis apocryphis. In fine autem haec habet ad propositum nostrum : « Indulgentias vero stationum Urbis, quae a Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicatae sunt vel communicabuntur interdum aliquibus locis, Ordinibus aut personis, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat : semel autem dumtaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri. »

3. A praesenti argumento alienum non videtur ut memoriam renovemus aliorum privilegiorum quibus sacerdotes istius Associationis fruuntur. Possunt itaque :

a) Matutinum et Laudes ab hora 1 pomeridiana anticipare ;

b) Benedicere cum annexis indulgentiis, coronas de Immaculata Conceptione ;

c) Benedicere et imponere scapulare dictum a S. Ioseph ;

d) Cooptare candidatos in Tertium Ordinem S. Francisci, et, annuente Ordinario, Tertiariorum coetum constituere.

Dioecesanis directoribus indultum praeterea est ut possent imaginibus Christi crucifixi indulgentias viae crucis conectere.

---

[1] De Unione ista iam diximus in Periodicis istis, tom. 3, p. 113.

285. — S. RITUUM CONG. (19 iun. 1908)

RESPONSA DE SACELLIS ET ALTARIBUS IN COEMETERIIS

Gallipolitana

Orator,

R^mus D^nus Caietanus Muller, Episcopus Gallipolitanus, a Sacrae Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem reverenter expostulavit, nimirum :

Exposita condicione Sacellorum et altarium in sepulcreto.

In sepulcreto civitatis Gallipolitanae tum confraternitates tum privatae familiae habent sua sacella, in quibus cadavera sepeliuntur in loculis. At huiusmodi sacella valde exigua sunt et angusta, ita ut vix aliquod eorum habeat quattuor metra longitudinis, tria vero latitudinis ; altaria autem non distant in eis tres cubitos, seu unum metrum, a loculis, sed pauca centimetra. Insuper in aliquibus sacellis habetur altare ex ligno confectum cum lapide consecrato infixo in medio mensae ; sed altare mobile est, ita ut ad libitum transferatur de uno in alio loco eiusdem sacelli [1]. Quaeritur :

Quaerit :

De missa, ubi distantia non observatur.

I. Utrum permitti possit missae celebratio in istis sacellis, in quibus non habetur praescripta distantia altarium a loculis ?

De altaribus.

II. Utrum altaria mobilia, sensu exposito, tolerari possint ?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae voto omnibusque sedulo perpensis, respondendum censuit :

Ad I.

Ad I. Negative, iuxta decretum n. 3944 *Romana* 12 ianuarii 1899 ad II.

Ad II.

Ad II. Affirmative, dummodo mensa solidis basibus adhaereat et altare ipsum in uno tantum loco stabiliter collocetur.

Dies (10 iun. 1908).

Atque ita rescripsit, die 19 iunii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*

Annotatio

Citatum decretum n. 3944 ad 2 praecise hanc distantiam trium cubitorum seu unius fere metri inter altare et cadavera exigit ; simul tamen eam sufficientem declarans.

Notandum est ex responso nullo modo deduci posse missae celebrationem in istis sacellis permitti dummodo praescripta distantia altarium a loculis habeatur. Haec enim sacella sunt stricto sensu privata, in quibus proinde nullo modo sacrum fieri potest absque particulari indulto.

I. Pauwels, S. I.

---

[1] Nonne pro *sacelli*, legendum est *sepulcreti*, cum in perangustis sacellis translatio difficilis videatur.

286. — S. RITUUM CONGR. (8 iul. 1908) [1]

DECRETUM DE REFORMANDIS TABELLIS VEL RUBRICIS

Decretum generale

ADDENDA ET VARIANDA IN DUABUS TABELLIS EXCERPTIS E RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII

Variatio in tabellis.

Duplicia secundae classis, in quibus de simplicibus fit commemoratio tantum in Laudibus ; de aliis uti in Rubricis

Circumcisio Domini.

. . . . . .

Purificatio B. M. V.
Visitatio B. M. V.
Nativitas B. M. V.
Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III sept.).
Sollemnitas SS^mi Rosarii B. M. V.

. . . . . .

Duplicia maiora per annum, quae aliis duplicibus minoribus praeferuntur

Transfiguratio Domini.

. . . . . .

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

. . . . . .

VARIANDA IN CATALOGO FESTORUM, QUAE UTI PRIMARIA VEL SECUNDARIA ETC.

Variatio in catalogo festorum.

Festa secundaria

§ II. *Duplicia secundae classis*

Festum SS^mi Nominis Iesu.

. . . . . .

Festum Septem Dolorum B. M. V. (Dom. III septembr.).
Sollemnitas SS^mi Rosarii B. M. V.

. . . . . .

§ III. *Duplicia maiora*

Exaltatio S. Crucis.
Festum Septem Dolorum B. M. V. (Feria VI post Dom. Passionis).
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo.

. . . . . .

[1] Cfr. tamen de his omnibus novas rubricas, t. VI. n. 552 et 553.

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO

Rubrica reformanda in Breviario et Missali.

Dominica III septembris Deleatur integra Rubrica: « Impedita... post Dom. III septembris ». Eius loco substituatur sequens: « Hac Dominica si occurat festum nobilius, tamquam in sede propria celebretur festum B. M. V. Perdolentis prima sequenti die, non impedita a festo nobiliori, ac translato Duplici maiori, vel Doctoris Ecclesiae; de Duplici vero minori vel semiduplici occurrente fiat tantum commemoratio iuxta Rubricas ».

RUBRICA REFORMANDA IN BREVIARIO

Rubrica reformanda in Breviario.

Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V.: « Si haec Dominica immediate sequatur festum Nativitatis, Vesperae dicuntur integrae de ipsa Nativitate sine commemoratione SS^mi Nominis Mariae. Si hac Dominica occurat festum nobilius, eo anno festum SS^mi Nominis celebretur die duodecima septembris, tamquam in sede propria, uti notatur in Martyrologio. Sicubi vero die duodecima occurrat festum nobilius, Officium SS^mi Nominis Mariae transferatur in primam diem liberam iuxta Rubricas ».

Approbatio pontificia.

SS^mus Dominus Noster Pius PP. X, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, suprascriptas additiones et variationes inserendas Breviario et Missali Romano benigne approbare dignatus est. Die 8 iulii 1908.

Dies (8 iul. 1908).

S. Card. CRETONI, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodic., Secret.

ANNOTATIONES

1. Elevata iam Sollemnitate Septem Dolorum B. M. V. ad ritum duplicis 2^ae classis, paululum mutandae erant duae tabellae excerptae e rubricis generalibus breviarii; quod S. R. C. praesenti decreto efficit [1].

2. Simul etiam reformata est rubrica specialis huius diei de translatione festi. Antiquitus enim festum istud, quantum fieri poterat, celebrandum erat aliqua die dominica, et tantum deficiente omni dominica libera ante Adventum, secundum rubricas transferebatur in primam diem liberam post dominicam tertiam septembris. Ex praesenti vero disciplina officium Septem Dolorum a dominica tertia amoveri potest tantum occurente festo duplici 1^ae classis quocumque, sive duplici 2^ae classis primario, vel festo 2^ae classis Domini secundario et tunc amandatur non in dominicam aliquam sequentem, sed tamquam in sedem propriam in primam diem sequentem simili modo non impeditam. Festum vero inferioris gradus in hac die vel in ipsa dominica occurens transfertur vel simplificatur secundum rubricas.

3. Eadem quoque occasione reformata est et alia similis rubrica de translatione festi SS^mi Nominis Mariae, quod impeditum dominica infra octavam Nativitatis eiusdem B. M. V. deinceps transferendum erit in diem

[1] Cum decr. 13 nov. 1907 festum Apparitionis B. M. V. immac. sub ritu dupl. mai. ad universalem ecclesiam fuerit extensum, illud quoque in his tabellis inscribi deberet quod tamen hucusque nondum authentice factum videtur.

12am septembris tamquam in sedem propriam [1]. Hac quippe die, iam dudum in Martyrologio describitur huius SSmi Nominis commemoratio. Quod si dies 12 septembris ipsa impedita fuerit, festum SS. Nominis nullo ultra gaudet privilegio circa translationem, sed secundum rubricas amandandum erit ad primam diem liberam post dictam dominicam infra octavam Nativitatis. Rubrica reformata silet de occurrentia huius festi cum die octava Nativitatis, et ideo dicendum videtur singulare prorsus privilegium quo in hoc casu praevalebat festum SSmi Nominis, esse sublatum ; et secundum regulas generales, in dominica officium faciendum esse de octava Nativitatis, anticipata, ex praesenti rubrica, in diem 12am festivitate SSmi Nominis.

I. Pauwels, S. I.

---

287. — S. CONG INDULG. ET SS. RELIQU.

INDULTUM EX AUDIENTIA SSmi 8 IUL. 1908

De recitatione Rosarii per singulas decadas

Orator. Il Padre [2] fra' Maria Enrico Desqueyrous, Procuratore Generale dell' Ordine dei Predicatori, umilmente prostrato al bacio del sacro piede,

Petit *extensionem Indulti.* implora dalla Santità Vostra che venga esteso a tutti i fedeli l'indulto accordato ai confratelli del santo Rosario, in data 14 octobre 1906 [3], di poter separare le diverse decine della recita del santa Rosario intero, o di una terza parte di esso fatta nello stesso giorno.

Che della grazia, ecc.

Conceditur *in perpetuum.* Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, in audientia habita die 8 iulii 1908, ab infrascripto Cardinali Praefecto sacrae Congregationis, Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis.

Praesenti in perpetuum valituro.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (8 iul. 1908). Datum Romae, e secretario eiusdem sacrae Congregationis, die 8 iulii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiv. Laodicen. Secret.

---

[1] Sat mira est haec translatio, qua festum aliquando anticipari potest.

[2] Id est, latine : P. Fr. Maria Henricus Desqueyrous, Procurator generalis Ordinis Praedicatorum, humiliter ad osculum sacri pedis provolutus, a S. V. petit ut ad omnium fidelium usum traducatur indultum quo, 14 oct. 1906, sodalibus SS. Rosarii conceditur ut in recitatione SS. Rosarii vel tertiae eiusdem partis, quae in una die absolvatur, variae decadae separatim recitari possint.

Et Deus, etc.

[3] Cfr. indultum, cum annotationibus, in Periodicis, n. 125.

288. — S. RITUUM CONGR. (11 iul. 1908)

INDULTUM DE USU RITUS MONASTICI PRO SACERDOTIBUS

Ordinis S. Benedicti

Orator,

Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Sancti Anselmi de Urbe et Primas Ordinis Sancti Benedicti, ad genua Sanctitatis Vestrae provolutus, humillime exponit:

Memorata concessione anni 1885 et universali eius causa.

Per Rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 16 aprilis 1885, ad Rmi Dni Mauri Wolter, Archiabbatis Congregationis Beuronensis Ordinis Sancti Benedicti, preces, privilegium a sa. me. Clemente XIII, Congregationi Cassinensi concessum, videlicet ut Sacerdotes, servitio Monasteriorum et Ecclesiarum dictae Congregationis addicti, Horas Canonicas iuxta ritum eiusdem Congregationis in choro et extra chorum recitare valeant, ad quoscumque Presbyteros ad Monasteria confluentes, extensum est.

Cuius indulti ratio — quod scilicet saepe saepius ad Monasteria Sacerdotes, occasione alicuius sollemnitatis vel exercitiorum spiritualium, confluunt, qui horis canonicis intersunt, variaque exinde exsurgunt incommoda — cum in omnibus monasteriis habeatur: humilis Orator petit, ut praedictum privilegium ad universa Confoederationis Benedictinae Coenobia Monachorum Nigrorum extendatur.

Petit *eius extensionem.*

Et Deus, etc.

Conceditur *ad decem annos.*

Sacra Rituum Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X tributis, attentis expositis, benigne indulsit, ut, ad proximum Decennium, quicumque Presbyteri ad Coenobia Monachorum Nigrorum Confoederationis Benedictinae quavis ex causa confluunt, possint, in Choro tantummodo, persolvere Horas Canonicas iuxta ritum respectivi Coenobii. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (11 iul. 1908).

Die 11 iulii 1908.

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

---

289. — S. RITUUM CONGR. (22 iul. 1908)

DECRETUM PONTIFICIUM DE MUTANDIS LECTIONIBUS S. BONAVENTURAE

Urbis et Orbis

DIE XIV IULII

Indicationes Breviarii et propositae lectiones.

S. Bonaventurae Episc. Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequ.
In utrisque Vesperis. Ad Magnificat. Ant. *O doctor..... Beate Bonaventura.*

Oratio. *Deus, qui populo tuo.*

In I. Nocturno. Lect. *Sapientiam* de Communi Doct.

In II. Nocturno.

Lectio IV. Bonaventura, Balneoregii in Etruria natus, a letali morbo adhuc puer, beati Francisci precibus, cuius religioni, si convaluisset, voto matris dicatus fuerat, evasit incolumis. Itaque adulescens, Fratrum Minorum institutum amplecti voluit, in quo ad eam doctrinae praestantiam Alexandro de Ales magistro pervenit, ut septimo post anno Parisiis magisterii lauream adeptus, libros Sententiarum publice summa cum laude sit interpretatus, quos etiam praeclaris postea commentariis illustravit. Nec scientiae solum eruditione, sed, et morum integritate, vitaque innocentia, humilitate, mansuetudine, terrenarum rerum contemptu et caelestium desiderio mirifice excelluit : dignus plane, qui tamquam perfectionis exemplar haberetur, et a beato Thoma Aquinate, cui summa caritate coniunctus erat, sanctus appellaretur. Is enim, cum sancti Francisci vitam illum scribentem comperisset : *Sinamus*, ait, *sanctum pro sancto laborare.*

Lectio V. Divini amoris flamma succensus, erga Christi Domini passionem, quam iugiter meditabatur, ac Deiparem Virginem, cui se totum devoverat, singulari ferebatur pietatis affectu : quem in aliis etiam verbo et exemplo excitare, scriptisque opusculis augere summopere studuit. Hinc illa morum suavitas, gratia sermonis, et caritas in omnes effusa, qua singulorum animos sibi artissime devinciebat. Quam ob rem vix quinque et triginta annos natus, Romae summo omnium consensu Generalis Ordinis Minister electus est : susceptumque munus per duodeviginti annos admirabili prudentia gessit ac laude sanctitatis. Plura constituit regulari disciplinae et amplificando Ordini utilia ; quem una cum aliis Ordinibus mendicantibus adversus obtrectatorum calumnias feliciter propugnavit.

Lectio VI. Ad Lugdunense Concilium a beato Gregorio Decimo accersitus, et Cardinalis Episcopus Albanensis creatus, arduis Concilii rebus egregiam navavit operam : qua et schismatis discidia composita sunt, et ecclesiastica dogmata vindicata. Quibus in laboribus, anno aetatis suae quinquagesimo tertio, salutis vero millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, summo omnium maerore decessit, ab universo Concilio, ipso praesente Romano Pontifice, funere honestatus. Eum Xystus quartus plurimis maximisque clarum miraculis in Sanctorum numerum rettulit. Multa scripsit, in quibus summam eruditionem cum pietatis ardore coniungens, lectorem docendo movet ; quare a Xysto quinto Doctoris Seraphici nomine merito est insignitus.

In III. Nocturno. Homilia in Evang. *Vos estis sal terrae,* de Communi Doct. 3° loco.

URBIS ET ORBIS

Decretum de mutatione lectionum.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, libenter deferens supplicibus votis plurium Sacrorum Antistitum, praeeunte Emo Dno Cardinali Antonio Agliardi Episcopo Albanensi, a Rmo P. Ministro Generali Ordinis Minorum Conventualium humillime depromptis, suprascriptas Lectiones secundi Nocturni, quibus Franciscales Familiae iam dudum utuntur in festo S. Bonaventurae, Cardinalis Episcopi Albanensis, Lectionibus historicis substituendas mandavit, quae nimium ieiunae modo habentur de ipso

Seraphico Doctore in Breviario Romano. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 iulii 1908.

Dies (22 iul. 1908).

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Arch. Laodicen., Secret.

---

290. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

INDULTUM 15 SEPT. 1908

Concedens eucharistico foederi Sacerdotali benedictionem coronarum Crucigerorum

Orator. Il Direttore Generale [1] della Lega Sacerdotale Eucaristica, prostrato ai piedi di V. S., umilmente supplica perchè alle altre facoltà [2] benignamente concesse ai sacerdoti ascritti alla prefata Lega voglia degnarsi aggiungere anche quella di benedire le corone colle indulgenze dette dei P. Crocigeri.

Petitio.

Gratia.

Che, etc...

SSmus, auditis expositis, benigne annuit pro gratia petita. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Casimirus Card. Gennari.

---

291. — SS. D. N. PII PP. X

CONSTITUTIO 29 SEPT. 1908

De promulgatione legum et evulgatione actorum S. Sedis

Memorato Romanae promulgationis modo sollemni ac vi;

Promulgandi pontificias Constitutiones ac leges non idem semper decursu temporis in Ecclesia catholica fuit modus; a pluribus tamen saeculis consuetudo invaluit, ut earum exemplaria publice proponerentur frequentioribus quibusdam Urbis affixa locis, praesertim ad Vaticanae ac Lateranensis Basilicae valvas. Quae autem Romae, tamquam in christianae rei publicae centro et communi patria fidelium, promulgarentur, ea ubique gentium promulgata censebantur, vimque legis plenissimam obtinebant.

---

[1] Id est, latine: Generalis Director eucharistici foederis Sacerdotalis, ad pedes S. V provolutus, humiliter supplicatur ut ceteris facultatibus quae sociis dicti foederis benevole sunt concessae etiam illam addere dignetur benedicendi, cum annexis indulgentiis, coronas dictas Patrum Crucigerorum.
Et Deus, etc.

[2] Cfr. dicta, tom. 3 Periodicorum istorum, p. 113 ss.

dein exceptionibus et usu promulgationis minus sollemnis,

Verum, cum promulgandae legis ratio et modus a legislatoris voluntate pendeat, cui integrum est constitutas innovare ac moderari formas, aliasque pro temporum ac locorum opportunitate sufficere ; idcirco factum est, ut, vel anteactis temporibus, non omnes Apostolicae Sedis leges ac Constitutiones, memorata forma, hoc est consuetis Urbis affixae locis promulgarentur. Recentius, sacrarum praesertim Congregationum opera, quibus Romani Pontifices, ad leges iam latas declarandas aut ad novas constituendas, utebantur, id fere in consuetudinem venit, ut acta Sanctae Sedis eiusque decreta, in Officio a secretis a quo edita essent legitima auctoritate vulgata, hoc ipso promulgata haberentur. Publici sic iuris effecta, dubitari quidem nequit, quin acta ipsa rata firmaque essent, tum quod plerumque munita clausulis, contrariis quibusvis derogantibus, tum quod id genus promulgatio esset vel expresse vel tacite approbata a Pontifice Maximo. Huic tamen promulgandi rationi, etsi plena vis esset, sollemnitas illa deerat quam par est supremae auctoritatis actis accedere. Ea de causa complures Episcopi, non modo a nobis, sed a Nostris etiam Decessoribus, cum saepe alias, tum novissime in postulatis circa ius canonicum in codicem redigendum, flagitarunt, ut a suprema Ecclesiae auctoritate Commentarium proponeretur, in quo novae promulgarentur ecclesiasticae leges, et Apostolicae Sedis acta vulgarentur.

votum proponitur Episcoporum de edendo Commentario ad leges promulgandas et vulganda Acta Sedis Apostolicae.

Re igitur mature perpensa, adhibitisque in consilium aliquot S. R. E. Cardinalibus, Antistitum, quos diximus, excipienda vota rati, auctoritate Nostra Apostolica, harum Litterarum vi, edicimus, ut, ineunte proximo anno MDCCCCIX, Commentarium officiale de Apostolicae Sedis actis edatur Vaticanis typis. Volumus autem Constitutiones pontificias, leges, decreta, aliaque tum Romanorum Pontificum tum sacrarum Congregationum et Officiorum scita, in eo Commentario de mandato Praelati a secretis, aut maioris administri eius Congregationis vel Officii, a quo illa dimanent, inserta et in vulgus edita, hac una, eaque unica, ratione legitime promulgata haberi, quotiens promulgatione sit opus, nec aliter fuerit a Sancta Sede provisum. Volumus praeterea in idem Commentarium cetera Sanctae Sedis acta referri, quae ad communem cognitionem videantur utilia, quantum certe ipsorum natura sinat ; eique rei perficiendae sacrarum Congregationum, Tribunalium et aliorum Officiorum moderatores opportune consulere.

Edictum de isto Commentario.

Salva formali exceptione, leges omnes per illud promulgabuntur ; vulgabitque cetera S. Sedis acta, scitu utilia.

Clausulae.

Haec edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces semper esse ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, contrariis quibusvis non obstantibus.

Dies (29 sept. 1908).

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo octavo, III calendas octobres, Pontificatus Nostri sexto.

A. Card. DI PIETRO, *Datarius*
R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status*
Visa : *De Curia* I. *De Aquila, e Vicecomitibus*
Reg. in Secret. Brevium
V. Cugnonius.

ANNOTATIONES

1. Notabili narratione S. Pontifex novam hanc Constitutionem exordiitur. Dum enim de variis disserit promulgationis rationibus, istud etiam non omittit, usu venisse ut non paucae leges, per sacras Congregationes a Romano Pontifice latae, formali promulgatione destituerentur, sed earum divulgatio per ephemerides pro promulgatione haberetur. Quam tamen promulgationis rationem legitimam fuisse demonstrat, tum ex clausulis quae derogabant quibusvis contrariis (ac proinde etiam sollemni promulgationi per se requisitae), tum ex approbatione quam S. Pontifex huic promulgandi rationi expresse vel tacite dederat. Quae argumentatio efficax probatur, si consideres divulgationem istam per ephemerides in iis adiunctis esse factam ut lex lata ad omnium notitiam pervenire posset. Hoc est enim essentiale promulgationis postulatum.

Affirmat simul tamquam exploratum, promulgationem Romae factam sufficientem iudicatam esse ut lex ubique vim suam obtineret. Quod per aliquod tempus in controversiam venerat, ita ut S. ALPHONSUS [1] opinionem, quae deinde certa evasit, mere diceret valde communem et probabiliorem.

His tamen verbis suis, S. Pontifex non negat temperatam istam vacationem, qua leges disciplinares probabiliter putabantur non obligare nisi post duos menses a sua promulgatione [2].

Denique incommoda confusae rationis qua leges promulgabantur S. Pontifex non dissimulat, dicitque se diuturnis complurium Episcoporum votis obsecundare, dum sollemnem praestituit legibus promulgationem.

2. In hoc autem ratio ista consistit ut ab ineunte anno 1909, officiale edatur Commentarium, in quo novae leges authentice inserantur.

Authentica porro definitur insertio quae fit mandante Secretario aut maiore administro Congregationis vel Officii a quo lex vel decretum dimanaverit.

Itaque ad legis promulgationem haec duo in posterum requirentur et sufficient: a) ut inseratur in officiali Commentario; b) ut inseratur ex mandato secretarii vel maioris administri ipsius Congregationis vel Officii quo S. Pontifex est usus.

His condicionibus si satisfactum fuerit, a momento quo Commentarium in lucem prodierit, leges et decreta, quae in eo continentur, sunt promulgata.

Quam rationem S. Pontifex vult per se esse universalem et unicam pro actis quae promulgatione opus habent. Reservatur tamen peculiaris provisio quae in S. Sedis potestate necessarie manet.

3. *Quaeres* num iam omnia S. Sedis acta futura sint promulgata instar legis, eo quod in Commentario isto sint inserta?

Respondemus, negando id futurum esse. Legis promulgatio supponit in primis voluntatem legem ferendi, quae in particularibus decretis non perspicitur. Atque ipse S. Pontifex vult ut, praeter leges, alia etiam S. Sedis acta, scitu utilia, quod eius fieri potest, inserantur, quae profecto ista insertione naturam non mutabunt.

[1] S. ALPHONSUS, l. 1, n. 96, Quaeritur I.
[2] S. ALPHONSUS, ibidem, Quaeritur II.

4. De *vacatione* legis post promulgationem nihil dicitur. Veri simile est huic rei postea provisum iri.

5. Observes denique in Constitutione quae 29 septembris, id est ante 1 novembris, est lata diem etiam indicari more romano, et viam sumi de curia : quae duo a prima novembris sunt abrogata.

Cardinalis tamen iam titulo *Datarii* (loco : prodatarii) utitur. Cfr. dicta supra, p. 255 et 259.

---

292 — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM PONTIFICIUM 15 AUG. 1907

Abbatiam Nullius erigens

Amplitudo dioec. Amazonum eiusque incommoda.

E Brasilianae Rei publicae dioecesibus nulla quidem forsan latior ea quae Amazonum appellatur quaeque, uti fertur, fere bis centena chilometrorum quadratorum millia in latitudinem metitur. Territorii autem amplitudini itinerum quoque accedit asperitas ; quamobrem fit ut in dioecesis huius regionibus, sive civilis sive rei sacrae procuratio, innumeris implexa difficultatibus, salutares quos deberet parere nequeat fructus. Haud sane mirum si inibi non paucis in locis cives ad humanitatem exculti nondum sint, fidemque ipsam christianam necdum noverint.

Hinc consilium exigendi Abbatiam Nullius.

Gravissimis hisce malis SS^mus D. N. Pius PP. X pro Apostolica sua in universam Ecclesiam sollicitudine occurrere volens, cum dioecesis Amozonum in plures alias dividi dioeceses nunc non possit, certam quandam eiusdem territorii partem, quae a flumine cui adiacet *Rio Branco* appellatur, exquisita antea S. R. E. Cardinalium, qui Negotiis ecclesiasticis extraordinariis expediendis praepositi sunt sententia, a dioecesi ipsa Amazonum seiungere atque regimini et iurisdictioni coenobii, cui nomen a Beata Maria Virgine de Monteserrato, Ordinis sancti Benedicti, in civitate Fluminis Ianuarii exsistentis subicere, in Abbatiam Nullius erigendam statuit.

Potestate apostolica erectio decernitur.

Quod igitur bonum, faustum felixque sit, Dei gloriae atque christiano nomini propagando benevertat, Sanctitas Sua, potestate utens sibi et Apostolicae Sedi reservata in litteris Apostolicis quarum initium *Ad universas Orbis Ecclesias* quinto Calendas maii anno Domini 1892 datis, libere novam ineundi in Brasilianae Rei publicae dioecesibus circumscriptionem, quandocumque id in Domino expedire visum fuerit, totam regionem *Rio Branco* appellatam, coenobio Ordinis Sancti Benedicti a Beata Maria Virgine de Monteserrata in civitate Fluminis Ianuarii nuncupato annectere atque in Abbatiam Nullius erigere in eum qui sequitur modum decrevit.

I. Constitutio ac regimen Abbatiae.

I. Primum itaque Beatitudo Sua universam regionem, quae *Rio Branco* vulgo appellatur, quaeque limitibus infra describendis continetur, a territorio dioecesis Amazonum, ad quod hactenus pertinuit, de Apostolicae potestatis plenitudine divisit, separavit ac seiunxit, ipsamque coenobio cui nomen a Beata Maria Virgine de Monteserrato, Ordinis Sancti Benedicti, in civitate Fluminis Ianuarii exsistenti, in territorium attribuit, atque in Abbatiam a Beata Maria Virgine de Monteserrato pariter nuncupandam,

sub regimine et iurisdictione Abbatis pro tempore coenobii eiusdem, erexit et constituit, ita ut idem coenobium cum annexo territorio deinceps ad omnes iuris effectus sit vere et propre Nullius dioecesis, Sedique Apostolicae immediate subiectum.

II. Eius territorium.

II. Novae huius Abbatiae Nullius territorium iis qui sequuntur finibus circumscribetur. Ad Septemtriones atque Occasum, a Re publica de Venezuela ; ad Septemtriones pariter atque Orientem, a Guyana Anglica ; ad Meridiem vero ipsum, ad scaturigines usque se protendet aquarum, quae in flumen *Rio Branco* influunt, usque dum tamen flumen in aliud *Rio Negro* nuncupatum interfluit.

III. Ecclesia quasi-cathedralis.

III. Monasterii ecclesiam honori Beatae Mariae Virginis de Monteserrato dicatam, Sanctitas Sua in ecclesiam abbatialem erectae ut supra Abbatiae Nullius, sub eadem Beatae Mariae Virginis de Monteserrato invocatione, constituit, et in ea sedem et dignitatem abbatialem ad instar episcopalis dignitatis erexit et instituit pro uno Abbate, a coenobii titulo designando, qui eidem ecclesiae et monasterio eidemque regioni de *Rio Branco* praesit, et iura omnia, officia et munia hebeat et exerceat cum sua mensa et Capitulo, iisdemque honoribus et praerogativis quibus Praesules cathedralium ecclesiarum in Brasiliana Re publica utuntur et gaudent, iis tamen exceptis quae titulo oneroso aut ex indulto peculiari obtenta fuerint, aliisque quae de iure privative ad Episcopos pertineant, atque expresse hoc decreto non concedentur.

IV. Privilegium Abbatis de confirmatione et usu pileoli et birretti violacei.

IV. Abbati noviter erectae Abbatiae Nullius sub titulo Beatae Mariae Virginis de Monteserrato, praeter cetera alia iura et privilegia Abbatibus Nullius dioecesis Ordinis Sancti Benedicti communia, atque ius Sacramentum Confirmationis ministrandi ipsius subditis tantum, ita ut alienis nec de Ordinariorum consensu conferre valide illud possit, Beatitudo Sua privilegium concessit utendi pileolo et birreto coloris violacei, quo Abbates Nullius eiusdem Ordinis Sancti Benedicti ex Apostolico indulto frui solent.

V. Dispensatio a lege residentiae.

V. Cum monasterii Beatae Mariae Virginis de Monteserrato Abbas, in Abbatem Nullius hoc decreto constitutus, totius sit Congregationis Benedictinae Brasilianae Abbas generalis, Beatitudo Sua, ne novae dignitatis accessione ipse a muneribus eidem commissis obeundis impediatur, eundem a lege residentiae intra Abbatiae limites dispensandum benigne censuit, ita ut quotiens id rerum adiuncta requisierint, atque opportunum ipse in Domino iudicaverit, cetera eiusdem Ordinis Sancti Benedicti monasteria in Brasiliana Re publica exsistentia invisere possit, in iisque ad tempus commorari. Ne quicquam tamen detrimenti ex Pastoris absentia rei sacrae procurationi in Abbatia obveniat, Abbas res suas ita disponat, ut in ea per aliquod anni spatium continuo residere queat, eiusque territorium peragrare, atque una cum Vicario generali duos alios monachos deputet, quos ad consultoris munus assumet, qui in Abbatiae territorio constanter residere debebunt, ut fidelium necessitatibus semper praesto esse possint.

VI. Provisio de reditibus.

VI. Cum vero necessarium omnino sit, ut congruis proventibus et reditibus dotationi novae huius Abbatiae Nullius consulatur, Sanctitas Sua pro Abbatis mensa, Capituli et clericorum Seminarii dote ac divini cultus expensis, reditus et bona omnia assignat et attribuit, quibus coenobium ipsum Beatae Mariae Virginis de Monteserrate actu potitur et gau-

det, aliaque quae in posterum obtinebit. Cum enim Abbatiae huius institutio ad christianam fidem propagandam humanitatemque ipsam promovendam quam maxime pertineat, eadem Sanctitas Sua minime dubitat quod fideles oportuna collaturi sint subsidia, quibus Abbatiae eiusdem necessitatibus consuli possit.

VII. Constitutio capituli.

VII. Novae huius Abbatiae Nullius Capitulum a monachis coenobii B. Mariae Virginis de Monteserrato, qui sollemnem emiserint professionem, constituetur, iisque Sanctitas Sua onera imponit eademque iura et privilegia concedit, ad quae tenentur quibusque fruuntur monachi capitulorum aliarum Abbatiarum Nullius dioecesis ex Ordine Sancti Benedicti.

VIII. Seminarium erigendum; mittendi bini alumni in Coll. Pium Latinum Amer. Urbis.

VIII. Clericorum pariter Seminarium, quo citius fieri possit, ad normam et iuxta sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta erit erigendum, in quo excipiantur clerici, quos Abbas neo-erectae Abbatiae Nullius admittendos esse censuerit. Et quoniam adest in Urbe Seminarium Pio-Latino-Americanum, in quo praeclari Evangelii praecones et animarum rectores ipsis sub oculis Romanorum Pontificum exculti sunt et excoluntur, praecipit Sanctitas Sua ut, quemadmodum ab aliis Americae Latinae dioecesibus, ita etiam a neo-erecta Abbatia Nullius, cum primum fieri poterit, bini in eo non intermissa vice collocentur adulescentes in Ecclesiae spem alendi.

IX. Exemptio Sacerdotum magistrorum.

IX. Ad omnes autem praecavendas difficultates quae oriri possent, statuit Sanctitas Sua ut sacerdotes qui ad sacras vel profanas disciplinas clericis in Seminario neo-erectae Abbatiae Nullius tradendas assumpti fuerint, quique intra Seminarii ambitum resederint, eodem quo monachi exemptionis iure fruantur, atque coenobii Beatae Mariae Virginis de Monteserrato Abbati veluti proprio Ordinario in omnibus subiciantur.

X. Acta tradenda novae Cancellariae.

X. Statuit quoque Beatitudo Sua ut omnia et singula documenta loca respicientia quae novae Abbatiae Nullius Beatae Mariae Virginis de Monteserrato secundum hoc consistoriale decretum addicta et attributa sunt, quaeque actu in Cancellaria dioecesis Amazonum servata reperiuntur, ab ea extrahantur, et Cancellariae neo-erectae huius Abbatiae Nullius tradantur, in ea in perpetuum custodienda.

XI. Reservatur ius dismembrandi, et mutandi fines.

XI. In hac nova Abbatia Nullius erigenda et finibus supra descriptis eidem attribuendis, Sanctitas Sua expresse Sibi et Apostolicae Sedi potestatem reservavit dismembrationes quascumque seu novam ipsius Abbatiae circumpscriptionem libere decernendi quandocumque id in Domino opportunum visum fuerit, nullo in id Abbatis et Capituli abbatialis ecclesiae assensu exquisito, neve ulla attributa territoriali compensatione.

XII. Portio tamen stabilius Ordini S. Benedicti adicitur.

XII. Attamen si quando territorium *Rio Branco* nuncupatum ita dividi auspicato contingat, ut nova intra eius limites erigenda sit dioecesis, placuit Sanctitati Suae disponere, ut certa quaedam territorii pars, illa nempe quae ad dexteram fluminis *Rio Branco* protenditur, Ordini Sancti Benedicti sub iurisdictione vel Abbatis generalis totius congregationis Benedictinae Brasilianae vel alterius Abbatis Nullius pariter dioecesis prout Apostolica Sedes decernendum censuerit subiecta semper remaneat.

XIII. Provisio generalis de futuris difficult.

XIII. Cetera vero omnia, quae res, iura et personas respiciunt, quorum expressa in hoc consistoriali decreto mentio habita non est, statuit Sanctitas Sua firma et rata omnia secundum canonicas leges et catholicae Ecclesiae dispositiones manere debere. Quod si qua difficultas aut controversia quod ad praemissa deinceps in erecta Abbatia Nullius oriatur, ea ad

Apostolicam Sedem deferenda erit, quae, rebus accurate perpensis, prout de iure decernendum curabit.

XIV. Taxatio Abbatiae.

XIV. Habita ratione condicionis temporum, statuit quoque Sanctitas Sua noviter erectam Abbatiam Beatae Mariae Virginis de Monteserrato in florenos auri de Camera triginta tres cum tertia floreni parte taxari, et huiusmodi taxam in libris Camerae Apostolicae describi.

XV. Deputatur Nuntius pro exsecutione.

XV. Ad praemissa demum exsequenda, SS^mus D. N. deputari voluit R. P. D. Alexandrum Bavona, Archiepiscopum titularem Pharsalensem et in Brasiliana Re publica Nuntium Apostolicum, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, itemque definitive pronuntiandi super quacumque oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad sacram hanc Congregationem Consistorialem transmittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, iussitque hisce de rebus praesens edi decretum consistoriale perinde valiturum ac si super iisdem Apostolicae Litterae sub plumbo vel sub anulo Piscatoris datae fuissent, et inter acta referri sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Firmitas decreti.

Dies (15 aug. 1907).

Datum Romae, hac die 15 augusti anno Domini 1907.

Pro R. P. D. Secretario
Iulius Grazioli, S. C. et Secr. S. Coll. Substitutus.

---

293. — S. RITUUM CONGR. (13 nov. 1907)

INDULTA, EX AUD. SS^mi DE MISSIS VOTIVIS

Ordinis Fratrum Minorum

A. *Missa votiva de S. Familia in ecclesia Nazarethana S. Ioseph.*

Orator

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, clementer referens supplicibus votis reverendi Patris Fratris Roberti Razzóli, ex Ordine Fratrum Minorum, custodis Terrae Sanctae, Reverendissimi Patris Procuratoris generalis eiusdem Ordinis commendationis officio communitis, ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali sacrorum Rituum

Indultum

Congregationi Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut in ecclesia S. Ioseph, quae erecta est ubi Domus Nazarena eiusdem sancti Patriarchae traditur exstitisse, Missa votiva de sancta Familia Iesu, Mariae, Ioseph, celebrari valeat cunctis diebus, quibus respectivae Missae votivae in sanctuariis Terrae Sanctae primi Ordinis, iuxta Apostolicum indultum diei 31 augusti 1895 permittuntur : servatis ceterum Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (13 nov. 1907).

Die 13 novembris 1907.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

B. *Missa votiva de Mysteriis Viae Dolorosae in oratoriis Hierosalymitanis.*

Cum anno superiore ab Apostolica Sede festum cum Officio et Missa propriis universo Ordini Fratrum Minorum concessum sit de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi ; reverendus Pater Frater Robertus Razzóli ex eodem Ordine custos Terrae Sanctae, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam Decimum humillimis precibus flagitavit, ut Hierosolymis in sacellis in decursu Viae Dolorosae erectis, ubi singula Mysteria quae mente recoluntur adimpleta fuere, eiusmodi Missa votiva de eiusdem Mysteriis celebrari valeat, prout ibidem, ex Apostolico indulto diei 31 augusti 1865 celebrantur respectivae Missae votivae in sanctuariis minoris ordinis.

Occasio

Orator

Petitio

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, attento commendationis officio Reverendissimi Procuratoris generalis memorati Ordinis, privilegium Missae votivae de Mysteriis Viae Dolorosae Domini Nostri Iesu Christi concedere dignata est iuxta preces, excepto omnino sacello quod exstat in statione, ut aiunt, decimaquarta eiusdem Viae Dolorosae ; attamen pro omnibus sacerdotibus in unico altari exstante in singulis sacellis ; et pro sacerdotibus tantum peregrinis vel peregrinantium ducibus, ubi habeantur plura altaria : servatis Rubricis ceterisque clausulis in memorato indulto appositis pro sanctuariis minoris ordinis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Indultum

Die 13 novembris 1907.

Dies (13 nov. 1907).

S. Card. Cretoni, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

---

294. — SS. D. N. PII PP. X

INDULTA 4 IAN. ET 30 MARTII 1908

De receptione militum in Confratern. Scapularis

A. *Indultum 4 ian. 1908.*

P. Praepositus generalis Carmelitarum Discalceatorum, ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit quod milites praesertim ex natione Gallica in plurimis versantur difficultabus ad opera religionis peragenda, nullum plerumque habentes, sive in xenodochiis, sive in castris, tempore belli sacerdotem qui illos adiuvet ad pie vivendum sancteque moriendum. Quapropter valde commotus illorum misera condicione, rogat Sanctitatem Vestram, quatenus concedere dignetur ut confraternitati S. Scapularis B. V. Mariae de Monte Carmelo aggregentur, illiusque indulgentias et gratias lucrari valeant, dummodo praefatum scapulare iam prius rite benedictum sibimet ipsis imponant, necnon aliquas fundant preces ad B. V. Mariam sicque in eiusdem B. Virginis protectione constituantur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Orator, Proposita ratione,

Petit *pro militibus specialem impositionis rationem.*

Et Deus, etc.

Concedi-tur. *Iuxta preces in Domino*

Dies (4 ian. 1908). Die 4 iunuarii 1908.

PIUS PP. X

B. *Indulto 30 martii 1908, concessum est ut omnes indiscriminatim milites privilegio isto uti possent.*

ANNOTATIONES

1. Quamvis ratio praesertim cadat in milites Galliae, quorum condicio ansam petendi dedisse videtur, valet tamen de omnibus cuiusvis populi militibus. Prior quidem gratia milites supponebat in xenodochiis vel in castris tempore belli, sed altera gratia restrictiones sunt sublatae.

2. Gratiam sic interpretantur (v. gr. BOUDINHON, LE CANONISTE CONTEMPORAIN, 1908, p. 673, et ACTA S. SEDIS, 1908, p. 670), ut leges cooptationis solas afficiat, minime vero mutet condiciones a sodalibus implendas ut indulgentias lucrentur. Vis itaque gratiae haec est, ut rite benedictum scapulare possint, omissa etiam inscriptione, milites sibi imponere, dummodo ea occasione aliquas preces fundant ad B. V. Mariam. Dicant v. gr. ter Ave Maria. R. D. BOUDINHNON, l. c. etiam unum Ave sufficere existimat.

---

295 — S. C. EPISCOPORUM ET REG.

RESPONSUM, EX AUDIENTIA SS^mi 21 IUN. 1908

Concedens usum cappae magnae Abbati Generali Cisterciensium

Orator. **Petitio.** Il P. Vicario [1] Generale dell'Ordine dei Cisterciensi della Comune Osservanza, a nome anche degli Vicari....., umulmente implora che la S. V. benignamente si degni concedere al P. Abate Generale dell'Ordine il privilegio della Cappa Magna, con tutte le facoltà, grazie e prerogative che vi sono annesse.

Che della grazia.

Concessio *in aud. 21 iun. 1908.* Ex Audientia diei 21 iunii 1908, Sanctitas Sua benigne excipiens preces Vicariorum Generalium Congregationis Cisterciensis Communis Observantiae privilegium Cappae Magnae P. Abbati Generali impertiri dignata est.

Dies (21 iun. 1908). Romae, die et anno ut supra.

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. Giustini, Secret.

---

[1] Sic latine: P. Vicarius Generalis Ordinis Cisterciensium communis observantiae, nomine etiam aliorum Vicariorum.... humiliter implorat S. V., ut P. Abbati Generali privilegium concedat cappae magnae cum omnibus facultatibus, gratiis et praerogativis conexis.
Et Deus, etc.

296. — S. CONGR. STUDIORUM

LITTERAE 1 IULII 1908

De utenda lingua latina in seminariis

Neglectam linguam latinam valde dolet,

Vehementer sane dolemus quod accepimus linguam latinam in quibusdam Seminariis ita neglegi ut a disciplinis non solum philosophiae et iuris canonici, sed etiam ab ipsa universa theologia remota esse videatur. Quod discipulis iis praesertim qui subtiliore et exquisitiore ratione in magnis Lyceis ad has disciplinas applicaturi sunt, maximum affert detrimentum.

Additis rationibus ex humanitate,

Ipsi quidem omittimus quantopere et expetenda et colenda ea esset a Clero — cui litteratum esse numquam dedecuit — quippe cum latinae litterae secundum graecas ceterarum sint fons et fundamentum.

ex adoptione Ecclesiae,

At illud in primis, quod maximi momenti et ponderis est, notari atque animadverti volumus, linguam latinam iure meritoque dici et esse linguam Ecclesiae propriam.

Et profecto hac lingua, si quando necessitas exigat, sacerdotes desiunctarum diversarumque civitatum colloqui et scribere inter se solent ad sensa mentis pandenda, quae aliter inter se pandere non possent. Hac lingua, in qua sacri libri veteris novique Testamenti versi sunt, Clerus canonicas recitat precationes, sacrum facit omnesque sacros ritus et caerimonias, quas Liturgia praescribit, exsequitur. Quin etiam, hac lingua Summus Pontifex et Sacra Consilia Ecclesiae negotiis curandis in litteris actisque omnibus edendis utuntur. Accedit quod quos doctissimos libros sancti Patres Ecclesiaeque Doctores latini scripsere, eos et huic linguae commendarunt.

ex utilitate philosophiae et sacrarum disciplinarum.

Sed praeterea lingua latina cum Philosophiae, tum sacrarum disciplinarum lingua facile dicenda est. Cum enim ipsius vis et natura ea sit ut aptissima existimetur ad difficillimas subtilissimasque rerum formas et notiones valde commode et perspicue explicandas, hac perpetuo usi sunt a media quae vocatur aetate usque ad totum saeculum XVIII eademque usque adhuc uti solent et scriptores in libris scribendis sive de theologia, sive de iure canonico, sive de ipsa Philosophia et magistri in iisdem docendis disciplinis.

Commendatio usus pro magistris, studii pro alumnis.

Quapropter, cum ex his quae diximus satis appareat summa sacrorum alumnis huius linguae cognitione opus esse, hoc S. Concilium studiis regendis etiam atque etiam hortatur cum magistros, ut ad normam Constitutionis Leonis PP. XII « *Quod divina Sapientia* », tit. VI, cap. 82-84, hac lingua disciplinas tradant, cum discipulos, quo alacrus pleniusque, secundum Litteras Encyclicas « *Depuis le jour* », die VIII Mens. sept. A. MDCCCXCIX a summo Pontifice Leone PP. XIII datas, in huius linguae studium incumbant prout sacra studia potissimum apud Archigymnasia requirunt.

Spes docilitatis.

Firma spe freti fore ut Amplitudo tua omni ope et opere eniti velit, ut nostris his optatis quam optime satisfiat, dum Te oramus ut has litteras acceptas Nobis significes, peculiari cum observantia Tibi omnia fausta a Deo O. M. apprecamur.

Dies (1 iul. 1908).

Datum e S. Congregatione Studiorum, Kal. Iul. A. MDCCCCVIII.

FRANCISCUS, Card. SATOLLI, *Praefectus.*

A. Dandini, a Secretis.

297. — S. RITUUM CONGR. (9 sept. 1908)

ADDENDA IN MARTYROLOGIO

11 oct. *Quinto Idus octobris* (*11 oct.*)

De S. Alexandro Saulo. Ad calcem, post verba, *Veronae Sanctae Placidiae Virginis* : « Calotii, in dioecesi Astensi, olim Papiensi, Sancti Alexandri Sauli, Episcopi confessoris e congregatione Clericorum Regularium Sancti Pauli, genere, virtutibus, doctrina et miraculis clari ».

16 oct. *Decimoseptimo calendas novembris* (*16 oct.*)

De S. Gerardo Maiella. Ad calcem, post verba *Ratum habuit et confirmavit* : « Muri, in Lucania, Sancti Gerardi Maiella, Confessoris laici professi congregationis Sanctissimi Redemptoris, quem miraculis clarum Pius decimus Pontifex Maximus Sanctorum albo accensuit ».

Approbatio SS. Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto sacrorum Rituum Congregationis Secretario, suprascripta Elogia de S. Alexandro Sauli Episcopo Confessore, et S. Gerardo Maiella Confessore approbare dignatus est, ac Martyrologio Romano respective inserenda benigne indulsit. *Dies (9 sept. 1908).* Die 9 septembris 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

298. — SS. D. N. PII PP. X

ORDO SERVANDUS IN ROMANA CURIA. PARS ALTERA. PROMULGATA 29 SEPT. 1908

Normae peculiares [1]

Cap. I. — De ambitu competentiae singulorum officiorum S. Sedis

Duplex genere competentia, territorialis vel materialis. 1° Secundum praescripta constitutionis *Sapienti consilio*, Officiorum Sanctae Sedis competentia partim territorium, partim vero materiam afficit.

Competentia S. Officii, a) Congregationi Sancti Officii, in suae competentiae rebus, territorii limites nulli sunt.

C. Consistorialis, b) Consistorialis munia sunt circumscripta regionibus iuri communi obnoxiis, in quibus ipsa suam et cum aliis non communem habet competentiam circa ea omnia quae ad regimen dioecesanum, ad seminaria, ad Episcoporum aliorumque Ordinariorum electionem, ad Apostolicas visitationes, ad relationes de statu dioecesum referantur.

C. de disciplina Sacramentorum, c) Congregationi de disciplina Sacramentorum, in iis quae matrimonium spectant, competunt quoque loca Congregationi de Propaganda Fide obnoxia, ad memoratae Constitutionis normam. Circa cetera Sacramenta competentiam habet circumscriptam regionibus iuri communi subiectis.

C. Concilii et Studiorum, d) Concilii et studiorum Congregationibus, in ipsarum competentiae negotiis, certi locorum assignati sunt limites, quemadmodum Consistoriali.

---

[1] Cfr. supra, p. 244, normas 29 iun. 1908, quae ex Commentario Officiali, p. 36, dicendae sunt *communes* et *Pars prima*.

e) Congregatio Religiosorum sodalium praecipuam et propriam habet competentiam in religiosos ubicumque versantur, atque in rebus omnibus quae statum, disciplinam, studia et sacram ipsorum Ordinationem spectant, salvo iure Congregationis de Propaganda in religiosos qua missionarios.

C. Religiosorum,

f) Propagandae Fidei Congregatio iurisdictionem locis et rebus circumscriptam habet, iuxta memoratae Constitutionis praescriptum.

C. Propagandae Fidei,

g) Congregationibus Indicis, Rituum, pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Caerimoniali, itemque Tribunalibus tum interni tum externi fori, pro suae competentiae negotiis, nulli sunt constituti territorii limites.

Ceterarum Congregationum et Tribunalium.

2º Etsi, abrogata iurium cumulatione in Sanctae Sedis Officiis, sua cuique negotio sit constituta sedes; nihilo minus, qua in peculiaribus casibus dubitationi aut errori locus esse potest, firma manet antiqua lex qua, delato et excepto ab aliquo Officio supplici libello pro impetranda re sive ad gratiam pertinente sive ad iustitiam, nemini ulla de causa licet aliud suo marte Officium ad eundem finem adire; sed opus est assensu Officii ipsius quocum agi coeptum est, aut Congregationis Consistorialis decreto, quo venia detur transmittendi negotii.

Post delatum supplicem libellum de gratia vel iustitia, frustra aliud aditur Officium, pendente causa.

Quaevis concessio ab Officio alio profecta contra memoratam legem, irrita esto.

3º In expostulationibus ad Sanctam Sedem, si libellus ad S. Rotam delatus est, Decanus cum duobus auditoribus primis; si ad aliquam Congregationem, ordinarius eiusdem Congressus de quaestionis natura videbunt, utrum res administrationis ac disciplinae tramite tractanda sit, an summo iure agendum.

Quo modo definiatur utrum oeconomice an stricto iure sit causa tractanda.

Horum primum si accidat, iudicium quaestionis reservatur sacrae Congregationi cui competit, ad normam Const. *Sapienti Consilio*. Alterum si fiat, quaestio ad proprios iudices ac sua tribunalia deferatur ad normam uris communis definienda, salvo semper proprio Signaturae Apostolicae procedendi modo.

N. B. *Ex reliquis capitibus ea tantum referemus, ac plerumque summatim, quae scire nostra interest. Cum primo tamen capite coniungenda est recentissima responsio S. Congregationis consistorialis. Supponamus iam in Congressu S. Congregationis ad quam causa quaepiam sit delata hanc iudiciario ordine tractandam videri. Ad quemnam remittenda erit iudicem primae instantiae, cum S. Rota sit per se tribunal appellationis? Atque, excepta causa peculiari dispensationis super matrimonio rato, quae omnis ad S. Sedem reservatur, sapienter responsum est causam tunc ad Ordinarium devolvi, nisi Sanctissimus, speciali rescripto, Rotam fecerit competentem. Tenor soluti nis est huiusmodi.*

S. Congregationis consistorialis

Dubium.

Emi Patres, in Congregatione generali diei 28 ianuarii 1909, proposito dubio, utrum causae quae formali sententia, saltem primi gradus, carent et ad sacras Congregationes delatae sunt, remitti possint iure proprio ab ipsis sacris Congregationibus ad S. Rotam, an potius id ipsis liceat per rescriptum commissionis de mandato Sanctissimi; respondendum censuerunt: *Exceptis causis dispensationis super matrimonio rato, quas S. Congregatio de sacramentis potest iure proprio remittere ad S. Rotam, ut de facto inconsummationis videat, negative ad primam partem; affir-*

Responsum. *Speciali rescripto opus est ut Rota causam iudicet in 1ª inst.*

mative ad secundam, cauto ut in commissionis rescripto normae praefiniantur quibus processus, si deficiat, instruatur.

Facta vero hac de re relatione ad S^mum, die 29 eiusdem mensis per Cardinalem S. C. Consistorialis Secretarium, Sanctitas Sua resolutionem Emorum Patrum ratam habuit et approbavit.

Carolus Perosi, substitutus.

Caput II. — De iis quae plenae Congr. reservantur et congressui tribuuntur

De Congressu et plena Congregatione.

Optata inculcatur distinctio inter causas quae plenariis comitiis seu Congregationi generali reservantur et eas quae Congressu definiri possunt. Unde Congressus dubia non solvat nisi agatur de applicatione rei iam deliberatae ad casus similes « ubi res perspicua sit, obvia, nullique obiecta controversiae ; gratias non largietur, nisi, pro potestate a Pontifice maximo facta, facultates, gratias, indulta, quae consueta sint et facilia ». Cetera omnia a plena Congregatione definientur vel concedentur.

Caput III. — De modo tractandi negotia non stricte iudicialia

Vis gratiae ore concessae.

Ex art. 1. *De rebus gratiae*. N^us 2 illud habet notabile : « Gratiae quas quis pro se a Sancta Sede ore tenus assequitur, ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur. Nemo tamen potest cuiuscumque privilegii usum adversus quemquam vindicare, nisi privilegium ipsum legitime probet. »

Formae rescriptorum gratiae.

N. 3 et 4. In his numeris duplex modus indicatur quo S. Sedes consuevit supplici libello benigne respondere.

Quandoque preces remittit ad ecclesiasticum virum, qui plerumque est Ordinarius, cum facultate facta « petitam gratiam largiendi, sive totam sive certis limitibus circumscriptam ». Res tum prudenti huius viri conscientiae et arbitrio permittitur, ita ut de ipsa opportunitate concedendae gratiae iudicium ferre possit.

Communiter tamen ipsa S. Sedes gratiam largitur, idque forma *gratiosa* vel *commissoria*.

« Si forma gratiosa, exsecutorem suapte natura non postulant. Exhibenda tamen Ordinario sunt, qui ea suo recognitionis rescripto roboret, si de rebus agatur publicis, cuius generis indulgentiae sunt communiter impertitae, sacrae reliquiae publicae venerationi proponendae, aliaque huiusmodi ; aut si comprobare condiciones quasdam oporteat, uti loci decorem in sacellis privatis, aliaque id genus.

« Si vero commissoria forma rescripta expressa sint, opus habent exsecutore. Nec licet Ordinario exsecutionem detrectare, nisi forte alterutrum occurrat ut, aut manifesto vitiosae, hoc est obrepticiae vel subrepticiae sint preces, aut qui gratiam impetravit adeo videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit indulti concessio. Haec si accidant, Praelatus, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciet Apostolicam Sedem. »

Taxa recognitionis.

N. 5. vetatur omnis taxa pro recognitionis testimonio, praeter sarciendas impensas, si quae necessariae fuerint.

Absolutio ad cautelam iam non requiritur.

N. 6. A die 3 nov. 1908, gratiae ac dispensationes omne genus a S. Sede concessae etiam iis qui censura sint irretiti, ratae ac legitimae pronuntiantur « nisi de iis agatur qui nominatim excommunicati sint aut a S. Sede nominatim pariter poena suspensionis a divinis multati ». Optima sane

dispositio, qua tollitur utilitas absolvendi ad cautelam piissimos etiam viros quibus beneficia impertiebantur.

Ex art. 2. *De causis quae via disciplinari tractantur*. Duo hoc loco sunt notanda. *Via disciplinaris tractandi causas.*

a) Removetur omnis contestatio litis, testium auditio, nec admittuntur patroni causarum : audientur tamen partes quarum interest, ab iisque prolata documenta excutientur. Haec agendi ratio apud S. C. Propagandae Fidei iam erat usu recepta.

b) Postquam, partibus non recusantibus, quaestio est sic, modo extraiudiciali, agitari coepta, partes non possunt, nec instante causa nec ea finita, actionem stricte iudicialem instituere. S. tamen Congregatio, in quovis stadio quaestionis, causam ad ordinarios iudices deferre permittitur.

Caput IV. — De diebus quibus cardinalium coetus habentur et de modo procedendi plenariarum Congregationum

a) *Stati dies* sunt : feria II, SS. CC. Prop. Fidei et Indicis ; — Stati dies quibus CC. conveniunt fer. III, SS. CC. Rituum, Caerim. et Studiorum ; fer. IV, S. Officium ; fer. V, SS. CC. Consistorialis et pro Negot. Eccl. extraord. ; fer. VI, SS. CC. Sacramentorum et Religiosorum ; Sabbato, S. C. Concilii, et Signatura Apostolica. Observes conventus istos non esse hebdomadarios.

b) Ab evulgata sententia decem dies conceduntur parti oneratae ad postulandum beneficium novae audientiae, quam Cardinalis Praefectus, audito congressu, concedere poterit aut recusare. *Beneficium novae audientiae.*

Si tamen et responso addita fuerit clausula : *amplius non proponatur*, beneficium istud non poterit nisi ab universa Congregatione concedi.

Caput V. — De relationibus S. Pontifici agendis

De complicatioribus saltem negotiis referendum est scripto compendio, quod in tabulario asservatur. Si quid autem S. Pontifici immutare placuerit, Emi Patres, « ad ipsorum normam » de re, in proximo coetu, certiores fient. *Relatio scripta. Sententia S. Pontificis.*

Caput VI. — De munere variorum administrorum communiter

Ex isto capite 6 iuvabit rescire, epistulas ac rescripta communiter redigenda esse in foliis quae nomen praeferunt S. Congregationis a qua sunt profecta, atque ea forma esse conficienda quae iam in Romana Curia viget. *Ratio redigendi rescripta, etc.*

Caput VII. — De singulis sacris Congregationibus

Art. I. *De S. Officio*. N. 6. In tractandis quaestionibus fidei vel morum ut in concedendis dispensationibus matrimonialibus disparitatis cultus et mixtae religionis, sacra haec Congregatio iubetur in primis suam retinere consuetudinem, « servatis normis in hac lege constitutis, quantum cum necessaria S. Officii disciplina componi possint ». *S. Officium morem suum servat et dubia solvit propriae competentiae.*

Quare, dubia de sua competentia, qualis est C. *Sapienti Consilio* definita, ipsa per se dirimere perget.

N. 7. Mos tamen procedendi debet scribi et proponi S. Pontifici approbandus.

N. 8. *De indulgentiis*, quarum disciplina et gratiae sunt ex C. *Sapienti* tributae huic S. Congregationi, confirmatur lex C. *In ipsis*. Clementis IX, *Eius competentia de indulgentiis.*

6 iul. 1667. Munus itaque habet : « omnem difficultatem ac dubietatem in indulgentiis emergentem, R. Pontifice circa graviora difficilioraque consulto, expediendi ; ac, si qui abusus in iis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi ; causas vero, iudicialem formam requirentes ad proprios iudices remittendi ; falsas, apocryphas indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi ; impressas recognoscendi et examinandi, ac, ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiciendi ; ac in concedendis indulgentiis moderationem adhibendi ».

Deferendum exemplar concessionis generalis.

Praeterea, quod probe notandum est, firma manet etiam lex Benedicti XIV 28 ian. 1756 (approbantis decretum S. C. Indulg. ac Reliq.) et Pii IX 14 apr. 1856, secundum quam, qui *generales* (omnibus propositas) indulgentiarum concessiones obtinuerint, debent, « *sub poena nullitatis gratiae obtentae*, exemplar earundem concessionum ad secretarium S. Congregationis deferre. »

Modus indulgentias expediendi.

N. 14. Per Breve mittentur indulgentiae perpetuae, et perpetuae facultates applicandi indulgentias alicui piae suppellectili ; praeterea indulgentiae temporariae quae totam dioecesim, provinciam, regionem vel universam Ecclesiam amplectuntur

N. 15. « Epistulae ac rescripta de indulgentiis a Congr. S. Officii exarata, subscriptum gerent nomen Cardinalis a secretis, aut alicuius ex Emis Patribus eiusdem sacri Consilii, contra posita subscriptione assessoris, eoque impedito, substituti ab indulgentiis. »

C. Consistorialis. Relationes de statu dioecesum.

Art. II. *De Congregatione Consistoriali*. Confirmatur eius competentia. N. 8, statuitur : « relationes de statu dioecesum, nisi gravior urgeat providendi ratio, ad plenam Congregationem non deferentur seorsum singulae, sed pro variis provinciis regionibusve coniunctae. »

C. de Sacramentis. Eius facultates.

Art. III. *Congr. de Sacramentis*. N. 10. Operae pretium erit recensere facultates quas, ex. n. 10, concedere potest.

« a) Asservandi SSmam eucharistiam in templis aut in sacellis eo iure carentibus ;

« b) Celebrandi sacrum in sacellis privatis, et cetera largiendi privilegia quae in hac re concedi solent, ipsius decori sacelli advigilans ;

« c) Erigendi altaris ad litandum sub dio :

« d) Celebrandi ante auroram et post meridiem ;

« e) Legendi missam feria V, in Cena Domini, itemque tres missas Nativitatis Domini, noctu, in sacellis privatis, cum distributione SSmae Eucharistiae ;

« f) Utendi pileolo vel capillamento in celebratione Missae, aut in deferenda SSma Eucharistia ;

« g) Caeco aut caecutienti, ut litare possit cum facultate legendi Missam votivam B. M. Virginis aut pro defunctis ;

« h) Celebrandi sacrum in navibus ;

« i) Episcopum consecrandi die alio ab iis qui in Pontificali Romano statuti sunt ;

« k) Sacros ordines extra tempora conferendi ;

« l) Eximendi fideles, *ipsosque sodales religiosos*, quotiens opus sit, a lege ieiunii eucharistici. »

N. B. Plures ex istis facultatibus perget etiam S. C. Propagandae Fidei suis subditis concedere. Cfr. responsa S. Congr. Consistorialis, relata n. **308,** p. 316.

Dispensationes matrimoniales.

N. 17. Dispensationes matrimoniales aliae iam dicuntur *minoris* gradus, aliae *maioris* gradus. Priorum concessio, loco maiorum Praepositorum, « a subsecretario *dispensationum* aut ab eius adiutore signatur ; dum dispensatio maioris gradus a Card. Praefecto conceditur aut a Praelato a secretis. »

N. 18. « In dubiis, subsecretarius de re conferet cum Praelato a secretis aut cum Card. Praefecto ; hic ad Congressum plenamve Congregationem referet ; ad ultimum, prout res ferat, relatio fiet S. Pontifici. »

N. 19. « Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis :

« a) Consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti vel tertii mixti cum secundo ;

« b) Affinitatis in primo gradu et in secundo simplici vel mixto cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat ;

« c) Cognationis spiritualis cuiusvis generis ;

« d) Publicae honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium ratum, super quod iam dispensatum sit, fueritque solutum. »

N. 20. « Dispensationes *maioris gradus* concedi solitae, interveniente legitima causa, sunt ab impedimentis :

« a) Consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis ;

« b) Affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis ;

« c) Criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

N. 21. « Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint ; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxia sive obreptionis vitio, sive surreptionis. »

Itaque falsitas vel defectus causae valori gratiae numquam obstabit, quatenus a S. Sede impedimenta ista relaxentur. Hactenus enim non novimus id valere de dispensationibus quas ex potestate delegata Episcopus concesserit.

C. Concilii facultates.

Art. IV. *Congregatio Concilii*. Haec pauca memorabimus, ex n. 4 ad ipsam spectare varias dispensationes ab obligationibus capitularibus, facultatem, pro sacerdotibus e clero saeculari, anticipandi officium matutinum, vel commutationem breviarii cum aliis precibus, dispensationem a ieiunio praescripto ante sacrarum aedium consecrationem.

Praeterea, ex n. 5, controversias de *Praecedentia* ipsa iudicat, nisi agatur de religiosis vel de Capella Pontificia et de Cardinalibus. Has solvit Congregatio caerimonialis, illas C. Religiosorum.

C. Religiosorum. Partitio negotiorum.

Art. V. *Congr. Religiosorum*. Ex n. 4 habemus provinciam, sub administris maioribus, aliquo modo dividi inter tres adiutores, ita ut unus curet quae ad religiosos Ordines pertinent, alter quae ad Congregationes et Instituta virorum ; tertius, quae ad Congregationes et Instituta mulierum.

Ex n. 6. Ad plenam Congregationem semper pertinebunt decretum laudis Instituti, vel approbationis constitutionum, et quaevis substantialis mutatio in instituto iam probato.

C. Prop. Fid.

Art. VI. *Congr. Propagandae Fidei*. Ex n. 3, indulta quae hactenus haec Sacrae Congregatio iis etiam concedere solebat qui suae iurisdictioni non essent obnoxii, in posterum suis subditis tantum tribuet.

Quidpiam tamen ipsi est concessum pro regionibus longinquis, ex responsis 12 nov. 1908, ad II. Cfr. infra, n. **308**, p. 316.

C. Indicis. Art. VII. *Congr. Indicis.* De ea nihil occurrit observandum.

C. SS. Rit. Art. VIII. *C. SS. Rituum.* Observes, catologum gratiarum quas haec S. Congregatio largitur manere eundem qui ante, deminutum tamen partibus quae iam vel C. Sacramentorum (n. 10) vel C. Concilii (n. 4 et 5) sunt tributae.

Reliq. Congr. Art. IX-X. Reliquae Congregationes nihil praebent nobis notandum.

CAPUT VIII. — DE SINGULIS TRIBUNALIBUS

Tribunalia. Art. I. *De S. Paenitentaria,* hoc unum notabimus, omnia secreto et gratis in hoc sacro tribunali sicut antea expediri.

Art. II. *De Sacra Rota et Signatura Apostolica,* nihil est speciale nobis dicendum.

Officia. CAPUT IX. — DE SINGULIS OFFICIIS

Tabulae. Expeditio. APPENDIX. DE MODO IN TABULAS REFERENDI ET SCRIPTA EXPEDIENDI

. . . . . .

Vis ordinationis. Clausulae. « *Quae superioribus capitibus continentur, SS. D. N. Pii Pp. X iussu accedunt C*[l]. Sapienti consilio, *editae die 29 iunii 1908, et Ordinationi communi tunc temporis vulgatae. Eadem proinde vi pollent, anteriores abrogant contrarias leges, et servari ab omnibus integre debent, quavis alia ordinatione, usu, privilegio contrariis non obstantibus.*

Dies (29 sept. 1908). « *Datum Romae, die 29 mensis septembris, an. 1908.*

« *De speciali mandato SS. D. N. Pii Papae X.*

R. Card. MERRY DEL VAL.

---

299. — S. RITUUM CONGR. (6 nov. 1908)

RESPONSUM DE ORDINE STANDI VEL GENUFLECTENDI CORAM SS^mo EXPOSITO

Vicariatus Apostolici Hong-Kong

Orator. R^mus D^nus Pozzoni, episcopus titularis Tavian, et Vicarius Apostolicus missionis Hong-Kong, a sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii,

Dubium. ob maiorem perspicuitatem aliquantulum reformati, authenticam solutionem reverenter expostulavit, nimirum : utrum in functione quae coram sanctissimo eucharistiae sacramento publice exposito peragitur, dum ante hymnum *Tantum ergo* cantantur alii hymni vel antiphona *Regina caeli* tempore paschali, vel canticum *Magnificat* per anni decursum, sacerdos celebrans et ministri stare debeant aut manere genuflexi.

Responsum. Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicae sententia, re sedulo perpensa rescribendum censuit : Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Dies (6 nov. 1908). At ita rescripsit, die 6 novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

D. Panici, Archiep. Laodicien. Secretarius.

ANNOTATIO

Decreto Augustodunen. 17 sept. 1897 (n. 3965) statuerat S. R. C. : « Dum preces dicuntur ad benedictionem, exposito ss. Sacramento, officium faciens et ministri assistentes manere debent genuflexi, excepto hymno Ambrosiano in quo stant, iuxta rubricas et praxim. » Unde concludendum videbatur in laudibus vespertinis semper esse genuflectendum, praeterquam inter praedictum hymnum et ad orationes, inter quas solus celebrans stat (Decr. *Soc. Sales.* 16 fev. 1906). Praxis proinde in multis regionibus vigens, qua dum cantabantur *Magnificat* vel *Regina Caeli* tempore paschali, surgebatur, huic decreto videbatur adversari. Praesens decretum solutionem prorsus contrariam praebet, cum non solum dum cantantur *Magnificat* vel *Regina Caeli* standum esse praescribat, sed etiam inter hymnos. Responsum principio inniti videtur, in functione coram SSmo standum esse quotiens aliquid cantatur inter quod in choro est standum. Unde hanc eduxeris conclusionem, quae tamen usui ordinario et satis universali repugnat : in laudibus vespertinis raro esse genuflectendum, cum saepissime, — in nostris saltem partibus, — cantentur hymni liturgici ; nisi tamen functio illa ecclesiastica, de qua in decreto intellegi tantum debeat functio stricte liturgica, uti vesperae, ac proin decretum laudibus vespertinis non sit applicabile.

I. PAUWELS, S. I.

300. — S. RITUUM GONGR. (6 et 13 nov. 1908)

RESPONSA DE ALTARI CONSECRANDO

Andrien. [1]

A. *Andrien. De forma altaris papalis.*

Orator. R. D. Sebastianus Giorgio, caerimoniarius Rmi Dni episcopi dioecesis Andriensis, de eiusdem consensu, sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum : In ecclesia matrice S. Sabini, civitatis Canosae, dioecesis Andrien. nuper erectum est altare quod undequaque per se stat, ad formam altaris papalis, et cuius mensa marmorea sustentatur a quattuor columellis item marmoreis ; subtus vero est omnino vacuum, nec destinatur, prout in casu decreti *Tridentina*, 20 decembris 1890, ad recipiendam arcam ligneam paramentis asservandis. Hinc quaeritur :

Dubia.

I. An supra descriptum altare consecrari possit.

II. Et quatenus affirmative ad I, ubi facienda sit unctio chrismatis in fronte altaris.

Responsa. Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I. Ad I. Affirmative, iuxta plura decreta.

Ad II. Ad II. Unctio chrismatis, in modum crucis, fiat in fronte, seu in medio spissitudinis anterioris mensae.

Dies (6 nov. 1908). Atque ita rescripsit, die 6 novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

D. Panici Archiep. Laodicen., Secretarius.

[1] Cfr. t. VII. n. 630. p. 33.

B. *Concordien. De altaribus quae pluribus partibus constant.*

Orator, Petendi occasio.

Rmus Dnus Franciscus Isola, Episcopus Corcordien. in visitatione pastorali reperiit quaedam altaria consecrata uti fixa, quorum mensa ex pluribus lapidibus simul iunctis constat, aliqua vero similia cum mensa item ex pluribus partibus composita, sed in cuius medio exstat lapis quadratus in quo reconditae sunt sacrae reliquiae, vulgo *pietra sacra;* alia demum consecrata uti fixa, quorum mensa in medio nititur super basi ex muro, vel ex coctis lateribus quae in centro continet sacras reliquias. Quare idem Rmus Episcopus a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

Quaestiones *de permissa celebratione.*

An continuari possit usus celebrandi super dictis altaribus.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisito Commissionis liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit.

Responsa

Ad I. I. Quod ad altaria priora, pro gratia sanationis, dummodo sepulcrum sit integrum ex lapide.

Ad II. II. Quod ad altaria secundo loco descripta, Orator acquiescat.

Ad III. III. Quod ad postrema, infra tempus iudicio ipsius Episcopi determinandum eadem ad normam iuris reducantur, vel per parvum lapidem consecratum, vel (si nullum in ecclesia consecrata sit altare fixum) per totius mensae cum stipitibus consecrationem. Atque ita rescripsit, declaravit atque indulsit. Die 13 novembris 1908.

Dies (13 nov. 1908).

S. Card. Cretoni, *Praef.*
D. Panici, Archiep. Laod. Secretarius.

Annotatio

De priore decreto.

Ut habeatur altare fixum, requiritur ut mensa ex uno lapide minime fracto constans (decr. 3907 ad 3), solide et firmiter basi eiusdem dimensionis (decr. 3829 ad 2) inhaereat ope substructurae lapideae: vel saltem debet in quattuor angulis quattuor columellis ex lapide sustentari (decr. 3364 ad 2). In spatio libero inter has columellas nullo modo exstrui potest arca seu armarium paramentis seu aliis rebus asservandis (decr. 3741); sed nihil obstat quominus hoc spatium inserviat ad capsas sacrarum reliquiarum asservandas (decr. 3126); immo, ex praesenti decreto, potest remanere omnino vacuum ad formam altaris papalis.

I. Pauwels, S. I.

---

301. — S. RITUUM CONGR. (13 nov. 1908)

RESPONSA DE INSTRUMENTIS IN ECCLESIA

Orator.

Hodiernus Rmus Praeses Commissionis dioecesanae de Musica sacra ab Emo e Rmo Dno Cardinali Iosepho M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopo Compostellano, constitutae, a Sacrorum Rituum Congregatione reverenter expostulavit.

Dubia.

De oboës, clarinetes, trombones.

I. An in musica sacra organica admitti possint instrumenta oboës, clarinetes, trombones nuncupata?

De timbalis seu tympanis.

II. An instrumenta vulgo timbales seu tympani sint habenda uti fragorosa et strepitantia?

III. An eadem permitti possint in musica et orchestra religiosa ?

Quid, si in musica et orchestra religiosa ?

Et sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti secretarii, exquisita specialis Commissionis de Musica et cantu sacro sententia, ita respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. Possunt tolerari instrumenta musicae *Oboës* et *Clarinetes*, dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur.

Ad I.

Ad II. Provisum est in art. 19 instructionis Pontificiae *de musica sacra*, 29 novembris 1903 ; et omnino servetur artic. 16 eiusdem instructionis.

Ad II.

Ad III. Negative.

Ad III.

Atque ita rescripsit, die 13 novembris 1908.

Dies (13 nov. 1908).

S. Card. CRETONI, *Praef.*

D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

---

302. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

DECRETUM 21 NOV. 1908

Normae de « quaestuatione » a viris religiosis exercenda

DECRETUM

Ratio prospiciendi quaestuationi religiosorum.

De eleemosynis colligendis gravis quaestio, quae iam anteactis saeculis non semel agitata fuit, hodie praesertim, ob peculiaria rerum ac temporum adiuncta, in praxi maiores ac frequentiores prae se fert difficultates. Quibus ut occurreret, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, omnibus mature perpensis, die 27 martii 1896 promulgavit Decretum « *Singulari quidem* [1] », quo colligendarum eleemosynarum ministerium opportunis pro hodierna humanae societatis condicione communiebatur cautelis. Attamen mulierum dumtaxat respiciebat sodalitates. Quo autem et virorum Institutis Religiosis melius provideretur, eidem Sacrae Congregationi, in plenario consessu die 8 maii anni 1908 habito, visum est pro his quoque non nullas opponere quaestuationum normas ; quas, ex Secretaria supradictae Congregationis Episcoporum et Regularium acceptas, Sacra Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, de mandato SS^mi^ D^ni^ Nostri PII Divina Providentia PP. X, publici iuris facit.

I. — QUOD AD ORDINES MENDICANTES

Quaenam licentia Mendicantibus necessaria sit.

1° Regulares, qui Mendicantes vocantur et sunt, ex institutione Sedis Apostolicae cum sola licentia Superiorum suorum eleemosynas quaerere valeant in Dioecesi ubi erectus est Conventus. Ordinariorum licentia necessario censenda est data in ipso actu quo Conventus fundationi consensum praebuerunt.

2° Si vero iidem Regulares extra Dioecesim, ubi Conventus habent, stipem quaeritare velint, Ordinarii illius Dioeceseos licentia, per suos Superiores in scriptis obtenta, indigent.

---

[1] Decretum descripsimus t. 2, *De Religiosis Institutis et Personis*, n. **300**.

Licentiae concessio sit humana.

3° Ordinarii, praecipue limitrophes, hanc licentiam absque gravioribus urgentioribusque causis ne denegent, si aliquis Conventus ex quaestuatione in sola Dioecesi ubi erectus est vivere nullimode possit, ut in parvis Dioecesibus contingere solet.

Licentiae spatium

4° Quae licentia intellegitur habitualis, usque nempe ad expressam revocationem ; quae quidem revocatio, ut par est, non nisi legitimis de causis, iisque tantum perdurantibus, facienda est.

et usus rectus.

5° Ut Mendicantes praefato iure gaudeant, per se ipsos, non autem per personas Ordini extraneas, eleemosynas colligere debent.

6° Regulares quaestuantes semper secum habere debent litteras authenticas, quibus constet de debita facultate deque officio quaestuationis sibi commisso. Quas litteras parochis ultro exhibere tenentur ; nec non Ordinariis, quotiens ab ipsis requirantur.

Cautiones de vita religiosa.

7° Non licet Superioribus Regularibus ad hoc opus mittere nisi Religiosos aetate et animo maturos ; numquam eos qui studiis adhuc incumbunt.

8° Religiosi eleemosynas collecturi ne pergant soli sed bini, praesertim extra urbem seu locum ubi habent Conventum, seclusa gravis necessitatis causa ; quo in casu quaestuarius publice notus sit oportet atque aetate, virtute ac fidelium existimatione omnino commendatus.

9° Porro extra locum Conventuum quaestuantes, apud parochos vel apud alios clericos saeculares vel regulares, aut, iis deficientibus, apud aliquem pium benefactorem, christiana honestate et virtute conspicuum, divertant.

10° Extra propriam domum ne maneant ultra mensem, si in propria dioecesi ; non ultra duos, si in alia eleemosynas quaerant ; neque iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, vel respective per duos menses, vitam communem iuxta Regulam et Constitutiones in Conventu exegerint, prout uno vel duobus mensibus extra claustra degere debuerunt.

11° Qui in ipso loco ubi situs est Conventus, stipem corrogant, noctu extra propriam domum nequaquam manebunt.

12° Religiosi quaestuantes semper illa, qua decet, humilitate, modestia, munditie eniteant ; saecularium, praesertim mulierum cuiuscumque sint condicionis, familiaritatem caveant ; loca suae professioni minime congrua omnino devitent ; pietatem sincere foveant atque spiritualia exercitia in Religione ipsorum solita, pro viribus fideliter adimpleant.

13° Superiores Regulares, graviter onerata eorum conscientia, ne omittant quaestuariis suis normas agendi, quas prudentia suadet, opportunas praescribere.

Quid si deliquerint.

14° Si vero, quod absit, Regulares quaestuantes notorie deliquerint, fidelibus scandalum praebuerint, vel etiam contra legitimam prohibitionem eleemosynas colligere ausi fuerint, Ordinarius loci iubeat eos in propriam domum redire atque etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus Superiores moneat, ut illos corrigant et pro gravitate scandali puniant ; quod si secus fecerint, quam primum ad Sanctam Sedem recurrat.

II. — Quod ad Ordines vel Instituta Religiosa non Mendicantium

Quibusnam facultatibus opus habeant alia Instituta iuris pontificii.

1° Religiosi sive Ordinum sive Congregationum *iuris Pontificii*, qui privilegium [1] quaeritandi eleemosynas neque vi propriarum Constitutionum a S. Sede approbatarum, neque vi Apostolicae concessionis gaudent, veniam Apostolicae Sedis impetrare debent, ut quaestuationes instituere valeant ; praeterea licentiam per suos Superiores ab Ordinario loci obtinere tenentur, nisi forte S. Sedes in hoc expresse et specialiter iuri Episcopi derogaverit, quod numquam praesumi potest, sed indubitatis documentis probari debet.

Et Instituta iuris dioecesani.

2° Religiosi vero *qui sunt iuris Dioecesani*, opus colligendi eleemosynas nequaquam aggredi poterunt, nisi licentiam obtinuerint tum ab Ordinario loci in quo resident, tum etiam, si extra Dioecesim propriae residentiae abituri sint, ab Ordinario loci in quo stipem quaerere desiderant.

Potestas concessa Ordinariis locorum moderandi quaestuationem.

3° Ordinarii autem locorum, si opportunum visum fuerit, pro unaquaque Domo cuiusque Religiosi suae Dioeceseos Instituti, sive iuris Pontificii sive iuris Dioecesani, emendicato viventis, limites quaestuationis constituere possunt et respective servandos curare, praesertim ubi sunt Conventus Regularium nomine et re Mendicantium ; nec huiusmodi Religiosis non Mendicantibus quaeritandi licentiam concedant, nisi sibi constet de vero Domus vel Pii Operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat ; et si necessitatibus provideri potest per quaestuationem in loco vel districtu in quo Religiosi resident, aut intra Dioecesim, instituendam, ampliorem licentiam nequaquam concedant.

Facultates recognoscendae ab Ordinariis extraneis.

4° Ordinarius porro illius Dioeceseos, ad quam isti Religiosi aliarum Dioeceseon eleemosynas quaesituri accedant, collectas iis minime permittat, nisi prius per se vel per suos ad hoc Delegatos, praeter litteras oboedientiales proprii Superioris, facultatem, vel Apostolicae Sedis, si sint iuris Pontificii, vel proprii Ordinarii si sunt iuris dioecesani, recognoverit et huius Decreti praescriptis conformem invenerit.

Quid si pro Missionibus exteris quaerantur eleemosynae.

5° Insuper Ordinarius sedulo advertat, utrum qui pro Missionibus exteris subsidia quaerunt, praeter litteras commendaticias Vicarii vel Praefecti Apostolici respectivae Missionis et litteras oboedientiales Moderatoris Generalis proprii Instituti, habeant quoque facultatem a S. Congregatione de Propaganda Fide in forma authentica recenter datam.

Licentiae, gratis et scripto datae, forma exterior.

6° Licentiam colligendi eleemosynas Ordinarii concedant gratis et in scriptis, notatis semper (sive ad calcem litterarum oboedientialium sive in documento separato) tum nominibus Religiosorum, qui ad colligendas eleemosynas designati sunt, tum nomine Ordinis vel Instituti ad quod pertinent, tum loco et tempore pro quibus licentia valitura sit.

Cautiones indicatae Episcopis.

7° Licentias loco et tempore generales Religiosis huiusmodi nequaquam concedent Ordinarii, sed potius invigilabunt, ne sive quaestuantes, sive praetextu quaestuationis, extra propriam domum maneant ultra mensem, si in propria Dioecesi, aut ultra duos menses si in aliena eleemosynas quaerant ; neve iidem denuo mittantur, nisi postquam per unum, respec-

---

[1] Sic typis impressum ; legendum patumus : *privilegio*.

tive duos menses, in suo Conventu degerint, prout uno vel duobus mensibus foris manserant.

Varia a Religiosis observanda.

8° Ut Religiosi Ordinariorum facultate colligendi eleemosynas uti valeant, id per se, non per alios facere debent.

9° Ad haec et ipsi fideliter observent, quae supra pro Religiosis Ordinum Mendicantium sancita sunt, parte I, art. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 13.

Quid si deliquerint ?

10° In casu tandem, quo hi Religiosi quaestuantes contra legitimam prohibitionem eleemosynas collegerint, vel, quod Deus avertat, male se gesserint scandalove fidelibus fuerint, Ordinarius loci, etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus, eos pro gravitate delicti et scandali opportunis remediis coerceat et in propriam domum a suis Superioribus puniendos remittat.

Dies (21 nov. 1908).

Datum Romae, ex Secretaria supradictae Sacrae Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, in Festo Praesentationis B. M. V., die 21 novembris 1908.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
D. Laurentius Janssens, O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Brevis quae praeponitur praefatio, historica fata narrat Decreti quod, ex Secretaria modo exstinctae Congregationis acceptum, nova Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita ex mandato Pontificis promulgat.

In binas autem partes dividitur, quarum altera est Mendicantium Ordinum propria, altera aliis Institutis votorum sive sollemnium sive simplicium, iuris cum pontificii tum dioecesani communis.

2. *De Mendicantibus.* a) *Ius* in primis confirmat quale illud proposuimus in t. 1. *De Religiosis*, n. **272**. In dioecesi ubi exsistit eorum Conventus, « quaestuare » possunt ex sola Superiorum licentia ; in aliis dioecesibus debent ipsi Superiores veniam Ordinariorum obtinere.

Sed dum erga alia Instituta severitas potius suadetur, hic potius Ordinarii monentur ut sint benigni. Si quaestuatio fuerit necessaria, facultas sine gravioribus et urgentioribus causis ne denegetur. Facultas praeterea intellegitur esse habitualis, et stabilis donec revocetur. Cfr. I, 3, 4.

b) Ius tamen istud *per se*, non per alias personas exercendum habent. Id est, si quae aliae personae eleemosynas quaeritent, nullo Mendicantium iure vel privilegio fruuntur.

De ipso modo quo detrimenta vitae religiosae praecaveantur, varia sapienter statuuntur, peculiaribus Superiorum monitis perficienda, nis 7-13.

c) De Regularibus quaestuantibus qui deliquerint, confirmatur temperamentum quod iam in votis esse S. Sedis monuimus in t. 1, *De Religiosis Institutis*, etc n. **379**.

Ex iure enim communi, si regularis notorie et cum fidelium scandalo extra claustra deliquerit, Episcopus qui diligentiam Superioris regularis frustra sollicitavit, huius neglegentiam supplere potest ; dum hic, delegatur quidem potestas Apostolica ad Superiores monendos, sed pro neglegentibus agere Ordinarius non permittitur ; tunc, quam primum ad S. Sedem recurrat. Cfr. I, 14.

3. *De aliis Institutis.* a) In posterum iam constat Institutis *iuris ponti-*

ficii et pontificium privilegium et per se etiam facultatem Ordinarii loci, a Superioribus obtinendam, esse opus ut « quaestuare » possint. Idem iam colligi poterat ex nostro *De Religiosis Institutis* t. 1, n. **372**, 2 et **384**, 9. — Instituta iuris dioecesani facultatem Ordinarii loci ubi sedem habent, et Ordinarii loci ubi eleemosynas quaerunt impetrare debent.

Monentur praeterea Ordinarii ut Religiosis non Mendicantibus parce potius, quatenus necesse sit, praesertim ubi iam sunt nomine et re Mendicantes, licentiam istam concedant. Cfr. II, 3, 6, 7.

Factam praeterea facultatem per se ipsi non per alios exercere debent, I, 8.

b) In II, 5, recens S. Congregationis Prop. Fidei facultas videtur esse necessaria ut religiosi isti pro missionibus exteris subsidia quaerant. Verum istud est intellegendum quatenus facultas ista iure requisita sit. Scilicet, reicimur hic ad litt. encycl. S. C. de Propaganda Fide, 24 sept. 1882, quibus iura superiora de eodem argumento hac ratione memorantur et confirmantur, ut nulli ecclesiastici vel laici *orientalis ritus* « quaestuare » in Europa permittantur nisi muniti sint *formali et authentica* eaque *recenti* facultate S. Congregationis de Propaganda. Cfr. *Collectanea de Propaganda Fide*, ed. 2, n. 1575.

c) Omnis facultas coercendi delinquentes Ordinariis quidem non negatur. Potius tamen Superiorum diligentiam excitent, sicut iam ex C. *Conditae* eruimus in opere *De Religiosis Institutis*, I, **384**, 8.

4. Meminerimus denique illum « quaestuare » qui locum aliquem perlustret colligendo eleemosynas, non autem qui missis litteris vel paucas domos adeundo eleemosynas obtineat.

---

303. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

DECLARATIO S. OFFICII, 26 NOVEMBRIS 1908

Vis Motus Proprii, 1 aug. 1907, de missis in Natali Dni

De Motu Proprio 1 aug. 1907.

Postquam ad verbum exscriptum est motus proprius [1] *1 aug. 1907 qui habetur in Periodico, supra, n.* **225** (*t. 3, p. 168*), *hoc modo dubia proponuntur :*

Hoc decreto evulgato, quae sequuntur dubia fuerunt proposita :

Dubia.

I. An Indultum importat facultatem tres missas vel unam tantum pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis oratoriorum ianuis ?*

De apertis ianuis.

---

[1] Gratia his verbis est concessa : « Ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate sacras species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte nativitatis D. N. I. C. tres rituales missae, vel etiam, pro rerum opportunitate una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum missarum auditionem omnibus astantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas sua expresse declarari mandavit. »

De ecclesiis. II. An Indultum *Oratoriis* concessam extendi possit ad *Ecclesias* Religiosorum quae publico fidelis populi usui inserviunt ?

Responsa SSmus D. N. Pius Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori Sancti Officii, die 26 novembris anno 1908 concessa, respondit :

Ad 1. Ad I. Negative.

Ad 2. Ad II. Negative, salvo tamen religiosorum privilegio in media nocte Missam celebrandi.

Aloysius Castellano, Notarius.

ANNOTATIONES

1. In hac declaratione interpretanda, memores simus oportet privilegium de quo agitur esse a S. Pontifice concessum *motu proprio, ad fovendam pietatem fidelium, gratique animi sensus excitandos pro ineffabili Divini Verbi Incarnationis mysterio ;* atque e propensa SS. Domini voluntate manare, quippe qui *benigne indulgere* dicatur. Quae omnia, dum latam suadent Indulti interpretationem (cfr. Periodica nostra, t. 3, p. 169), strictam postulant praesentis Declarationis quae speciem praefert cuiuspiam exceptionis. Quare :

2. Responsum ad II intellegemus « sensu composito », id est, Indulto non est utendum in Ecclesiis quae et *quatenus publico fidelis populi usui inserviant*, ita ut omnis vis responsorum sic exponi possit :

De Oratoriis, quae vim populi capere non queunt, hoc unuum vetatur, ne inter celebrandum, media nocte, ianuae maneant apertae.

De Ecclesiis, illud praeterea cavetur, ne publico fidelium usui missae deputentur, quamvis inter celebrandum claudantur ianuae. Non itaque iam licebit campanis populum invitare, cuilibet, per dimidiam horam ante missas, apertas habere vel aperire ianuas quae dein, media nocte, claudantur. Sed si selecti tantum fideles admittantur, et celebratio fiat clausis ianuis, rectus, nostra sententia, fit usus privilegii. Sin aliter, quo pacto posset privilegii finis obtineri, qui est ut *fidelium pietas foveatur ?*

3. Dum usus privilegii negatur licere in Ecclesiis quae publico fidelium usui inserviunt, simul tamen expressis verbis reservatur privilegium *Religiosorum celebrandi missam in media nocte Nativitatis Dominicae.* Quaeritur iam de quonam privilegio hic sermo fiat ? De celebratione Missae sollemnis vel, ubi faveat consuetudo, Missae lectae quae sit quasi conventualis ? Verum obstat istud non esse privilegium Religiosorum, cum omnibus ecclesiis huiusmodi Missa in iure communi permittatur. (Cfr. GASPARRI, *De SS. Eucharistia*, I, n. 111).

Quare arbitramur potius hic agi de privilegio quod Motu proprio 1 aug. 1907 est concessum, et huc spectare praesentem clausulam, ut possint tamen Religiosi, etiam in ecclesia quae publico populi usui inserviat, celebrare missas memorato motu proprio permissas. Neque obstat Motum proprium valere etiam de seminariis. Citantur Religiosi, quia de ecclesiis regularium erat quaestio facta.

Itaque per se, nisi consuetudine prohibeantur, poterunt Religiosi, etiam coram publico fidelium coetu in suis ecclesiis media nocte celebrare, non tamen ss. Eucharistiam tunc publico fidelium coetui dispensare, ita ut optio quaedam sit vel publicae celebrationis, sine Eucharistiae dispensa-

tione, vel privatae seu quasi-privatae celebrationis, cum distributione ss. Eucharistiae fidelibus (invitatis seu selectis) astantibus permissa.

4. *Quaeres* denique qua auctoritate iam fas sit apertis ianuis atque in publicum fidelium usum in oratoriis vel ecclesiis religiosorum et seminariorum Motu proprio uti.

Cum Motus proprius permittat celebrationem et dispensationem Eucharistiae omnibus qui affuerint fidelibus, et recens declaratio in solam publicam assistentiam cadat, assensus Ordinarii, qui satis est ut omnes fideles interesse possint, sufficit etiam ut Motus proprii beneficio, quod ad communionem, frui permittantur.

---

304. — S. RITUUM CONGR. (27 nov. 1908)

RESPONSUM DE LAMPADE CORAM SSmo

Romana

Dubium. Nuper expostulatum est a sacra Rituum Congregatione an lampades, quae ardere debent ante altare et tabernaculum in quo asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum, nutriri possint ex cera apum, saltem in maxima parte, quae adhibetur in candelis praescriptis ad missae celebrationem, iuxta mentem decreti S. R. C. *Plurium dioecesium*, diei 14 decembris, 1904.

Responsum. Et sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita Commissionis liturgicae sententia, omnibus accurate perpensis, proposito dubio ita respondendum esse censuit : In defectu olei tolerari posse, et remittendum esse prudentiae episcopi, iuxta decretum n. 3121 *Plurium dioecesium*, 14 iulii 1864.

Dies (27 nov. 1908). Atque ita rescripsit, die 27 novembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

ANNOTATIO

Decreto *Carcassonen.* 8 nov. 1907 [1] generaliter permisit Congregatio usum cuiusdam compositionis ex oleo olivarum et cera apum ad nutriendam lampadem quae continuo ardere debet ante altare SSi Sacramenti. Haec facultas tamen ex praesenti decreto extendi non potest ad puram ceram vel ad aliquam compositionem in maxima parte cera constantem qualis adhiberi potest in candelis. Talis materia ad nutriendam lampadem aequiperatur oleis ab olivarum oleo diversis et in huius tantum defectu et cum licentia episcopi adhiberi potest.

I. PAUWELS, S. I.

---

[1] PERIOD. t. 4, p. 160.

305. — S. RITUUM CONGR. (27 nov. 1908)

INSTRUCTIO DE OFFICIIS PROPRIIS

Pro editoribus librorum liturgicorum cum cantu gregoriano

Decretum.

Quo tutius pleniusque possit obtineri in sacra liturgia, etiam quod ad cantum optanda uniformitas, merito statutum est ut in iis etiam quae ad singula ecclesiarum propria pertinent, eidem officio vel missae eadem regulariter adoptetur melodia, ac proinde, ut ante approbationem a sacra Rituum Congregatione rite petendam, iisdem revisoribus cuncta subiciantur quatenus illi testari possint non tantum de servatis artis gregorianae regulis, sed etiam de constante melodiarum ea quae requiritur unitate.

Dies (27 nov. 1908).

Die 27 novembris, 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

---

306. — S. RITUUM CONGREGATIONIS (9 dec. 1908)

DECRETUM EX AUDIENTIA SS^mi

Quo Congr. peculiaris instituitur pro minoribus causis servorum Dei

Decreti occasio.

Instaurato, ad pristina gerenda munera, tribunali sacrae Rotae Romanae per Constitutionem Apostolicam *Sapienti Consilio*, die 29 iunii huius labentis anni 1908, ac proin revocatis, iuxta decretum seu declarationem sacrae Congregationis Consistorialis diei 27 novembris nuper elapsi, peculiaribus dispositionibus dd. 23 octobris 1878 et 19 decembris 1905, quibus demandatum fuerat R^mis Praelatis Auditoribus officium discutiendi ac iudicandi, in comitiis sacrorum Rituum Congregationis ordinariis Rotalibus, causas minoris momenti servorum Dei, nempe de fama sanctitatis in genere, de non cultu, de validitate ac relevantia processuum aliasque similes, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali sacrae Rituum Congregationi Praefecto, ad easdem causas pertractandas Congregationem particularem constituere dignatus est, quam constare voluit ex aliquot E^mis ac R^mis Patribus sacris tuendis Ritibus praepositis, nempe Praefecto, Ponente, aliisque quinque a sacra Rituum Congregatione designandis, nec non ex R^mis Praelatis officialibus ipsius sacrae Congregationis, nempe Protonotario Apostolico, Secretario, Promotore fidei ac Subpromotore. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Instituitur Congr. peculiaris ad iudicandas causas minores servorum Dei.

Die 9 decembris 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

307. — S. RITUUM CONGR. (18 dec. 1908)

RESPONSUM DE CANTU MULIERUM IN ECCLESIIS

Neo-Eboracen.

Dubium.

Nuperrime sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur pro opportuna declaratione, rite ac reverenter exposita sunt, nimirum :

Proposito usu Americae septemtr.

Per omnes fere regiones Statuum foederatorum Americae Septemtrionalis, nomine chori designatur solummodo quidam coetus paucorum cantorum tum feminarum, cum virorum, qui seliguntur ad officium textus liturgicos intra missas sollemnes cantandi. Hic Chorus, seu coetus virorum ac mulierum, seu pusillarum, in loco eius soli usui destinato extra cancellos, immo plerumque longissime ab altari positus est, nec alius habetur chorus qui textus liturgicos cantet vel recitet. Hinc quaeritur, utrum,

Quaeritur *de legitimo usu.*

ratione habita decreti de cantu mulierum in ecclesiis (Angilopolitana, 17 ianuarii 1908 [1]) quo concessum fuit ut intra christifideles viri et pueri, quantum fieri potest, suam partem divinis laudibus concelebrandis conferant, haud exclusis tamen, maxime ipsorum defectu, mulieribus et puellis talem chorum seu coetum virorum ac mulierum supradescriptum, in loco ab altari remotissimo positum, et chori liturgici fungentem officio, posthac adhibere liceat.

Responsum.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti secretarii, exquisitis utriusque Commissionis, tam liturgicae quam de musica et cantu sacro, suffragiis omnibus maturo examine perpensis, propositae quaestioni ita respondendum censuit : Prout exponitur, negative et ad mentem.

Dies (18 dec. 1908).

Die 18 decembris 1908.

S. Card. Cretoni, *Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

Mens.

Mens est, ut viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti, et onerata super his Ordinariorum conscientia.

Annotatio

Praesenti declaratione, si modo significatam mentem addideris, confirmatur temperamentem iam inductum responso 17 ian. 1908, quo prudentiae Ordinariorum committitur ut, accedente saltem gravi causa praesertim si agatur de ecclessia cathedrali, officiatura choralis, extra chorum, habeatur a mulieribus. Si autem non in ipsa ecclesia sed in odaeo chorus iste canat, et mulieres canant cum viris, vult omnino S. Sedes ut viri et mulieres non in eodem odaeo permixtim canant, sed loco sint bene separati.

---

[1] In Periodicis, n. **248** (t. 4, p. 162. 163).

308. — S. CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS

RESPONSA 12 NOV. 1908 ET 7 IANUARII 1909

Dubia de competentia S. C. de Propaganda Fide [1]

A. *Responsa 12 nov. 1908.*

Beatissime Pater,

Orator. Occasio proponendi. **Dubia.**

Cardinalis Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide, ut rite, sicuti debet, exsequi valeat praescripta Constitutionis Apostolicae *Sapienti Consilio* et adiectae Ordinationis a Sanctitate Vestra confirmatae, quae fuerunt edita diebus 29 iunii et 29 septembris labentis anni 1908, eorum quae sequuntur dubiorum solutionem postulat.

De Vicariatibus Apostolicis.

I. Utrum Vicariatus Apostolici, qui tamquam suffraganei pertinent ad provincias ecclesiasticas a iurisdictione Congregationis de Propaganda, vi memoratae Constitutionis exemptas, iugiter subsint eidem Congregationi de Propaganda.

De facultatum communicatione.

II. Utrum Congregatio de Propaganda, ob peculiaria adiuncta Moderatorum dioeceseum et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, Oceaniae aliisque huiusmodi etiam in posterum concedere possit Episcopis, Vicariis Apostolicis, Praefectis vel Moderatoribus missionum *Formulas* facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt.

De titulo Missionarii apostolici.

III. Utrum eadem Congregatio adhuc tribuere valeat titulum Missionarii apostolici *ad honorem*, addita solita facultatum *formula*.

De facultatibus circa missam, officium divinum, etc.

IV. Cum S. Congregatio de Propaganda teneatur deferre ad S. Congregationem Rituum « quaecumque attingunt sacrorum rituum disciplinam », quaeritur, utrum hoc praescriptum respiciat rituum disciplinam prout ipsa determinatur ac circumscribitur a Constitutione *Sapienti Consilio*, an extendatur quoque ad facultates missam, divinum officium aliaque spectantes, quas ante largiri consueverant sive Congregatio Rituum sive etiam Congregatio de Propaganda.

De congregationibus missionariorum.

V. Utrum Congregatio de Propaganda deferre debeat ad Congregationem de Religiosis etiam quidquid attingat Congregationes missionarias tum virorum cum mulierum, quarum congregationum constitutiones a Congregatione de Propaganda approbatae fuerint.

De dispensationibus matrimonialibus.

VI. Utrum Congregatio pro Negotiis Rituum orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus.

De actis Conciliorum.

VII. Utrum acta Conciliorum quae celebrari contigerint in territorio Congregationi de Propaganda relicto, remittenda sint ad Congregationem Concilii.

De iuramento officialium.

VIII. Utrum etiam officiales qui in officio aderant ante diem 4 novembris 1908, teneantur iusiurandum emittere per legem generalem diei 29 iunii 1908 praescriptam.

De quibusdam collegiis.

IX. Utrum collegia Americae septemtrionalis, Hyberniae et Scotiae dependere pergant a Congregatione de Propaganda, et utrum earundem alumni praestare teneantur iusiurandum praescriptum ab Urbano VIII, die 24 novembris 1625.

De iuramento alum-

---

[1] Dubia sunt italice proposita. Versionem autem damus qualis exstat in COMMENTARIO OFFICIALI.

X. Utrum etiam alumni Americae Septemtrionalis, Canadenses, Hyberni, etc. qui ex iure fundationis instituuntur in collegio Urbano de Propaganda, emittere obstringantur posthac memoratum iuramentum ab Urbano VIII praescriptum atque in forma et terminis deinceps statutis ab Alexandro VII per Bullam diei 20 iulii 1660 pro cunctis Collegii Urbani alumnis. *norum collegiorum.*

XI. Utrum Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda poterit adhuc concedere litteras dimissoriales ad sacros Ordines alumnis Collegiorum Americae Septemtrionalis, Hyberniae et Scotiae ; et an ac quo modo mutare oporteat titulum *missionis*. *De litteris dimissoriis.*

XII. Utrum et qua ratione immutandus sit titulus *missionis* quod ad alumnos Collegii Urbani de Propaganda qui pertinent ad provincias ecclesiasticas et dioeceses a Congregatione de Propaganda avulsas. *De titulo missionis.*

Sacra Congregatio Consistorialis superius relatis dubiis circa praescripta Constitutionis Apostolicae *Sapienti Consilio* et adiectae ordinationis, iuxta mentem a SS^mo declaratam, die 12 novembris 1908, respondendum censuit : *Ex mente SS^mi.*

Responsa. *Dies (12 nov. 1908).*

Ad I. Affirmative, dum ita permanent. Expedit tamen ut S. Congregatio de Propaganda quam primum fieri possit, memoratos Vicariatus erigat in dioeceses, eosque proinde deducat ad ius commune. *Ad I.*

Ad II. Affirmative, re tamen agitata et composita cum S. Congregatione de Sacramentis. *Ad II.*

Ad III. Affirmative quod ad sibi subditos. *Ad III.*

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. *Ad IV.*

Ad V. Etiam quod ad Congregationes religiosas quarum regulae seu constitutiones approbatae sunt a Congregatione de Propaganda standum praescriptis Constitutionis *Sapienti Consilio*. *Ad V.*

Ad VI. Affirmative, excepto tantummodo privilegio Paulino, quod pertinet ad Congregationem S. Officii. *Ad VI.*

Ad VII. Negative. *Ad VII.*

Ad VIII. Negative, verum congruit ut omnes illud emittant. *Ad VIII.*

Ad IX. Collegia Americae Septemtrionalis, Hyberniae et Scotiae posthac pendebunt a S. Congregatione Consistoriali. Iuramentum autem ab alumnis praestandum servetur, reformandum tamen erit iuxta novam statuendam formulam. *Ad IX.*

Ad X. Affirmative, formula autem reformanda consiliis initis cum E^mo Cardinali Praefecto Congregationis de Propaganda. *Ad X.*

Ad XI. Concessio litterarum dimissorialium ad sacros Ordines pertinebit ad hanc S. Congregationem quae, cum necessarium fuerit, immutabit titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*. *Ad XI.*

Ad XII E^mus Cardinalis Praefectus de Propaganda mutabit pro memoratis alumnis titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*. *Ad XII.*

G. Card. DE LAI, *Secretario.*
Scipione Tecchi, Assessore.

B. *Responsum 7 ian. 1909.*

Propositio dubio, ad quam S. Congregationem spectet dispensare a iure iurando emisso ab antiquis Collegii Urbani de Propaganda Fide aliorumve Collegiorum alumnis qui subsunt dioecesibus ad ius commune nuper deductis, quique facultatem petunt de dioecesi cui iuramento obstringuntur in aliam transeundi, S. Congregatio Consistorialis, re mature perpensa, **Dubium** *de dispensatione a iuramento missionis.*

Responsum. iuxta Constitutionem *Sapienti Consilio* respondit *spectare ad S. Congregationem Concilii.*

Dies (7 ian. 1909). Datum Romae, ex aedibus eiusdem S. Congregationis, die 7 ianuarii 1909.

Scipio Tecchi, Assessor.

ANNOTATIONES

De responsis istis, quorum momentum in pressius definienda competentia S. Congr. de Propaganda Fide neminem fugit, haec pauca observasse iuvabit, quae etiam C. *Sapienti*, 29 iun. 1908, aliquantum illustrabunt.

1. Cur S. Congr. *Consistoriali* dubia sint proposita, habemus ex ipsa C. *Sapienti*, quae, 2, 4 eius provinciam ita describit, ut ad eam spectet « in conflictatione iurium dubia solvere circa *competentiam* Sacrarum Congregationum », (In PERIODICIS nostris, t. 4, p. 224.)

Eadem Constitutio vult ut omnes Congregationum sententiae a Romano Pontifice approbentur. (PERIOD. p. 230.) Pro huiusmodi approbatione legimus hic responsa dari secundum mentem Pontificis, qui Congr. Consistorialis agit Praefectum.

2. Ex *primo responso* colligimus fore ut in regionibus a S. C. de Propaganda Fide exemptis, quantocius vicariatus in dioeceses mutentur. Ratio autem quaerendi de auctoritate S. C. de Prop. Fide in istos Vicariatus haec fuisse videtur. Vicariatus isti sunt in regionibus quae plene videbantur a C. de Propaganda Fide avulsae ; simul tamen huic tribuitur iurisdictio in omnes regiones ubi hierarchia ordinaria nondum est restituta. (C. *Sapienti*, 6, 1, 3.)

3. *Altero responso* docemur viciniores regiones, v. gr. Belgii, non iam recepturas esse a S. C. de Propaganda Fide consuetas facultates. Cum remotis regionibus quamvis subsint C. Consistoriali permittitur ista communicatio, dummodo res cum S. C. de Sacramentis componatur. Ex normis enim peculiaribus. 29 sept. 1908. c. 7, art. 6, 3, S. C. de Propaganda Fide iam non potest nisi subditis suis indulta concedere ; c. 1, n. 1, c. C. de disciplina Sacramentorum ubique competens est in rebus matrimonialibus.

4. In *tertio responso* mentio fit de *Missionariis apostolicis ad honorem* (alii enim sunt veri seu locales) quos S. C. de Propaganda Fide inter subditos suos constituere etiamnum permittitur, addita solita facultatum formula. Facultates istae hae ferme sunt : a) Exemptio a ieiunio et abstinentia, si gravis accesserit causa e valetudinis incommodis deprompta ; b) Facultas, accedente gravi causa, dicendi Rosarium pro Breviario ; c) Celebratio in navi ; d) Celebratio in altari portatili, ubi desit oratorium etiam privatum ; e) Facultas celebrandi una hora ante vel post legitimum tempus ; f) Benedictio coronarum, numismatum, etc. cum apostolicis indulgentiis et indulgentiis dictis a S. Birgitta ; g) Facultas dandi benedictionem cum plenaria indulgentia in articulo mortis ; h) Ampla facultas legendi libros prohibitos, etiam contra religionem ex professo.

5. Ex *quarto responso* illud habemus, in potestate S. C. de Propaganda Fide manere ut suis subditis concedat, sicut ante, commutationes breviarii, privilegium, ob debilitatem visus, dicendae missae votivae, etc.

6. Unitas regiminis cui omnes religiosi, qua tales, subsint, firmatur *quinto responso*, quo, secundum C. *Sapienti*, 6, 5, etiam ea Instituta quae per S. C. de Propaganda sunt approbata, S. Congregationi de Religiosis exclusive subduntur. Id valet in omnes religiosos saltem ritus latini. In orientales enim, Congregatio pro Negotiis Rituum Orientalium sua, ni fallimur, servat iura. Secundum enim C. *Sapienti*, 6, 6, illi Congregationi « integra manent quae hucusque servata sunt. » Quare,

7. Quamvis dispensationes matrimoniales mixtae religionis et disparitatis cultus, ex C. *Sapienti* 1, 5, addicantur C^i^ S. Officii, a competentia S. C. pro negotiis rituum Orientalium non exciderunt. *(Responsum ad VI.)*

8. Acta Conciliorum per se ad Congr. Concilii deferenda sunt. Merito tamen *septimum responsum* ea excipit concilia quae in territoriis S. C. de Propaganda Fide celebrentur.

9. Altera ex duabus ordinationibus quae C. *Sapienti* annectuntur (PERIODICA, t. 4, p. 244 sq.), omnes administri iusiurandum fidelitatis praestare iubentur, *antequam asciscantur*. Quare, quod *responso ad VIII* declaratur, officiales qui munus iam exercebant antequam dicta Constitutio vigeret, hac obligatione non astringuntur. Laudandi tamen sunt qui ultro fecerint.

10. Cetera responsa sunt : a) De *Seminariis* Urbis, quae, hactenus S. C^i^ de Propaganda Fide obnoxia, alumnos praeparant regionibus huic Congregationi deinceps subductis : haec, sicut C. *Sapienti*, 2, 3, indicabat, ad Consistorialem transire declarantur.

b) De *iuramento* alumnorum earundem regionum, qui ex iure fundationis in Collegio Urbano de Propaganda Fide instituuntur : iuramentum praestare pergent ea qua solebant forma ; haec tamen reformanda dicitur [1].

c) De *litteris dimissoriis* quae a Card. Praefecto de Propaganda concedebantur alumnis collegiorum exemptorum : eas dabit, in posterum, Congregatio consistorialis, mutato, ubi oportuerit, titulo missionis in titulum *servitii ecclesiae*.

d) De *titulo* quo ordinandi sint alumni regionum a C. de Propaganda separatarum, qui in collegio Urbano instituuntur : mutandus dicitur titulus *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*.

11. Subiuncta declaratione 7 ian. 1909, relaxatio iuramenti quo exalumni Collegii Urbani, obstringuntur dioecesi, iam S. C^i^ de Propaganda subductae, S. Congregationi Concilii addicitur. Cuius responsi ratio reperiri videtur in C. *Sapienti*, 4, 1. Hoc enim articulo, S. C. Concilii ea tribuitur negotiorum pars « quae ad universam disciplinam cleri saecularis refertur ». Quocirca, si agatur de alumno religioso, S. C. de religiosis adeundam duxerimus.

---

[1] Formula enim istius iuramenti, quae ad calcem brevis ALEXANDRI VII *Cum circa*, 20 iul. 1660, inserta reperitur in *Bullario Prop. Fid.* (1888) t. 1, p. 321, ex-alumnos cogit quolibet anno vel quolibet biennio S. Congregationi de Propaganda, de loco et statu suo nuntium dare. Quod minus bene cadit in sacerdotes dioeceseos quae eiusdem Congregationis potestate est immunis. Ipsum iuramentum est, de speciali URBANI VIII mandato impositum alumnis collegiorum, decreto S. C. de Prop. Fide, 24 nov. 1625. (COLLECTANEA, t. 1, n. 19, p. 9 (2e édit.)

309. — S. CONGR. S. OFFICII

INDULTUM, EX AUDIENTIA SANCTISSIMI, 14 IAN. 1909

Vitam communem agentibus generalis conceditur commutatio visitationis ecclesiae

Dies (14 ian. 1909).

Die 14 ianuarii 1909

Privilegiati.

SSmus Dominus Noster Pius, divina Providentia PP. X, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, benigne indulsit, ut fideles utriusque sexus, qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis, aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu vero Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, nec non personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quotiens ad lucrandas indulgentias praescribitur visitatio alicuius ecclesiae in genere, id est non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitari valeant propriae domus sacellum, in quo obligationi audiendi sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint.

Privilegium.

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Aloisius Can. Giambene, substitutus pro indulgentiis.

ANNOTATIO

Recitatum privilegium non solis religiosis utriusque sexus prodest, sed etiam alumnis convictoribus vel « convictricibus », famulis et ancillis qui in illa domo commorantur. Supponit autem domum istam ecclesia vel sacello publico carere. Eius *vis* est ut in sacello « in quo *iure* obligationi audiendi sacrum satisfieri potest », id est in sacello quod semipublicum dicitur (cfr. decr. 23 ian. 1899, in *Coll. Decr. auth.* n. 4007) ad lucrandas indulgentias utiliter fieri possint visitationes quae per se in publico oratorio essent faciendae. Oportet autem ut nullum speciale oratorium sit visitandum. Quare non valebit ad indulgentias dictas a Portiuncula lucrandas.

Quaeres num alumni externi indulto frui possint. De semiconvictoribus qui omnem diem degunt in collegio vel conservatorio, et iis tantum horis domum redeunt quo ecclesiae sunt clausae, putarim affirmandum esse ; de externis vero, res magis dubia videtur et potius negandam dixerimus.

---

310. — S. CONGR. RITUUM (22 ian. 1909)

RESPONSUM DE QUALITATE PRIORUM APUD CAMALDULENSES

Eremitarum Camaldulensium, Congregationis Montis Coronae

Oratores.

Superiores Generales Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humillime exposuerunt, videlicet :

Memorato responso obtento,

In decreto Eremitarum Camaldulensium Congregationis Montis Coronae, diei 1 februarii 1907 [1] propositum fuit sequens dubium XIX : « Num servari antiquissimus possit usus, ut clericus turiferarius exhibeat genuflexus thuribulum celebranti, saltem quando Celebrans est Praelatus ac praesertim generalis Superior ». Et Sacra Rituum Congregatio respondit : « Affirmative, si agatur de Praelatis tantum provincialibus et generalibus » qui celebrant in ecclesiis sibi respective subiectis, et ab Ordinarii loco- » rum iurisdictione exemptis ; nisi tamen Missa vel Officium vel functio » coram Sanctissimo exposito celebretur. » Cum vero penes Eremitas Camaldulenses Congregationis Montis Coronae non habeantur Provinciales proprie dicti sed tantum Priores, similibus fere iuribus ac privilegiis ornati, quaeritur, an huiusmodi Priores nomine Praelatorum provincialium in enuntiato decreto comprehendantur.

Quaerunt de privilegio Priorum.

Responsum.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, propositae quaestioni respondendum censuit : Affirmative.

Dies (22 ian. 1909).

Atque ita rescripsit, die 22 ianuarii 1909.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicien. Secretarius.

---

311. — S. CONG. RITUUM (22 ian. 1909)

RESPONSUM DE RESPONSORIIS ET EVANGELIIS OFFICII ET MISSAE VOTIVAE BEATAE

Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti

Oratrices, proposita discordantia inter officium et missam, et propria praxi,

Moniales Ordinis S. Benedicti apud Princethorpe, dioecesis Birmingamiensis in Anglia, vigore privilegii olim sibi concessi officium B. M. V. ut in communi Sanctorum, omnibus sabbatis non aliter impeditis, sub ritu semiduplici recitare solent. Quibusdam autem temporibus, scilicet ab Adventu usque ad Nativitatem Domini, a Nativitate Domini usque ad Purificationem, et a Pascha usque ad Pentecosten, evangelium eiusdem officii minime cum evangelio missae B. M. V. eisdem temporibus assignatae concordat. De facto, officium tale, ab Adventu usque ad Nativitatem Domini et a Nativitate Domini usque ad Purificationem nondum usque huc recitandum occurrit, saepius vero tempore paschali. Ut ergo, hoc tempore paschali, Officium Missae concordet, dictae moniales evangelium *Stabant* cum homilia S. Augustini, ut in festo VII dolorum B. M. V. (feria VI post Dom. Passionis) et responsoria de communi B. M. V. legunt. Orto iam dubio de hac ratione agendi, eaedem moniales a sacrorum Rituum Congregatione humiliter petunt ut dubia sequentia solvere dignetur, nimirum :

---

[1] Cf. PERIODICA, t. 3, p. 196, n. 71.

Quaerunt.

De Homiliis, evangeliis et respensoriis.

I. An in sabbatina recitatione Officii B. M. V. evangelium *Loquente* cum Homilia de communi semper recitandum sit.

II. Si vero negative, quaenam evangelia, Homilia et responsoria iis variis temporibus recitanda, nempe : a) ab Adventu usque ad Nativitatem Domini ; b) a Nativitate Domini usque ad Purificationem ; c) a Pascha usque ad Pentecosten.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, re sedulo perpensa, ita respondendum censuit :

Responsa

Ad I. Providebitur in II.

Ad II. Responsoria sint semper ut in feriis B. Mariae Virginis per annum, cum evangeliis et homiliis : a) e feria IV Quattuor Temporum Adventus ; b) e die infra octavam Nativitatis Domini *Vides festinare pastores* (30 decembris) et c) e priore festo Septem Dolorum B. M. V.

Dies (22 ian. 1909).

Atque ita rescripsit, die 22 ianuarii 1909.

S. Card. Cretoni, *Praefectus*
D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

Annotatio

In officio pro festis B. M. V. per annum habetur in breviario toto anni tempore una tantum homilia in evangelium *Loquente*, etsi in variis missis votivis eiusdem B. M. V. non semper idem legitur evangelium. Hoc responsum proinde quasi complet praedictum officium, in quantum homilias indicat in singula evangelia harum missarum.

---

312 — N. B. DECRETA APPROBATIONIS VEL LAUDIS INSTITUTORUM

EX AUDIENTIA SSi, DECRETO S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM :

1. Die 3 febr. 1908, Institutum Namurcense *Famularum seu victimarum SS. Cordis Iesu*, laudatum 15 dec. 1907, approbatur, confirmatis Constitionibus ;

2. Die 3-14 febr. 1908 approbantur Constitutiones Instituti *Sororum 3i ordinis S. Dominici, a S. Catharina Senensi, e Novana.*

3. Die 24 mart. 1908, approbatur Inst. *Sororum a divino Amore*, confirmatis ad septennium Constitutionibus.

4. Die 11 maii 1908, laudatur et commendatur *Institutum 3i ordinis Carmelitarum a S. Ioseph nuncupatum.*

5. Die 2-9 oct. 1908, approbantur ad septennium Constitutiones *Instituti Canonicorum Regularium Immaculatae Conceptionis.*

SUPPLEMENTA

QUAESITA VARIA

I. De professione perpetua in Instituto votorum simplicium

Ex Constitutionibus Instituti quod Romae est approbatum, perpetuae votorum professioni praeponenda est per tres annos *annua*. Titius, sodalis istius Instituti, debuit per tres menses in disciplinam militiae proficisci. Quare, cum necessitas ista praevisa esset, ita annuam professionem fecit, ut per spatium istud nulla teneretur votorum obligatione.

Hinc iam **quaeritur** :

1. Utrum necne annua huiusmodi professio, quae tribus mensibus deminuatur, coniungi possit cum altera professione temporaria quae a religioso e castris reduce nuncupetur, ita ut tribus alterius istius professionis elapsis mensibus existimari possit annuam fecisse professionem ?

2. Utrum necne, neglecto isto trium mensium intervallo, possit Titius tribus a perfecto noviciatu annis perpetuam professionem facere ?

Respondeo. — Ad 1. Ex quo in Instituto a S. Sede approbato vota *exiguntur* annua, non permittuntur vota in novem vel tres menses. Cave tamen ne ilico nullam pronunties perpetuam professionem cui, per tres annos, praepositae sint professiones temporariae, quamvis aliquae non fuerint annuae. Etenim, edito decreto *Perpensis* [1], 3 maii 1902, quo ante sollemnem Monialium professionem, triennalis praescribitur probatio professionis simplicis sed perpetuae, S. Congregatio, 4 dec. 1905, respondit legitimam etiam esse professionem simplicem quae non perpetua sed *in tres annos*,

---

1 Cfr. *De Religiosis Institutis*, II, n. 64.

in aliquo Instituo monialium, sollemni professioni praeponi consueverat [1]. Finis enim plenioris probationis, — sic responsum interpretamur, — per temporariam professionem magis quam per perpetuam attingitur.

Age porro, simili ratione dici potest triennalem votorum temporariorum probationem per vota in novem vel tres menses aeque atque per vota annua haberi.

Non putamus tamen fas esse ut Superior permittat vota fieri in spatium insolitum nec Constitutionibus praevisum.

Ad 2. Hic re vera desiderantur tres menses, ut probatio triennalis habeatur. Quare non licet Titio, neglecto hoc spatio, profiteri in perpetuum.

Debet potius, redux e castris, denuo per annum profiteri.

3. Hactenus de *honestate*. Quid de *valore?* Quia annuam istam per tres annos professionem ad valorem requiri non constat, professionem, si perpetua facta sit, valere putamus. Magis tamen menti S. Congregationis erit consentaneum, ut, in utroque casu, impetretur a S. Sede sanatio ad cautelam.

II. De revocata discedendi voluntate

Bertha, soror professa votorum simplicium, impetrata a S. Sede dispensatione votorum suorum, dum iam omnia erant discessui parata, consilium mutat et in statu religioso perseverare vult. Hinc :

Quaeritur, utrum Superiores eius vota iterum admittere possint, an noviciatum repetere debeat, an per aliquot saltem menses probari.

Respondeo. — Dispensatio votorum a S. Sede concedi consuevit in forma *commissoria*, ita ut res prudenti Ordinarii arbitrio sit commissa. Quod si ita factum fuerit, vel is facultate sua iam est usus, vel nondum dispensavit. Si nondum dispensavit, habet in ipso mutato consilio causam non dispensandi. Res tunc omnino manent in statu quo ante, nec quaerendum est de instaurandis votis quae numquam sunt dissoluta. Si tamen Soror temporariis tantum teneatur votis, antequam ad nova vota admittatur, integrum erit Superioribus ei imponere aliquot exercitationes vel probationes quibus animus eius evadat vel demonstretur constantior. Exercita-

---

[1] Cfr. PERIODICA, n. 105, t. 2, p. 60.

tiones tamen peragendae erunt antequam advenerit dies quo priora vota finem habent, cum S. Sedes nolit nova vota a prioribus intervallo separari.

Quid autem si, postulante Sorore, vota iam fuerint ab Ordinario relaxata ?

De Regularibus edictum est, ut is cui a S. Sede datum sit decretum saecularisationis quod locum teneat decreti expulsionis, non possit ab Ordine recipi sine S. Sedis auctoritate. Verum statutum istud positivum non est in aliam casus speciem stricte transferendum. Quare, nisi Constitutiones aliud habuerint, nihil prohibere videtur quin Soror ista iterum recipiatur. Nec iterata probatio *canonica* stricte etiam requiritur, nisi, ex quo vota sunt dispensata, intervallum temporis vel mutatio interciderit. Quia tamen S. Sedes de Sororis causa aliquo modo pronuntiavit, menti S. Congregationis certe magis congruum erit ut de tota re fiat certior.

Denique, si sola exsecutio fuerit Ordinario concredita, his vel similibus verbis : « mandamus quatenus si vera sint Ordinarius dispenset », ipsa quidem gratia Romae concessa putatur. Sed, postulante Sorore, eius exsecutioni supersederi poterit, ita ut status religiosus ipsi non auferatur. Hic tamen S. Sedes videtur monenda, cur mandatum exsecutione non perficiatur.

Confirmamur Normis peculiaribus Romanae Curiae, quas 29 sept. 1908 edi mandavit SS. D. N. Pius Pp. X, c. 3, art. 1, n. 4. Cfr. supra, p. 300, n. **298** : Ordinarius qui exsecutionem detrectavit rescripti ob manifestum vitium precum vel indignitatem oratoris, Apostolicam Sedem statim monere iubetur. Par videtur nostra causa.

III. De dissimulatione in cooptatione

Soror quaedam, nunc votis astricta, dum ante suam cooptationem examinabatur, mores minus bonos matris suae dissimulavit. **Quaerit** iam de valore suorum votorum et de praesenti sua obligatione declarationem complendi. Mater in distante regione dies agit, ita ut in conventu et loco conventus mores isti penitus ignorentur.

Resp. Eatenus debuit ipsa Soror mores istos matris patefacere, quatenus in suam vel Instituti infamiam redundarent. Sed in loco conventus mores isti penitus ignorantur, nec proximum periculum revelationis videtur adesse. Cur ergo

de matre illa et tunc et nunc silere prohibita sit, non perspicitur. Nec valor votorum dubius esse potest nisi impedimentum substantiale sit ignoratum, vel nullitatis condicio sit conceptis verbis expressa.

IV. De ecclesiasticis religiosorum bonis

Diu iam, in Societate Iesu, dein in Institutis votorum simplicium, postremo in omnibus Ordinibus, cum virorum tum mulierum, religiosi reperiuntur qui, simplicibus votis astricti, possunt, secluso speciali iure (quo utuntur, v. g. coadiutores formati Societatis Iesu), bona in privato suo dominio habere. Immo, in Belgio et in Hollandia, celebre indultum Leonis XIII, omnibus religiosis, etiam professis votorum sollemnium, potestatem fecit acquirendi, conservandi, administrandi, et alienandi, cum debita dependentia a Superioribus, bona temporalia, cum mobilia tum immobilia. Operae itaque pretium est accurate distinguere quaenam religiosorum bona sint *ecclesiastica*, quaenam ab ipsis tamquam a laicis possideantur. Priora enim, ut statim exemplo momentum distinctionis demonstremus, non item alia, obnoxia sunt iuri speciali alienationis, quod, Extravaganti *ambitiosae* definitum, sancitur excommunicatione contenta in *C. Apostolicae Sedis*.

Certa itaque eius rei **postulatur** explicatio.

Respondeo. Omnis istius iuris origo repetenda est e l. Iubemus, Cod. I, 2, 14, quo imperatores Leo et Anthemius, a° 470, omni administratori rerum ecclesiasticarum negant « esse facultatem... res immobiles... ad religiosas *ecclesias* devolutas, sub cuiusque alienationis specie ad quamcumque transferre personam », omnemque alienationem pro infecta haberi iubent.

Quod ius, de ecclesiis statutum (Authentica, Collat. 2, t. I. De non alienandis aut permutandis rebus ecclesiasticis immobilibus, c. 1. Nos igitur, Iustinianus) ad omnia loca pia, saltem quae in manu sacerdotum essent [1], porrexit.

Quae dispositio est in iure canonico, c. Nulli 5, De

[1] Sic dicimus, quia Imperator prohibet « omnes ubique *sacerdotes* ». Quamquam Hostiensis, in c. Nulli, existimet id multo magis laicis prohiberi. Quod verum erit nisi possessio in laicorum manibus naturam bonorum mutet.

rebus Ecclesiae alienandis vel non (III, 18), formaliter canonizata.

His innixi sanctionibus, canonistae adducti sunt ut pressius definirent quaenam bona essent pro ecclesiasticis habenda, seu in quaenam bona caderet modo dicta prohibitio. Ac concordem ipsorum sententiam [1] Card. D'ANNIBALE his verbis reddit : « Bona ecclesiastica sunt quae a personis moralibus ecclesiasticis, atque ideo auctoritate ecclesiastica erectis possidentur [2]. »

Itaque, cum bona alia spectent ad singulos qua tales, alia communiter possideantur a sociis communitatis, quae et ipsa vel privata voluntate sociorum exsistit, vel publica auctoritate, sive civili sive ecclesiastica, est authentice confirmata, haec tantum bona dicuntur ecclesiastica, quae vel ab universa Ecclesia possidentur, vel in dominio sunt *canonice erectae* communitatis.

Hinc fieri potest ut res *pio fini* addicta [3] nihilo minus non sit ecclesiastica. Quod memorabili documento S. Congregationis Concilii in causa Metensi, recens, 24 mart. 1906, habemus confirmatum. Etenim, valere iudicata est venditio orphanotrophii facta, convente curia dioecesana, sed sine beneplacito apostolico, a sacerdote qui ipsum collaticia pecunia erexerat. (Cfr. CANONISTE CONTEMPORAIN, 1609, p. 417 ; NOUV. REVUE THÉOLOGIQUE, 1907, p. 144 ss.)

His in universum praepositis, ut iam de religiosis peculiariter agamus, haec regula facilis statui potest : Quaecumque bona ad communitatem religiosam pertinent, id est a religiosis qua talibus possidentur, sunt ecclesiastica. Ecclesiastica non sunt quae in privato singulorum patrimonio manent. Quaenam haec sint, descripsimus n. **245**, *De religiosis Institutis et personis*, t. I.

Quare haec iam satis commode definiri possunt.

Ecclesiastica bona sunt, nec in ecclesiasticam naturam aliquid potest privata voluntas :

---

[1] Cfr. v. g. Card. PETRA, tom. 5, in Extr. Ambitiosae (5 Const. Pauli II) s. 3, n. 21 et ss. PIRHING, l. 3, t. 13, n. IV ; SCHMALZGRUEBER, ibidem, n. 4 ; BOUIX, *De iure regularium*, t. 2, p. 5, sect. IV, subsectio 1, c. 1.

[2] *Summula*, t. 3, n. 77.

[3] Observes a nobis non negari causam piam esse ecclesiasticae potestati obnoxiam. Quare, sicut iussit episcopum attente cavere ut deputatio ista pio fini sancte observetur, potuit quidem Ecclesia etiam haec bona sub regimine ponere Extrav. Ambitiosae. Quod autem facere potuit, non ideo fecit.

1. *Eleemosynae* quae religioso ob *missas* ab ipso celebratas debentur. Ipse quidem potuit in antecessum de missae intentione ita disponere ut nullum ius vel ipse vel conventus in eleemosynam acquireret, v. g. missam supplere pro sacerdote qui obligationem suscepisset. Sed de stipendio quod ipsi cesserit, valet necessario istud : Quidquid monachus acquirit, monasterio acquirit.

2. Pecuniae quae religioso occasione *contionis*, etc. solvuntur, vel offeruntur.

3. Pecunia debita pro *libris* qui in statu religioso sunt scripti. Industria enim religiosi spectat ad communitatem. Contra, quasi fructus boni patrimonialis censendus est annuus proventus libri qui ante ingressum fuerit conscriptus. Simul tamen, ut consequenter dicamus, dominium operis a religioso conscripti et lucrum postea perceptum manent penes conventum etiam post religiosi discessum. Sic ex stricto iure. Nam quid aequitas suadeat, in singulis casibus est examinandum. Quid autem de nova libri editione, si liber fuerit extra statum religiosum conscriptus, editio autem intra sit parata ? Nisi editio ista potius pro novo opere sit habenda, dixerimus eam in privato religioso patrimonio esse, ita tamen ut Superior possit communitati vindicare valorem operae quae parandae isti editioni est in vita religiosa tributa.

4. *Eleemosynae* receptae pro conventu vel a religioso, qua tali, non quatenus est privata persona.

5. *Legata* facta *conventui* vel *religioso pro conventu*, a momento quo sunt acceptata. Antea enim non sunt ecclesiastica. Quare si iusta causa id suaserit, v. g. vitandae offensionis, vel procurandae spiritualis aedificationis, potest Superior tuta conscientia legatum ex toto vel ex parte repudiare. Non acquirere enim, non est alienare.

Contra, si sollemniter professus fuerit *heres* proprie dictus, atque, ex Instituti iure, monasterium in locum professi succedat, hereditas ista est a momento delatae hereditatis ecclesiasticum bonum, nec potest repudiari quin censeatur alienari.

6. Omnia demum bona *mobilia* vel *immobilia,* quae in *dominio* sunt Instituti, quacumque valida ratione fuerint acquisita, etiamsi, v. g. laici feneraticiam dederint pecuniam et reservarint sibi ius hypothecae. Hoc tamen in casu res est ecclesiastica, excepto iure hypothecae, quod ius

poterunt laici sicut in bona non ecclesiastica exercere.

Ecclesiastica non sunt :

1. Bona quae religiosus *possidebat* ante ingressum, nec communitati vendidit vel dedit.

2. *Reditus* eorundem bonorum, donec communitati non sint tributi.

3. *Legata* quae titulo *personali* sint religioso facta.

4. *Dona* titulo *personali* eidem facta.

Iuvat hic *quaerere* quaenam bona videantur titulo personali donata vel legata religioso. De qua quaestione sic arbitramur responderi posse.

Cum fideles satis ignorent distinguenda esse bona communiter a religiosis possessa, et bona quae in privato eorum dominio servantur, cum praeterea voluerint plerumque opus pium facere, donatores potius praesumendi sunt voluisse rem addicere monasterio, nisi ex verbis vel adiunctis contrarium probetur. Adiuncta autem quae personalis donationis videntur esse indicia, sunt : Peculiaris relatio inter donantem et donatarium, praesertim si sint sanguine iuncti ; — Qualitas rei quae ipso usu absumitur. Nam si res usu non absumitur, censentur donatores voluisse potius dominium tradere conventui et quempiam usumfructum religioso ; — Occasio, si peculiarem tribuat titulum privatae religiosi personae ; — Verba quibus donator prodit se velle rem addicere religioso quantum fieri possit. V. g. cum dicunt « Do pecuniam istam pro operibus, pro pauperibus tuis. » — Si donatio futura fuisse videtur etiamsi religiosus viveret extra conventum. In dubio autem probabili, res ex principiis probabilismi solvi poterit.

Quaeres num Superior possit religioso vetare ne dona titulo personali acceptet.

Dummodo iusta habeatur causa, v. g. prospiciendi vitae communi, quae ab Ecclesia tam saepe commendatur, videtur Superior statuere posse, ne, praeter hereditates et legata propinquorum, quispiam aliquid sibi, excluso monasterio, acquirat.

Patet autem iniuste acturum Superiorem qui de pecunia quae in privato est religiosorum dominio, ad arbitrium suum, sine domini consensu, disposuerit.

5. Patrimoniale bonum erit etiam *praemium (prime)* obtentum obligatione vel titulo *(billet, lot de ville)* qui in privata erat religiosi possessione.

Quid, si *bursa* fundetur pro studiis clericalibus ?

Bonum huiusmodi non erit necessario ecclesiasticum, sed considerandum est in cuius manibus tradatur possidendum. Si seminarium vel conventus dominium habeat isto onere affectum, capitale erit ecclesiasticum. Si extra huiusmodi dominium manserit, non videtur esse ecclesiasticum, cum condicio canonicae erectionis deficiat.

N. B. Quamvis *dotes* religiosarum in Institutis votorum simplicium non acquirantur nisi post mortem Sororum, ac proinde boni ecclesiastici naturam antea non participent, reguntur tamen iure speciali, quo omnis earum alienatio vel deminutio prohibetur, sine S. Sedis interventu.

V. De redituum dispositione, post simplicem votorum professionem

Die 21 novembris 1902, S. Congregatio Episcoporum et Regularium, dubium : « Potestne religiosus, ante professionem suam (simplicem) statuere ut patrimonii sui fructus ipsis bonis accrescant », *negative* solvit. De universali vi istius responsi dubitari potest. Cfr. quae scripsimus in Periodicis nostris, t. 1, n. **42**. Sed supponamus prohibitionem istam re vera vigere, iam plura **quaeruntur** :

1. Utrum necne liceat religioso patrimonium suum augere praemio sortis (tituli crediti) ? Titulum ipsum emptum ponimus vel ante vota, vel certe non ope redituum qui post vota sint percepti.

2. Utrum necne religiosus possit *reditus* vel eorum partem deputare solvendis annuis summis quibus ex arca pensionum *(Caisse de retraite)* cognatus quispiam vel amicus ius acquirat vitaliciae pensionis ?

3. Utrum necne possit religiosus eodem modo *sibi* huiusmodi pensionem acquirere ?

Respondeo.

Ad 1. Si mere acquisivit partem sortis *(billet de loterie)*, comparavit sibi pecunia certa sed minore pecuniam maiorem sed incertam. Neque dum it in hanc aleam, neque dum praemium colligit, perceptos reditus ad bona sua addere censetur. Ergo hoc nullo iure prohibetur.

Quid autem si titulus emptus, ut ii solent esse quos urbes divendunt *(lots de ville)*, praeter fenus annuum sed minus istam dederint praemii spem ? Quamvis tunc spes praemii sit pro deficiente consueto fenere, religioso tamen non ut fructus annuus sed ut capitale obtinget. Re vera, simul

censum emit et spem praemii. Quare censum expendere debebit, ne capitale fructibus augeat, praemium vero tamquam verum capitale acquirere et servare poterit.

Ad 2. Quo pacto dispositio ista improbaretur, non apparet. Omnes reditus a religioso perfecte sunt abdicati. De modo quo ab iis qui arcam pensionum gerunt obtenti reditus administrentur in bonum non suum sed cognati vel amici, nullam curam habet gerendam. Quare nulla exinde oriri potest difficultas.

Quid autem si, ut apud RR. PP. Congregationis SS. Redemptoris, religiosus non possit nisi in gratiam cognati disponere ? Num collocatio in arca pensionum satis est in gratiam *cognati* solius ? Etenim, si cognatus iste ante aetatem qua pensio currere incipiet, mortuus fuerit, summae pro ipso datae nec ipsi nec religioso prosunt, sed aliis qui in eadem arca pecunias habebunt depositas. — Intentio tamen religiosi non fuit nisi erga cognatum benefica ; nec dispositio fuit intentioni contraria. Spes enim lucrandi ex partibus aliorum compensat periculum omnia amittendi. Nec in antecessum dici potest quinam pensione sint fruituri, quinam, ante aetatem pensioni obtinendae statutam, sint morituri. Quare iste modus collocandi pecunias collocanti tamquam simpliciter utilis commendatur.

Ad 3. Si supponamus semper capitale non posse reditibus augeri, deputatio ista redituum vel partis ipsorum satis suspecta habetur. Nonne enim, vel prima specie, fructuosa pecuniarum collocatio esse demonstratur ?

Quare, dubium istud distinctione solvendum esse arbitramur.

Vel religiosus re vera reditus suos gratis, sine ullo lucro expendere debet : tunc non potest ius istud pensionis solvendo redituum partem acquirere.

Vel mere cavetur, *ne augeat capitale :* tunc, cum versemur in odiosis, ipsi capitali non existimabimus additos reditus maiores qui, post certos annos, ipsi promittuntur percipiendi. Potius quam capitale, acquirere dicendus est dilatos et dilatione auctos reditus, quibus percipiendis nunc abstinet. Cautio autem ista potest sapiens esse provisio, qua quis voluerit sibi pro senectute comparare reditus quos, si tempora sinant, Instituto tribuat ; si per tempora impediatur, ipse absumat, et sic Institutum dispersum onere alimentorum levare possit.

VI. De C. « Sapienti consilio »

Quaeritur, De C. *Sapienti*, 29 iun. 1908, quid sint suppressi modi expediendae bullae, qui dicebantur *per viam secretam*, *de Camera* et *de Curia*. (C. *Sapienti,* III, 1, 3. PERIODICA, t. 4, p. 228.)

Respondeo. Praeter *viam ordinariam* Cancellariae, secundum quam bullae manibus committebantur abbreviatorum seu officialium qui Cancellario qua tali, pro negotiis ordinariis, erant adiuncti, distinguebatur via *extraordinaria seu secreta*, qua Cancellarius opera utebatur *summistarum*. Via haec erat brevior, a taxis communibus exempta, sinebatque etiam a strictis cancellariae regulis fieri derogationes. Quare via erat privilegiata.

Via porro *de Camera* aperta est CC. *In eminenti*, ALEXANDRI VI, et *Pontifice dignum*, S. PII V, quibus, pro rebus beneficialibus, partes adire permittebantur *Cameram Apostolicam*, quae etiam minus stricta observatione Regularum Cancellariae astringebatur. Quare hac via expediebantur v. gr. Bullae quibus, contra communes leges, coadiutor *cum iure successionis* instituebatur.

Denique via *de Curia* expediebantur bullae quae a S. Pontifice motu proprio ad universum orbem mittebantur, sicut est praesens Constitutio *Sapienti*.

Huius generis bullas subscribebat Card. Pro Datarius (qui nunc Datarius appellatur), dum bullis per viam ordinariam vel extraordinariam Cancellarius seu Card. Vice Cancellarius (nunc Cancellarius) nomen apponebat. Cfr. MORONI, *Dizionario di erudizione*, t. 5, p. 280 sq. BANGEN, *Die Römische Curie*, p. 440.

VII. De Competentia et stilo S. C. Religiosorum

Quaeruntur haec duo :

1. Religiosus ab Instituto plene, post susceptos ordines, dimissus ideoque suspensus, a quanam S. Congregatione dispensationem ab ista suspensione petere debet ?

Resp. a) Quia suspensionis causa in statu religioso radices habet, et ad statum istum magnopere interest ut disciplina huiusmodi suspensionis rite observetur, C. Religiosorum est adeunda.

b) Haec indultum concedit vel *ad annum,* iubens ut dimissus episcopum benevolum receptorem quaerere interea conetur, vel, sed rarius, *ad nutum S. Sedis :* tunc, accedente licentia Ordinariorum loci, religiosus poterit et litare et munia ecclesiastica obire donec a S. Sede facultas non sit sublata.

c) Indultum vel Episcopo loci vel Superiori generali Ordinis exsequendum committi consuevit.

2. Quo pacto intellegenda est haec, satis recens, disciplina, vi cuius religiosus dimissus votis suis manet astrictus, et omnibus obligationibus quae cum novo Statu componi possunt, donec a S. Sede vota dispensentur.

Respondeo : Hac ratione, ni fallimur, ut Institutum possit, ex S. Sedis auctoritate, religiosum istum expellere, is tamen nisi dispensationem votorum suorum petierit, vota servare, fere sicut saecularizatus, debeat. Quare, v. gr. in eligenda et mutanda residentia, in ratione reddenda expensarum, pristino Superiori suo, plerumque provinciali, ut ante obnoxius erit.

Mens autem S. Congregationis est ut dimissus inducatur ad hanc dispensationem petendam. — Per se autem religiosi, nisi secus velint, tribus votis dispensantur, dum Sororis votum castitatis per se intactum manet.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ius canonicum

L. Choupin, S. I. *Les Fiançailles et le Mariage,* Discipline actuelle. Décret *Ne temere* et récentes décisions du S. Siège. 1 vol. in-16 de 164 p. Paris, Beauchesne, 1908.

Avant-propos. 1e Partie. Raison et but du décret. Fiançailles. — 2e Partie. Conditions de validité du mariage. — 3e Partie. Conditions de licéité du mariage. — 4e Partie. Délégations matrimoniales. — 5e Partie. Inscriptions aux livres prescrits. — 6e Partie. Sujets de la présente loi. — 7e Partie. Clauses finales. Appendice : Texte et Décisions.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

J. B. Ferreres, S. I. *Ce qu'il faut observer et éviter dans la célébration des Messes Manuelles*. Commentaire canonico-moral : 1e sur le décret *Ut debita ;* 2e sur le décret *Recenti*. 3e éd. 1 vol. in-16 de 164 p. Paris, Rue Bayard, 5, 1908.

— *Los Esponsales y el Matrimonio según la novisima disciplina*, 3 éd. Administratión de Razón y fe, Madrid, 1908. (Cfr. Period., t. 4, p. 187).

— *Gli Sponsali e il Matrimonio*, etc. Trad. ital. **A. Taverna**, S. I. Venezia, Tipogr. Emiliana, 1908.

Gury Ferreres. *Additiones et Mutationes factae in 3 ed. Compendii Theol. mor.* 1 vol. in-8, 60 p. Subirana, Barcinone, 1909.

J. Hilgers, S. I. *The Roman Index and its latest Historian*, a critical review of « The Censorship of the Church of Rome » by George Haven Putnam. 1, gr. in-8, 48 p. Society of the divine Word. Techny, Illinois, U. S. A. 1908.

— Reprinted from the Catholic Fortnightly Review, with an Introductory Note by Arthur Preuss.

Ks. Jan Roth, T. I. *Forma zareczyin i matzenstwa, w prawie koscielnem katolickiem z uwzglednieniem prawa cywilnego austryackiego*, 1 vol. in-8, 124 p. A. Kozianskiego, Krakow, 1908.

Ascetica

S. Bucceroni, S. I. *La Beata Vergine Maria. — Considerazioni sopra i misteri della sua vita*. 1 vol gr, in-8, 136 p. Roma, Tipogr. pontificia dell' Istituto Pio IX, 1909.

31 considerazioni : I. Predestinazione della B. V. Maria ; XXXI. Devozione alla Madonna.

(Anon). *Lux in tenebris lucet*. Exposition par tableaux des principaux objets de la Foi catholique. 1 vol. in-12, 368 p. Vic et Amat, Paris, 1907. Prologue. — 1e Partie. Dieu. — 2e Partie. La Trinité. — 3e Partie. La Création. — 4e Partie. Les Anges. — Honoré de la Bénédiction de S. S. Pie X.

Madame Cecilia. *Labourers in God's Vineyard*. Preface by **B. Vaughan**, S. I. 1 vol. in-24, 148 p. Washbourne, London, 1909. « Why stand ye idle ? » Miss Enid **M. Dinnis**. — Author's Preface. — Ch. 1. Christian feminism. — 2. God's vineyard. — 3-4. Women's spheres of labour. — a) Home duties ; b) Social works. — 5-6. Qualifications of a labourer in God's vineyard : a) Natural ; b) Supernatural. — 7. Difficulties which beset the labourers in God's vineyard. — 8. Encouragemento for labourers in God's vineyard.

S. Palau, S. I. — **L. Lebessou** et **P. Jury**, trad. *Le catholique d'action*, 1 vol. in-32, 195 p. Tournai, Casterman, 1908.

Préface par P. Jury. Livre I. Diverte a malo. — L. II. Fac bonum. — L. III. Inquire pacem.

Oeconomica et Socialia

Ch. Collard. *Le Contrat de travail en Hollande*. 1 gr. in-8, 30 p. (Extrait de la Revue pratique du droit industriel). Imprimerie liégeoise. Liège, 1909.

Robert de Mûelenaere. *La grève et le contrat de travail.* Belgique — France, 1 vol. in-8, 368 p. Louvain, Peeters 1909.

Introduction ; Bibliographie. — Ch. 1. Notions préliminaires sur le contrat de travail. — Ch. 2. La grève et le contrat de travail. — Ch. 3. Mise en rapport de cette théorie avec la volonté des parties. — Ch. 4. La grève et la force majeure. — Ch. 5. La grève et la volonté du législateur. — Ch. 6. La grève et la théorie de la suspension. — Ch. 7. La grève considérée comme acte de la collectivité. — Ch. 8. Le droit de grève. La question du préavis. — Ch. 9. Les droits du contractant lésé par une grève abusive. - Conclusions.

H. Pesch, S. I. *Lehrbuch der Nationaloekonomie.* 2 Band. Allgemeine Volkswirtschaftslehre. I Wesen und Ursachen des Volkswohlstandens, 1 vol. gr. in-8, 10-808 p. Herder, Freiburg im Breisgau, 1909.

Vorwort. Einleitung. — I. Volkswirtschaftliche Systeme. — II. Der Volkswohlstand, sein Begriff und Wesen. Messung konkreter Wohlstands verhältnisse des Einzelvolkes. — III. Grundlagen des Volkswohlstandes : Territorium und Volk.

Historica

Girolamo Golubovich. O. M. *Vita et miracula B. Benedicti Sinigardi de Aretio.* Ord. min. Scripta per Nannen Aretinum a. 1302. Ad Claras Aquas, typ. Collegii S. Bonaventurae, 1905, grand in-8°, 25 pp. (A. B. XXVI, p. 141.)

— *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa dell Oriente francescano* t. I. Leipzig. O. Harranowitz, 1906, in-8° VII, 479 pp. (A. B. XXVI. p. 122.)

Leto Alessandri. *Inventario dell' antica biblioteca del s. convento di S. Francesco in Assisi, compilato nel 1381.* Assisi. Metastasio, 1906, in-8°, XLVII 270 pp. (A. B. XXVI, p. 145.)

Th. De Smedt, S. I. *Les fondateurs du Bollandisme.* = Mélanges Godefroid Kurth, t. I, p. 295-303. (A. B. t. XXVIII, p. 107-108.)

P. Van den Ven. Un opuscule inédit attribué à S. Nil. (De discipulis et monachis, Sermo Nili (monachi). = Mélanges Godefroid Kurth. t. II. p. 73-81. (A. B. XXVIII, p. 108).

H. Lietzmann. *Das Leben des Heiligen Symeon Stylites,* VIII-258 pp. = Texte und Untersuchungen zur Geschichte der Altchristliche Literatur, t. XXXII, 1908. (A B. XXVIII, p. 111).

Hilarin Felder, O. Cap. *Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden bis um die Mitte des 13. Jahrhunderts.* Freiburg i. Br., Herder. 1904, in-8, VIII-557 pp. (A. B. p. 130-134) ; — traduit de l'allemand par le **P. Eusèbe de Bar-le-Duc** : *Histoire des études dans l'ordre de Saint François depuis sa fondation jusque vers la moité du XIIIe siècle.* Paris, Picard, 1908, in-8, VII-594 pp.

Franz Haver Seppelt. *Wissenschaft und Franziskanerorden, ihr Verhältniss im ersten Jahrzehnt des letzeren,* = Kirchengeschichtliche Abhandlungen de Max Sdralek, t. IV, (1906) p. 151-179 (A. B. p. 134).

R. P. Mortier, O. P. *Histoire des Maitres Généraux de l'Ordre des Frères-Prêcheurs.* Tome III, 1324-1400, et tome IV, 1400-1486. Paris, Picard, 1907 et 1909, deux volumes in-8, VIII-696 et VIII-660 pp. (A. B. XXVIII, p. 134-140).

Antonio Astrain, S. I. *Historia de la Compania de Jesus en la Asistencia de Espana*. Tomo II. Lainez-Borja 1556-1572. Madrid, Sucesores de Rivadeneyra, 1905, gr. in-8, XVI, 671 pp. (A. B. XXVIII, p. 90-104).

Bernhard Duhr, S. I. *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher zunge*. I, Band. Freiburg i. Br., Herder, 1907, gr. in-8, XIV-876 pp. (A. B. ib).

Thomas Hughes, S. I. *History of the society of Jesus in North America*. Text. Vol. I, From the first Colonization till 1645. Documents. Vol. I, Part. I : 1605-1838. London, Longmans, 1907, 1908 deux volumes gr. in-8, XIV-647 et XIV-600 pp. (A. B. ib.).

Bernard Arens, S. I. *Die selige Julie Billiart, Stifterin der Genossenschaft Unserer Lieben Frau, und ihr Werk*. Freiburg im Br. Herder, 1908. in-8, XII-544 pp.

Johannes Jörgensen. *Der Heilige Franz von Assisi. Eine Lebenbeschreibung*. Kempten-München, Kösel, 1908, in-8, XVIII-675 pp.

L. De Kerval. *Un frère Mineur d'autrefois, Saint Jean de Capistran*. Woluwe, 1908, in-12, XXIII, 167 pp.

Mgr. Arsène Legoun. *Le bienheureuse Marie-Madeleine Postel, fondatrice de l'Institut des Sœurs de la Miséricorde*. Société Saint Augustin. Desclée, De Brouwer et Cie, in-12, XXXVIII-381 pp.

A. G. Little. *Liber exemplorum ad usum praedicantium saeculo XIII compositus a quodam fratre minore anglico de provincia Hiberniae*. Aberdeen, 1908, in-8, XIX-177 pp. (Britisch Society of Franciscan Studies, vol. I).

Placido Lugano, O. S. B. *La congregazione Camaldolese degli eremiti di Montecorona dalle origini ai nostri tempi*. Seconda edizione Roma Frascati, 1908, gr. in-8, 543 pp.

P. L. Michel, S. I. *Vie de S. François Xavier, apôtre des Indes et du Japon*. Tournai, Casterman, (1908) in-8, X-592 pp.

P. Giacinto Picconi da Cantalupo. O. M. *Serie chronologico-biografica dei ministri e vicari provinciali della minoritica provincia di Bologna*. Parma, 1908, in-8, VIII-520 pp.

Benedictus Maria Reichert. *Joannes Meyer, Ord. Praed. Buch der Reformacio Predigerordens*, IV und V Buch. Leipzig, Harrassowitz, 1908, in-8, VI-167 pp. = Quellen und Forschungen zur Geschichte des Dominikanerordens in Deutschlands, III.

Ex Libellis periodicis

Analecta Bollandiana, t. XXVIII. F. Van Ortroy, S. I. *Une nouvelle Histoire de la Compagnie de Jésus*, p. 90-104.

Revue Bénédictine, t. XXV. Dom L. Gougaud. *Inventaire des règles monastiques irlandaises*, pp. 167-184 et 321-333 (A. B. p. 115).

MONUMENTA

313. — S. C. INDULG. ET SS. RELIQU.

INDULTUM EX AUDIENTIA SS^mi 27 FEB. 1907

De modo peragendi Viam Crucis in eccl. C. SS. Sacramenti

Très Saint Père,

Orator,

Le Supérieur Général de la Congrégation du Très Saint Sacrement, humblement prosterné aux pieds de Votre Sainteté, expose :

proposita devotione fidelium et difficultate huic sine incommodo satisfaciendi,

Dans les églises de la Congrégation, où le Très Saint Sacrement est perpétuellement exposé, la dévotion des fidèles aime à unir la méditation de la Passion à l'adoration de la Très Sainte Eucharistie, et un grand nombre font chaque jour le Chemin de la Croix. Mais il en résulte parfois un véritable trouble pour la piété des autres fidèles qui adorent, et un certain manque de respect pour le Très Saint Sacrement, à cause des fréquents déplacements. Par ailleurs, si on voulait détourner les fidèles de cette pieuse pratique durant l'Exposition, il en résulterait qu'on ne pourrait jamais faire le Chemin de la Croix dans les églises de la Congrégation.

Petit *dispensationem opportunam.*

Pour ces raisons, le suppliant ose prier Votre Sainteté de daigner permettre aux fidèles de faire les exercices de la *Via Crucis*, dans les églises de la Congrégation du Très Saint Sacrement, sans quitter, pour chaque station, la place qu'ils occupent, se bornant à faire une génuflexion sur place à chaque station.

Et que Dieu, etc.

Concedi-tur.

SS. D. N. Pius Pp. X, in Audientia habita die 27 februarii 1907, ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, ceteris servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumqae non obstantibus. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 27 februarii 1907.

Dies (27 febr. 1907).

S. Card. Cretoni, *Praef.* [1]
D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.

[1] Is, in litteris ad Superiorem generalem, simul addidit Sanctitati suae acceptum esse ut devotio ad Passionem Domini adorationi SS. Eucharistiae coniungatur.

ANNOTATIONES

1. Itaque, qui modus tunc tantum adhiberi permittitur cum via crucis communiter certa ratione peragitur, iam semper, ad lucrandas indulgentias, sufficiet in ecclesiis Congregationis SS. Sacramenti.

2. Maiorem dispensationem dein ipsis religiosis concessam memoravimus et commentati sumus supra, n. **284.** PERIODICUM, t. 4, p. 279-281.

---

314. — E SECRETARIA STATUS

LITTERAE 30 SEPT. 1908 AD GALLIAE METROPOLITAS

Ne clerici Universitates civiles frequentent

Vatican, 30 septembre 1908.

Monseigneur,

Galliae episcopis S. Pontifex zelum gratulatur et strenuam exsecutionem praescriptorum S. Sedis.

Au milieu des tristesses que le cœur paternel du Souverain Pontife éprouve en présence des innombrables difficultés et des maux qui affligent l'Église, une consolation on ne peut plus précieuse, — il est bien doux de le dire encore une fois, — lui est toujours venue du zèle et de la fidélité inébranlable de l'Épiscopat français.

Il a trouvé, dans ces nobles pasteurs des âmes, des collaborateurs insignes dans l'œuvre entreprise contre les erreurs qui menaçaient d'entamer la pureté de la foi, surtout parmi le clergé, et il ne saurait se réjouir assez des efforts que les évêques ont faits pour mettre en exécution les mesures édictées par le Saint-Siège à ce sujet.

Sublata occasione exceptionis, optat ut ordinatio 10 oct. 1907 de Universitatibus civilibus plena exsecutione compleatur.

Ces prescriptions, toutefois, notamment en ce qui concerne la défense faite aux clercs de fréquenter les Universités civiles, n'ont pu avoir partout, dès l'année passée, une application complète, plusieurs ecclésiastiques se trouvant déjà inscrits aux facultés de l'État.

A présent que cette circonstance spéciale, qui avait conseillé, dans des cas particuliers, quelques tempéraments transitoires, a cessé, le Saint-Père désire vivement, pour le bien de l'Église et des âmes, que les instructions contenues dans la lettre-circulaire du 10 octobre 1907 [1] soient strictement observées.

Res Archiepiscopis commendatur.

C'est pourquoi je serai très reconnaissant à Votre Grandeur, si elle voulait bien rappeler à ses vénérés suffragants toute l'importance des instructions susmentionnées, et leur signaler en même temps, dans cette constante sollicitude du Souverain Pontife, une preuve nouvelle de la grandeur de son amour pour l'Église de France.

Agréez, Monseigneur, l'assurance de mes sentiments dévoués en N.-S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

---

[1] Cfr. supra, n. **230**, p. 45 ; pro temperamentis autem, litt. 2 oct. et 5 nov. 1907, n. **245**, p. 159. 160.

315. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE 8 NOV. 1908

De constituendo collegio ad usum FF. Praedicatorum variarum gentium

Domui paene aedificatae bene ominatur Pontifex,

Domum delectis omnium gentium alumnis Ordinis tui educandis iam pridem aedificari coeptam, brevi tandem absolutum iri intellegimus, et quidem perlibenter : ibi enim rite exposita et inde diffusa late sapientia Doctoris Angelici tum ad philosophiae, tum ad sacrarum disciplinarum cultum non dubitamus, quin praeclaros ubique fructus latura sit. Id autem Collegium, quod quidem Pontificii titulo ornatum volumus, cum totum aliud futurum sit a Pontificio, quod hodie Romae est, S. Thomae Aquinatis Collegio, si quidem aliam et ampliorem habebit formam, eidem gubernando proprias et peculiares leges, easque ipsius instituto et his temporibus accommodatas, praescribi oportebit. Harum legum caput erit *Ratio studiorum*, qua Ordo vester universus utitur ; huc accedent vel e statutis veteris Collegii S. Thomae, vel ex aliis probatis fontibus derivata praescripta quae ad rem pertineant. Nos tibi hoc mandamus negotii, dilecte fili : quod tu celeriter, qua tua est diligentia, conficere studebis, adhibitis in consilium, praeter ordinarios Consultores tuos, viris qui tibi videantur, doctrina rerumque usu commendabiles ; Nostri tamen arbitrii erit, quae vos constitueritis, habere rata atque sancire. Praetereunda vero tibi non est illa Definitorum vestrorum sententia, qua cavetur ut novum Collegium, praeterquam studiorum, religiosae etiam observantiae laude emineat, atque ita quotquot ibi docuerint didicerint, reduces deinceps in suam quisque provinciam, non modo se penitus doctrinis excultos exhibeant, sed etiam religiosae perfectionis sint aliis exemplo. Sed tamen, quod ad externas austeritates attinet, tibi pro tua prudentia committimus, ut illa adhibeas temperamenta, quae spectatis rerum adiunctis, melius ad finem conducibilia iudicaveris. Atque ut haec omnia suscipias feliciter et perficias, divinae gratiae opportuna tibi precamur munera : quorum auspicem, eandemque paternae benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et omnibus, qui te quoquo pacto adiuvabunt, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Pontificio titulo ornat.

Vultque propriis regi legibus,

quas a Magistro Generali prudenter praeparatas, ipse approbabit.

Prospiciatur religiosae observantiae,

Facultate facta sapienter temperandi externas austeritates.

Apostolica Benedictio.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 novembris 1908, Pontificatus Nostri anno sexto.

Dies (8 nov. 1908).

PIUS PP. X.

---

316. — S. PAENITENTIARIAE

LITTERAE 16 IAN. 1909 AD ORDINARIOS GALLIARUM

De compositionibus circa bona ecclesiastica

S. Pontificis firmitas, paterna tamen provi-

Neminem sane lalet quanta animi fortitudine et constantia Sanctissimus Dnus Noster Pius divina providentia PP. X sacrosancta Ecclesiae iura asseruerit et iniquas leges postremis hisce annis in Gallia latas reprobaverit

dentia, ex qua profectae facultates.

ac damnaverit. Idem vero Summus Pontifex apprime sollicitus pro salute animarum, quae suprema lex est et ultimus finis, cui terrena omnia subordinari oportet, memor caritatis Christi Domini, de quo scriptum fuit : « Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet », luculenter ostendit infirmitati debilium, quoad fieri potest, indulgendum esse, ut errantes in viam aeternae salutis revocari queant.

Hunc porro in finem tributae fuerunt, per litteras ab Emo Cardinali a Secretis Status datas, die 24 septembris 1907, omnibus et singulis Venerabilibus in Christo Patribus Galliarum Ordinariis amplae facultates pro iis, qui propriae conscientiae consulere cupiant postquam bona Ecclesiae erepta qualicumque titulo acceperint, vel bona ipsa, honestis de causis, acquirere postulent.

De his mens S. Pontificis aperitur, ex speciali ipsius mandato.

Quo autem melius innotescat mens Summi Pontificis in supradictis facultatibus tribuendis, simulque habeatur norma certa eas interpretandi et practice applicandi, Sanctitas Sua huic S. Paenitentiariae speciali mandato commisit, ut cum praelaudatis Galliarum Ordinariis communicaret ea quae sequuntur, quaeque in audientia diei 15 huius mensis ipsa Sanctitas Sua expresse probavit.

Aequa compositio, Ecclesiae iura in se non minuit sed potius confirmat.

Nihil videlicet timendum est, ne ex aequa compositione iniustis bonorum Ecclesiae detentoribus concessa ipsius Ecclesiae iura in se pessumdentur seu minuantur. Primum enim per huiusmodi compositionem nullatenus relevantur praecipui spoliatores seu auctores iniquarum legum, quarum vi bonorum Ecclesiae direptio et alienatio consummata fuit. Deinde, tantum abest ut ea compositio obligationem integre restituendi pro ipsis iniustis detentoribus vel diffiteatur vel solum dissimulet, ut eam potius praesupponat, atque ostendat in Ecclesia ius plene vigens eam exigendi. Siquidem qui per benignam compositionem alicuius rei partem condonat, eo ipso ostendit omnimodam sibi esse facultatem de ea re libere disponendi ; qui autem compositionem petit vel solummodo acceptat, debitum suum manifeste recognoscit et profitetur.

Quare vitanda est nimia severitas, quae multorum animis perniciosa esse possit.

Quae cum ita sint, sedulo cavendum est ne forte per rigidiorem quandam agendi rationem, hac in re, suprema Romani Pontificis auctoritas circa bona Ecclesiae temporalia coartari videatur, atque insuper adiuvetur ipsum consilium impiorum, qui eo demum spectant, ut animas pretioso D. N. I. C. sanguine redemptas in aeternum perdant. Multi enim sunt in Gallia, quorum in mente fidei lumen non penitus exstinctum est, qui tamen, impellente temporalis lucri cupidine, bona Ecclesiae direpta accipere non dubitarunt Hi autem si toto poenarum et obligationum rigore urgeri se senserint, harum difficultate territi, potius in peccato insordescere, quam iustis S. Matris Ecclesiae querimoniis satisfacere eligent. Contingere etiam potest ut, imminente mortis periculo, propinqui seu heredes morituroruni negent morem gerere postulantibus sacerdotem confessarium, veriti ne eius hortatu morituri ipsi de integra bonorum Ecclesiae restitutione rite disponant ; atque ita fiet ut miseri, non obtenta admissorum absolutione, ac non sine gravi scandalo e vivis decedant. Contra, per benigniorem compositionem dum spirituali debilium bono consulitur, aliqua saltem ex parte resarciuntur Ecclesiae damna, maiorque affulget spes fore ut etiam renitentiores, facili reconciliationis condicione allecti, ad salutarem paenitentiam bonamque frugem serius ocius deveniant.

Recolendum quoque est censurarum finem non esse solam criminis vindictam, sed praecipue resipiscentiam delinquentium.

Censura est in primis medicina.

Hinc factum est ut, in similibus adiunctis, Summi Pontifices, licet immutabilia Ecclesiae iura alte proclamaverint, aequam tamen compositionem semper et benignissime permiserint : quem ad modum peregisse constant, inter alios, Iulium III, anno 1554, cum Anglis ; Clementem XI, anno 1714, cum Saxonibus ; Pium VII, superiore saeculo, cum ipsis Gallis ; et nuperrime Pium IX ac Leonem XIII cum Italis.

Exempla facilitatis Pontificum.

Ceterum normae peculiares in concedenda compositione servandae adeo perspicue definitae sunt in praefatis litteris Emi Cardinalis a Secretis Status, ut nulla videantur indigere declaratione. Si qua tamen in praxi oborta fuerit dubitatio, pronum erit recurrere ad hanc ipsam S. Paenitentiariam, quae singulis, uti par est, absque mora faciet satis.

Normas, ceterum claras, explicabit, si opus fuerit, S. Paenitentiaria.

Datum Romae ex S. Paenitentiaria, die 16 ianuarii 1909.

Dies (16 ian. 1909).

S. Card. VANNUTTELLI, *Paenitentiarius Maior.*
I. Palica, Secretarius.

---

317. – S. CONGR. RELIGIOSORUM

RESPONSUM EX AUD. SSmi, 19 IAN, 1909

Exploranda monialium voluntas ante sollemnem professionem

Orator,

Fr. Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum, se ad Sanctitatis Tuae pedes humillime provolvit et, ut plurium tam Ministrorum Provincialium quam Monialium sui Ordinis dubiis occurrat, sequentia exponit :

Proposito iure Tridentino,

Sacra Tridentina Synodus, sess. XXV, cap. 17, *De Regul.* haec quod ad vestitionem Monialium earumque professionem constituit : « Libertati « professionis virginum Deo dicandarum prospiciens, S. Synodus statuit « atque decernit ut puella quae habitum regularem suscipere voluerit... « non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat « quam exploraverit Episcopus vel, eo absente vel impedito, eius Vicarius « aut aliquis.... ab eis deputatus virginis voluntatem diligenter, an coacta, « an seducta sit, an sciat quid agat. »

Et memorato decreto Perpensis *de praemittenda simplici professione,*

Cum vero Summus Pontifex Leo f. r. XIII, per Decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium die 3 maii 1902 latum, edixerit ut, non secus quam in religionibus virorum etiam in Sanctimonialium monasteriis, in quibus sollemnia nuncupantur vota, praemittantur sollemnibus votis simplicia, triennium saltem duratura, hinc sequens dubium exortum est, cuius congruam in editis iam ipsius Decreti declarationibus solutionem minime reperit :

Quaerit
De necessitate explorandi voluntatem ante vota sollemnia.

« Num ante professionem votorum sollemnium sanctimonialis cuius voluntas ante vestitionem professionemque votorum simplicium iuxta S. Conc. Tridentini praescripta fuerit legitime explorata, denuo sit exploranda ? »

Super quibus humillimus Orator opportunam declarationem reverenter postulat.

Et Deus, etc...

Audientia SSmi. Ex audientia SSmi habita ab infrascripto Cardinali S. Congregationis de Religiosis Praefecto, die 19 ianuarii 1909 : Sanctitas Sua, re mature perpensa, supra relato dubio responderi mandavit prout sequitur : *Attenta ratione sollemnitatis votorum, iteranda est exploratio voluntatis singularum monialium ante votorum sollemnium nuncupationem.*

Responsum.

Dies (19 ian. 1909). Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, die mense et anno ut supra.

Fr I. C. Card. Vivès, *Praefectus.*

D. Laurentius Ianssens O. S. B., Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Sicut scripsimus in opere *De Religiosis Institutis*, etc. t 1, n. **173,** ex C. Tridentini c. 17, s. 25, *De Regul.* debet Episcopus per se, vel per Vicarium aut aliquem deputatum voluntatem explorare puellarum ante habitus susceptionem et ante professionem.

Proposito hoc iure, Orator supponit alteram hanc voluntatis explorationem esse faciendam ante priorem seu simplicem votorum professionem quae decreto *Perpensis* 3 maii 1902 est in omnia monialium monasteria inducta.

Qua facta suppositione, quaerit utrum necne huiusmodi exploratio sit *etiam* ante sollemnem professionem facienda.

Atque audito SSmo respondit S. Congregatio esse istam explorationem ante sollemnia vota iterandam, quamvis iam ante vota simplicia sit facta.

2. Atque haec constant. Minus vero constat esse hanc explorationem priori seu simplici professioni praeponendam ; nec de ista re est quidpiam positive statutum. Contra autem faciunt haec : a) Tridentina synodus de *sollemni* professione agit ; b) Ante sollemnem professionem vota facilius dispensantur ; c) Mirum fuerit simplici isto responso ita mutatum esse ius commune quo duplex non trina praecipitur exploratio ; d) Plura quae ante professionem iubebantur fieri, indulta simplici professione, iam intelleguntur ante *sollemnem* facienda. Ita sollemni, non simplici regularium professione, vacant possessa beneficia ; ante sollemnem tantum abdicanda sunt bona ; sollemni tantum monialium professione dos monasterio acquiritur.

Quare, nisi S. Sedes aliter clare statuerit, perinde hic dicendum esse arbitramur. Et contra atque opinatur U. M. in ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 17, p. 51, putamus bis tantum esse voluntatem explorandam, id est ante habitus susceptionem et ante sollemnia vota. Opinio tamen ista paulatim invalescere et praevalere videtur.

3. Memoramus praeterea, utriusque examinis quod Episcopus facere iubetur, non item alterius tantum omissionem iudicari gravem, et in pluribus religionibus usu venire ut semel tantum puellae voluntas exploretur.

318. — NUNTIATURAE APOSTOLICAE VIENNENSIS AD ARCHIEP. SERAIEN.

LITTERAE 21 IAN. 1909

Ne regulares eligantur deputati Parlamenti Bosniae

Dies.

Vienna, 21 gennaio 1909.

Eccellenza Revma !

Memorata epistula eiusque argumento,

In riscontro alla Sua lettera, relativa alle candidature degli ecclesiastici regolari alle urne politiche, qualora nella Bosnia ed Erzegovina si costituisse un speciale Parlamento, debbo significar-Le quanto segue.

Nuntius S. Patris narrat sententiam

Il Santo Padre, avendo bene esaminato la questione, non ostante le ragioni favorevoli addotte da Vostra Eccellenza e l'interesse che mostrava d'una favorevole decisione, ha formalmente dichiarato essere Sua volontà che in nessun caso i Regolari debbano concorrere come deputati del futuro Parlamento, qualunque sia la forma o nome che si dia a questo nuovo consesso politico locale.

Quam primum communicandam cum Regularibus.

In seguito a tale decisione del Santo Padre, resta ora a cura dell' Eccellenza Vostra di darne subito conoscenza ai Regolari della Bosnia ed Erzegovina, e ciò per evitare in tempo dubbi ed equivoci su questo argomento tanto delicato.

Con rispettosi ossequi ho l' onore di dirmi

dell' Eccellenza Vostra Rma
umillimo servitore
† Gr. di Belmonti
Nunzio Apostolico.

A Sua Eccellenza
Monsignore Giuseppe Stadler
arcivescovo di Sarajevo.

Annotatio

Causa cur Illmus Archiepiscopus optaret ut ipsi religiosi in deputatos eligerentur haec fuit, desiderari in istis regionibus sufficientem numerum laicorum catholicorum qui isti muneri implendo essent idonei, maiorem autem cleri partem constitui religiosis S. Francisci. De Fratribus enim Minoribus quaestio movebatur.

---

[1] Id est, latine : Viennae, 21 ian. 1909. Ut epistulae Vestrae respondeam, qua agebas de ambiendis muneribus politicis ab ecclesiasticis regularibus, si in Bosnia et Herzegovina peculiare Parlamentum constitueretur, haec Tecum communicanda habeo.

SS. Dnus, re mature perpensa, quamvis Excellentia Vestra, pro sententia benigniore, rationes allegasset animumque propensum, disertis verbis declaravit se velle ut nullo in casu Regulares munus deputatorum exerceant in futuro Parlamento quacumque forma vel nomine novus iste politicus coetus constituatur.

Post hanc SSi Dni sententiam, restat iam ut Excellentia Vestra curet ut de ea Regulares Bosniae et Herzegovinae incunctanter certiores fiant, ne quondam, de re tam delicata oriantur dubia et ambiguitates.

Reverenter obsequens profiteor me
Excellentiae Vestrae Revmae
Humillimus servus

Excellentissimo Domino
G. Stadler
Archiep. Seraien. (vel Utorbosnen.)

319. — S. RITUUM CONGR (19 febr. 1909)

RESPONSUM DE PYXIDIS PURIFICATIONE

C. SS. Redemptoris, provinciae hollandicae

Orator, Matthias Raus, congregationis SS. Redemptoris superior generalis, SS. Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum :

Proposito contagii periculo In Vicariatu Apostolico Surinamensi, quem S. Sedes provinciae nostrae Hollandicae commisit, duo exsistunt leprosorum hospitia, quibus sacerdotes nostri curam spiritualem impendunt : quo in caritatis exercitio, iam quattuor ex patribus lepram ipsi contraxerunt, et mortui sunt. Cum igitur tantum sit contagionis periculum, quod et medici agnoscunt, opportunum esse videtur, ut etiam in purificanda sacra pyxide maximae adhibeantur cautelae. Hactenus patres nostri, servatis rubricis, purificationem illam perfecerunt, sumptis minutis particulis, quae forte remanserant. In his vero facile est ut reperiantur fragmenta, quae labia et salivam leprosorum tetigerint. Haec cum ita sint, idem orator Sanctitati Vestrae supplicat, ut sacerdotes nostri, tum in praedictis, tum in aliis forte erigendis leprosorum hospitiis, abstinere possint a sumenda sacrae pyxidis purificatione : quae reposita per octo aut quindecim dies in tabernaculo, dein in sacrarium infundatur.

Quaerit *de modo purificandi pyxidem*

Responsum. Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, reque accurate perpensa, ita rescribendum censuit : Paretur super altari vasculum cum aqua et stuppa seu gossypio, in quod vasculum purificatio pyxidis, modo solito peragenda, immittatur, eaque quam primum fieri poterit, in sacrarium iniciatur.

Dies (19 febr. 1909). Atque ita rescripsit ac indulsit, die 19 februarii 1909.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
D. Panici, Archiep. Laodicen. Secretarius.

Annotationes

1. Ut patet, hic modus purificandi pyxidem adhiberi non potest sine vera necessitate ; ex alia parte videtur Congregatio regulam statuisse secundum quam in casibus similibus providendum esset.

2. Nobis praeterea compertum est, stuppam seu gossypium, de quibus sermo est, comburenda esse antequam in sacrarium proiciantur. Haec mens est S. Congregationis, et consonant, praeter praeceptum Missalis, *De defectibus* X. n. 14 in fine, alia S. Congregationis decreta. Ceterum, cur stuppa praecipitur adhibenda nisi ut comburatur ? Qua combustione ipsum contagii periculum plenius etiam removetur.

I. Pauwels, S. I.

320. — S. CONGR. CONCILII

SENTENTIA 27 FEBR. 1909

De iure praecedentiae inter Vicarios Apostolicos

Causae summa.

Cum anno superiore 1908, esset a S. C. Propagandae Fidei permissus coetus Vicariorum Apostolicorum Africae Meridionalis, dubium de praeside est exortum, quia unus inter eos Episcopus erat consecratus ab anno 1886, quamvis solum a 19 febr. 1908 Vicarii Apostolici munere fungi coepisset. Hinc quaesitum *utrum Prioratus inter Praesules praedictos computari debeat a die ad episcopatum evectionis, an vero a die Officii Vicarii Apostolici suscepti a coadiutore cum iure, post mortem coadiuti.* Quod dubium S. C Prop. Fidei S. Congregationi Concilii solvendum proposuit.

Dubium

Votum Consultoris.

Interrogatus Consultor observavit in primis ubique per se servandum esse quod statuunt Instructiones peculiares, id est ut is coetibus praesit qui *gradu* et *antiquitate* in ecclesiastica hierarchia praestat. In casu esse gradu pares omnes Vicarios Apostolicos; alterum tamen ordine esse antiquiorem, officio alterum.

Quia autem potissimus praelationis titulus sit iurisdictio, oportere, ut is praesit qui in officio Vicarii sit antiquior. Nihil autem obstare a Vicariis exerceri iurisdictionem alieno nomine, cum officio inhaereat, in iure contineatur et superior habeatur iurisdictioni Vicariorum generalium.

Decisio.

Quare E^mi^ Patres in generali conventu 27 febr. 1909 responderunt: *Praecedentiam in casu spectare ad Praesulem qui antiquior est in munere Vicarii Apostolici.*

Approbatio. Dies (14 mart. 1909).

Facta vero relatione in audientia diei 14 martii 1909, SS^mus^ resolutionem E^morum^ Patrum approbare dignatus est.

Iulius Grazioli, Subsecretarius.

---

321. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

*INDULTUM 27 FEBR. 1909 EX AUD. SS^mi^*

De matrimoniis mixtis in Hungaria

Dies (27 feb. 1909). Coetus Congregationis.

« Sacra Congregatio de Sacramentis. Roma, 27 februarii 1909.

In Congregatione Generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 19 februarii 1909, proposita fuit quaestio *Romana et aliarum, Dubiorum circa Decretum Sponsalibus et Matrimonio,* relate ad petitionem Antistitum Hungariae quod ad matrimonia mixta.

Dubium. Sententia *Congregationis.*

EE. ac RR. PP., re mature perpensa, dubio : « An et quamodo providendum sit in casu, » responderunt : « Attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus, supplicandum SS^mo^ ut pro nunc quod ad matrimonia mixta extendere dignetur regno Hungariae Constitutionem *Provida* pro Germania latum die 18 ianuarii 1906, servatis declarationibus a S. C. Concilii die 1 februarii et die 28 martii 1908 desuper datis. »

Aud. SSmi 23 feb. 1909.

Indultum *et* **sanatio** *praeteritorum coniugiorum.*

Ex Audientia SSmi diei 23 februarii 1909 : SSmus audita relatione facta a R. P. D. Secretario, Emorum Patrum voto in omnibus benigne annuere dignatus est ; et insuper coniugia mixta post publicationem Decreti *Ne temere* in regno Hungariae hucusque contracta, non servata eiusdem Decreti forma dummodo nullum aliud dirimens impedimentum obstet pro validis habenda esse voluit, idque expresse declaravit ac decrevit

D. Card. FERRATA, *Praef.*
Ph. Giustini, Secret.

---

322. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 27 FEBR. 1909

De Congregatione ad quam pertineat dispensare ab irregularitate vel a titulo s. Ordinationis

Dubium.

Responsum.

Proposito dubio, utrum facultas concedendi clericis, iam in sacro presbyteratus ordine constitutis, dispensationem ab irregularitate vel a titulo sacrae ordinationis, spectet ad Congregationem de Sacramentis an potius ad Congregationem Concilii ; Sacra Congregatio Consistorialis, omnibus rite perpensis, respondendum censuit, spectare ad S. Congregationem Concilii.

Dies (27 febr. 1909).

Datum Romae, ex aedibus Secretariae eiusdem S. Congregationis Consistorialis, die 27 febr. 1909.

Scipio Tecchi, Assessor.

ANNOTATIONES

1. Proponendi dubii haec causa fuisse videtur, Constitutione *Sapienti* [1], 29 iun. 1908, universam disciplinam Cleri saecularis Congregationi Concilii, S. vero Congr. Sacramentorum universam Sacramentorum disciplinam esse commissam, dispensationem autem ab irregularitate et a titulo ordinationis, ad utramque disciplinam aliquo modo spectare. Sapienter tamen S. C. Consistorialis rem Ci Concilii addixit. In causa enim eorum qui iam ordinati sunt potior omnino videtur respectus disciplinae clericalis. Praeterea, ipsa C. *Sapienti* (I, 3), dum Ci Sacramentorum dispensationes tribuit *ordinandis* concedendas, dispensationes ordinatorum excludere videtur.

2. Quae posterior dispositio Cis *Sapienti*, ratio etiam est cur de solis presbyteris mota sit quaestio. Quod si quaeras quo pacto hi quandoque a titulo ordinationis dispensentur, respondemus id intercidere cum v. gr. sacerdos permittitur aut alienare summam quae ipsi erat pro patrimonio ecclesiastico, sine alius tituli surrogatione, aut sine beneficio, patrimonio, vel cooptatione in quandam dioecesim, sacra ministeria exercere.

[1] Cfr. PERIODICA, t. 4, p. 224. 225.

323. — S. RITUUM CONGR (18 mart. 1909)

DECRETUM DE APPROBATIONE LITANIARUM S. IOSEPH

Urbis et Orbis

Propria pietate

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, inclitum patriarcham S. Ioseph, divini Redemptoris patrem putativum, Deiparae Virginis sponsum purissimum et Catholicae Ecclesiae potentem apud Deum patronum, cuius glorioso nomine a nativitate decoratur, peculiari atque constanti religione ac pietate complectitur. Hinc supplicibus enixisque votis et precibus plurium Sacrorum Ecclesiae Antistitum et Praepositorum ordinum religiosorum, praeeunte Abbate generali Cisterciensium reformatorum, libenter obsecundans, suorum decessorum fel. rec. Pii IX et Leonis XIII exempla, acta et decreta de cultu ipsius S. Ioseph edita, toto animo ac voluntate per hoc novum Decretum prosequi statuit. Eapropter quo omnes et singuli Christifideles, cuiusvis sexus, status et condicionis, cum filiali ac religioso affectu ac firma solidaque spe eximias Nazarenae Familiae nutricii et custodis virtutes frequenter recolant ac studiose imitentur, validamque opem, praesenti tempore humanae familiae ac societati congruentem, iteratis invocationibus ferventer implorent, Litanias in honorem S. Ioseph Sacrorum Rituum Congregationis examini ac iudicio subiectas, atque ab ipsa dignas approbatione recognitas, de eiusdem Sacrae Congregationis consulto, ac referente infrascripto Cardinali Praefecto et Ponente, Apostolica sua Auctoritate approbavit; easque in vulgus edi, atque in libris liturgicis, post alias Litanias iam approbatas, inseri ita indulsit, ut in universa Ecclesia tum private, tum publice, recitari et decantari valeant. Insuper eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis Christifidelibus has Litanias in honorem sancti patriarchae Ioseph persolventibus, tercentum dierum indulgentiam semel in die lucrandam, et Animabus in expiatorio carcere detentis etiam applicabilem, benigne concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 18 martii 1909.

Et instantiis Antistitum et Praepositorum Ordinum religiosorum motus,

Litanias S. Ioseph de S. Rituum Congr. consulto approbavit et aliis approbatis litaniis plene aequiperavit.

Additur indulgentia.

Dies (18 martii 1909).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

D. Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

Litaniae.

LITANIAE DE S. IOSEPH

Kyrie, eleison.		Lumen Patriarcharum,	
Christe, eleison.		Dei Genitricis sponse,	
Kyrie, eleison.		Custos pudice Virginis,	
Christe, audi nos.		Filii Dei nutricie,	
Christe, exaudi nos.		Christi defensor sedule,	
Pater de caelis, Deus,	mis. nobis.	Almae Familiae praeses,	ora pro nobis.
Fili, Redemptor mundi,		Ioseph iustissime,	
Deus,	»	Ioseph castissime,	
Spiritus sancte, Deus,	»	Ioseph prudentissime,	
Sancta Trinitas, unus Deus,	»	Ioseph fortissime,	
Sancta Maria,	ora pro nobis	Ioseph oboedientissime,	
Sancte Ioseph,	»	Ioseph fidelissime,	
Proles David inclita,	»	Speculum patientiae,	

Amator paupertatis,	ora p. n.	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Exemplar opificum,	»	
Domesticae vitae decus,	»	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Custos virginum,	»	
Familiarum columen,	»	Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Solacium miserorum,	»	
Spes aegrotantium,	»	℣. Constituit eum dominum domus suae.
Patrone morientium,	»	
Terror daemonum,	»	℟. Et principem omnis possessionis suae.
Protector sanctae Ecclesiae,	»	

OREMUS

Deus, qui ineffabili providentia beatum Ioseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es : praesta quaesumus : ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in caelis : Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

ANNOTATIO

Post hoc decretum, quinque sunt litaniae quae publice in ecclesiis cantari vel recitari possunt : litaniae omnium Sanctorum, litaniae de SSmo Iesu nomine, litaniae de Sacratissimo Corde, litaniae lauretanae et hae litaniae S. Ioseph. Reliquae vero litaniae si ab Ordinario fuerint approbatae, possunt quidem privatim recitari, at numquam communiter, etiam in functionibus extraliturgicis, aut in congregationibus vel sodaliciis quae conveniunt ianuis clausis aut absque ministri ecclesiae qua talis interventu. (Cfr. decr. 3555. 3916. 3980 et 3981).

I. PAUWELS, S. I.

---

324. — EX AUDIENTIA SANCTISSIMI

RESPONSA 19 IULII 1909

De numismatibus quae pro scapularibus gestari possunt

Beatissime Pater,

Orator, Albertus Misonne, procurator missionum Belgarum (Scheut), ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit quae sequuntur :

Memorata Pontificis Ultimo mense, certiorem feci Illum Vicarium Apostolicum Congi Belgici, Sanctitatem Vestram, pro sua benignitate erga Christi fideles, consuevisse sacra numismata benedicere ita ut locum teneant omnium scapularium, nec non munus dedisse uni ex suis praelatis benedicendi illa pretiosa numismata.

utilissima in africanis missionibus concessione, Haec benigna concessio praedicto Vicario Apostolico pergrata fuit, si quidem multum iuvabit in suo Vicariatu diffusionem scapularium, et digniorem reddet gestatum huius signi distinctivi Christianorum. (Nam scapularia ex panno confecta, post breve tempus, pulvere, oleo et sudore sordidi panniculi fiunt ; et si quidem super nuda pectora miserrimi nigritae illa gerere soleant, eo modo se christianos confitentes, insignis distinctio christianorum inter paganos non est nisi linteolum omnino indecorum.)

Sed prius quam introduceret illam, licet pergratam, innovationem, prudens visum est praedicto Vicario Apostolico, omni qua par est humilitate, mentem Sanctitatis Vestrae inquirere ; scilicet :

nomine Vicarii Apostolici Congi belgici proponit **dubia**

1° An grata erit Sanctitati Vestrae diffusio illorum numismatum, etiam in locis missionum ?

De diffusione et vi numismatum ;

2° An haec numismata locum tenent omnium scapularium, non tantum illorum quinque scapularium habitualiter inter se coniunctorum, sed etiam ceterorum, sicut scapulare SS. Cordis Iesu, etc. ?

de 1a impositione,

3° An pro prima impositione, non haec numismata sed, sicut antea, scapularia ex panno rite confecta adhibenda sunt ?

de iusta causa assumendi,

4° An solius munditiae vel commoditatis causa omnes fideles possunt illa numismata loco scapularium assumere quin unus quisque, cum animi anxietate, inquirat de propriis motivis ?

de ratione qua gestanda sunt.

5° An sufficit illa numismata non ad collum et super pellem, sed quovis modo apud se habitualiter gerere ?

Dies (19 iul. 1909).

Ex aedibus Vaticanis, die 19 iulii 1909.

Responsa.

Relatis, ut supra precibus, SSus Dnus respondere benigne dignatus est :

Ad 1um. Ad 1um, *affirmative.*

Ad 2um. Ad 2um, *affirmative.*

Ad 3um. Ad 3um, *affirmative.*

Ad 4um. Ad 4um, *affirmative.*

Ad 5um. Ad 5um, *affirmative.*

Ioannes Bressan.

ANNOTATIONES

1. Modo recitatum munificentiae pontificiae beneficium non solam affert pluribus fidelibus v. gr. nigritis, militibus, mulieribus multis, notabilem commoditatem, verum etiam rectam solidamque devotionem iuvare nobis videtur. Dum enim sic funditus mutat condiciones hactenus ad indulgentias et privilegia obtinenda requisitas, S. Pontifex docet veram exteriorum devotionum vim ex ecclesiastica approbatione et dispositione esse hauriendam, nec materiali cuipiam signo superstitiose esse iungendam ; et dum unum iam numisma pro omnibus scapuiaribus esse permittit, fideles onere levat multiplicandi « panniculos » dum pluribus piis confraternitatibus vel scapularibus nomen dare cupiunt. Qui multi « panniculi » singulare quidpiam, sine serio pietatis fructu, sapere videntur. Genuina itaque pietatis inculcatur ratio, et Vicarii Christi auctoritas commendatur.

2. De praescriptis porro condicionibus haec sunt tenenda.

a) In ipsa fidelium cooptatione seu receptione nulla facta est mutatio. Ut antea, singula scapularia, ex panno confecta, sunt induenda in ipsa scapularium impositione. Sed ex quo quis cooptatus est, pro omnibus et singulis scapularibus quibus nomen legitime dedit, habere potest *unicum* numisma in hunc finem benedictum. Quod numisma quodlibet pium esse potest, ita ut nulla specialis vel Christi vel Virginis vel Sancti effigies postuletur.

Haec dicta velimus etiam de omnium potissimo scapulari B. M. V. de Monte Carmelo ac de privilegio sabbatino.

b) Numisma istud ex collo supra vel infra vestes pendere non debet, sed satis est si illud quopiam modo habitualiter apud te geras. Satis ergo

erit si feras in crumena, vel coniunctum coronae. Nec requiri videtur ut ab habente habitualiter geratur, sed sufficit ut sit habitualiter *apud habentem*. Id est, si quis numisma huiusmodi in vestibus prope se depositis noctu servet, praescriptam legem impleverit. Quamquam suademus ut vel collo tunc imponat, vel modo magis aperto, v. gr. in mensa depositum, apud se teneat.

c) S. Pontifex non ipse solus hanc benedictionem largitur sed etiam paucis quibusdam sacerdotibus in Urbe atque etiam, ni fallimur, Praelato cuipiam extra Urbem facultatem istius largiendae benedictionis benigne fecit.

N. B. — Sed recentiora decreta de isto argumento consulenda sunt.

325. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSA 29 IUL. 1909

De quibusdam collegiis a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentibus ante constitutionem « Sapienti consilio »

ROMANA

Die 29 iulii 1909

Ex promulgata C. « Sapienti » dubia de quibusdam collegiis exorta

Postquam, vi Constitutionis *Sapienti consilio*, plures regiones, olim subiectae S. Congregationi de Propaganda Fide, subductae fuerunt ab eius iurisdictione, quaesitum est, quae esset condicio quorundam collegiorum Urbis, in quibus educabantur iuvenes ad praefatas regiones ut plurimum pertinentes, et quae hucusque speciali directioni et administrationi S. Congregationis de Propaganda suberant.

memorantur

Dubia hac de re, inter alia, proposita haec fuerunt : « IX. Utrum collegia Americae septemtrionalis, Hiberniae et Scotiae dependere pergant a Congregatione de Propaganda, et utrum eorundem alumni praestare teneantur iusiurandum praescriptum ab Urbano VIII, die 24 novembris 1625. — X. Utrum etiam alumni Americae septemtrionalis, Canadenses, Hiberni, qui ex iure fundationis instituuntur in collegio Urbano de Propaganda, emittere obstringantur posthac memoratum iuramentum ab Urbano VIII praescriptum, atque in forma et terminis deinceps statutis ab Alexandro VII per Bullam diei 20 Iulii 1660, pro cunctis collegii Urbani alumnis. — XI. Utrum praefectus Congregationis de Propaganda poterit adhuc concedere litteras dimissoriales ad sacros Ordines alumnis collegiorum Americae septemtrionalis, Hiberniae et Scotiae ; et an ac quomodo mutare oporteat titulum *missionis*. — XII. Utrum et qua ratione immutandus sit titulus *missionis* quod ad alumnos collegii Urbani de Propaganda, qui pertinent ad provincias ecclesiasticas et dioeceses a Congregatione de Propaganda avulsas. »

et responsa facta die 12 nov. 1908.

His dubiis S. Congregatio Consistorialis, iuxta mentem a SSmo D. N. acceptam, ita die 12 novembris 1908 respondit [1] : « Ad IX. Collegia Americae

[1] Cfr. PERIODICA nostra, n. **308**, t. 4, p. 316 ss. ubi, additis annotationibus, exscribuntur eiusdem S. C. Consistorialis responsa quae praesenti monumento perficiuntur.

septemtrionalis, Hiberniae et Scotiae posthac pendebunt a S. Congregatione Consistoriali. Iuramentum autem ab alumnis praestandum servetur, reformandum tamen erit iuxta novam statuendam formulam. — Ad X. *Affirmative*, formula vero reformata, consiliis initis cum Emo Cardinali Praefecto S. Congregationis de Propaganda. — Ad XI. Concessio litterarum dimissorialium ad sacros Ordines pertinebit ad hanc S. Congregationem quae, cum necessarium fuerit, immutabit titulum *missionis* in titulum *servitii Ecclesiae*. — Ad XII. Emus Cardinalis Praefectus Congregationis de Propaganda mutabit pro memoratis alumnis titulum *missionis* in titulum *servitii ecclesiae*. »

Nova proponuntur dubiorum capita de potestate Cardinalis Secretarii C. consistorialis, et de collegiis extra Urbem.

Verum, publicatis hisce resolutionibus, nova dubia oborta sunt. Sane Emus Praefectus S. Congregationis de Propaganda praefatis collegiis praeerat etiam qua eorum Protector, et qua talis alumnis litteras dimissorias ad Ordines aliasque dispensationes concedere consueverat, iuxta antiqua privilegia a Summis Pontificibus tributa Cardinalibus eorundem collegiorum Protectoribus. Quaesitum itaque est, utrum haec potestas transiret universa ad S. Congregationem Consistorialem et ad Cardinalem Secretarium.

Sed et alia extra Urbem in Europa et America aderant collegia seu seminaria, S. Congregrationi de Propaganda directe seu immediate subiecta, de quibus quoque dubium movebatur, utrum eidem Congregationi adhuc subesse deberent.

Quapropter S. Congregatio Consistorialis, ut in re satis complexa omnimodam lucem obtineret, Moderatores singulorum horum collegiorum interpellavit, ut quae essent eorum statuta, regulae et privilegia proferrent.

Hinc **Quaesita.**

Disceptationum puncta haec potissima erant ;

1. De dependentia a S. Congr. consistoriali,

1° a quanam S. Congregatione, et quomodo, haec collegia in posterum dependere deberent ; et cum vi Constitutionis *Sapienti consilio* S. Congregatio Consistorialis polleat alta directione et moderatione in universa seminaria locorum iuri communi subiectorum, utrum collegia, de quibus disceptabatur, subesse deberent S. Congregationi Consistoriali hoc lato sensu, an potius etiam strictiori, id est modo directo et immediato ;

2. De litteris dimissoriis ;

2° a quonam concedendae essent alumnis praefatorum collegiorum litterae dimissoriae ad Ordines ;

3. De titulo ;

3° quonam titulo iidem alumni ordinari deberent ;

4. De iuramento :

4° an adhuc ab eisdem iuramentum praestari deberet eodem modo ac hucusque ab eis S. Congregatio de Propaganda exigere consueverat.

Collegia de quibus dubia movebantur tria sunt in Urbe. Extra Urbem vero :

Collegia vere seu seminaria, de quibus dubia movebantur, praeter tria superius recensita, Hiberniae, Scotiae et Americae septemtrionalis in Urbe, haec insuper recensebantur :

a) Anglicum Urbis ;

a) Collegium Anglicum Urbis a Summo Pontifice Gregorio XIII anno 1579 institutum, et Cardinali Protectore donatum aliisque pluribus privilegiis ; cui anno 1898 ex institutione s. m. Leonis XIII, accessit collegium Beda pro Anglis alumnis nuper e protestantismo conversis.

b) Canadense Urbis ;

b) Collegium Canadense Urbis, coniunctum cum seminario S. Sulpicii civitatis Montisregalis in Canada, et ab iisdem Patribus S Sulpicii directum, quo conveniunt e Canada iuvenes sacerdotes aut saltem clerici in maioribus Ordinibus constituti, ut studia superiora perficiant.

c) Iosephinum in America ;

c) Collegium Iosephinum civitatis *Columbus* in America, a sacerdote Iosepho Iessing anno 1888 fundatum pro educatione iuvenum pauperum ad statum sacerdotalem optantium in foederatis statibus Americae septemtrionalis ; quod collegium a fundatore ipso, anno 1892, cessum fuit cum omnibus suis bonis S. Congregationi de Propaganda, et iuxta suas regulas sub omnimoda est directione et dependentia huius S. Congregationis.

d) Americanum Lovaniense ;

d) Collegium Americanum Lovanii, in Belgio, anno 1858 fundatum, ut « ex variis nationibus iuvenes praeparentur idonei, qui ministerium sacrum in provinciis foederatis Americae septemtrionalis, in provincia Victoriensi (Columbiae Britannicae) ac in dioecesibus Portus hispanici ac Rosensi, uti sacerdotes saeculares, sub III^morum Episcoporum regimine exerceant » Iuxta suas regulas, collegium hoc subest auctoritati E^mi Praefecti S. Congregationis de Propaganda et Commissionis Praesulum a Concilio Baltimorensi III institutae.

e) Anglicum Vallisoleti in Hispania ;

e) Collegium Angelicum Vallisoleti in Hispania, anno 1592 a Philippo II cum approbatione Clementis VIII erectum, et patribus Societatis Iesu tunc primum concreditum ; quod dein, sub Carolo III, novis statutis donatum, modo vocatur regium, et eius rector a rege Hispaniae ex propositione Episcoporum Angliae inter sacerdotes saeculares eligitur.

f) Scotense Vallisoleti ;

f) In iisdem fere condicionibus ac Anglicum habetur Vallisoleti aliud collegium pro Scotiae alumnis.

g) Anglicum Lisbonense ;

g) Collegium Anglicanum Lisbonense, quod regi dicitur iisdem regulis et privilegiis collegii Anglicani Urbis S. Sedi immediate subiectum est. Rector a Summo Pontifice eligitur ex propositione Episcoporum Angliae.

h) Hibernense, Parisiis ;

h) Collegium Hibernense, Parisiis, quod, institutum anno 1578, subest directioni sacerdotum Missionis, vulgo Lazaristae, quos Archiepiscopi Hiberniae eligunt inter religiosos ab eadem congregatione Missionis propositos.

i) Dublinense ;

i) Collegium Omnium Sanctorum, Dublini in Hibernia anno 1842 fundatum, ad sacerdotes instituendos et comparandos pro missionibus catholicis ubi lingua anglica praevalet. Dirigitur a sacerdotibus congregationis Missionis, sub directa dependentia S. Congregationis de Propaganda.

l) «Brignole Sale » Ianuae in Liguria ;

l) Denique in Liguria, Ianuae, adest collegium nuncupatum *Brignole-Sale*, curae sacerdotum congregationis Missionis commissum, cuius finis est *di favorire la vocazione di operai evangelici, destinati a predicare la religione cattolica presso gli infedeli o presso le nazioni eterodosse* [1] » Ex decreto autem S. Congregationis de Propaganda, diei 17 septembris 1908, in hoc collegio non admittuntur clerici, qui non sint destinati pro locis missionum.

Qua varia ratione concedebantur dimissoriae et dispensationes ad ordines ;

Quod ad sacram alumnorum ordinationem, recolendum est, in hisce collegiis non unam eandemque regulam dari. Nam in collegio Americano septemtrionali dimissorias concedere consueverat E^mus Card. Praefectus S. C. de Propaganda. Fertur autem eas concedere valuisse, non qua Praefectus sacrae istius Congregationis sed qua collegii Protector. Idem

[1] Id est latine : promovendi operariorum evangelicorum, qui infidelibus et haereticis gentibus Evangelium praedicent.

sentiendum quod ad collegium Hibernicum Urbis : idemque quod ad collegium Scotorum Urbis ; quod immo, ex Bulla suae fundationis, eadem obtinet privilegia, quod ad sacram alumnorum ordinationem, ac collegium Angelicum Urbis.

In hoc autem collegio, Cardinalis Protector valet alumnis dare dimissorias ad Ordines, iisdem indulgere ordinationem extra tempora, eosque, si opus sit, dispensare ab interstitiis, a natalium defectu, et a titulo sacrae ordinationis.

In collegio Iosephino *Columbus*, ex resolutione S. C. de Propaganda diei 2 Aprilis 1894, dimissorias alumnis concedit Delegatus Apostolicus, ea tamen lege, ut dimissoriae litterae ab eo dirigantur ad Episcopum Columbensem et eo absente, impedito aut nolente, ad alium.

In seminario Lovaniensi, rector ipse dimissorias concedit alumnis, vi indulti ad tempus a S. C. de Propaganda eidem dati. Et vi similis indulti eas concedit rector collegii Anglici Vallisoletani, et rector collegii Anglici Lisbonensis.

Alumni collegii Hibernici, Parisiis, dimissorias a suis Ordinariis petere debent : itemque alumni collegii Omnium Sanctorum Dublini.

et quo titulo alumni ordinabantur.

Quod ad titulum sacrae ordinationis, in praefatis collegiis, clerici consueverant ferme semper promoveri titulo *missionis*. Sed ex rerum mutatione, quae contigit die 2 novembris 1908, vi Constitutionis *Sapienti consilio*, hic titulus haud amplius adhiberi pro pluribus poterat. Quapropter, iuxta mentem a SS^mo^ D. N. acceptam, S. Congregatio Consistorialis, die 12 novembris eiusdem anni (ceu supra relatum est) declaravit, substituendum esse titulo *missionis* titulum *servitii ecclesiae*.

Paulo post vero, Delegato Apostolico pro statibus foederatis Americae septemtrionalis postulanti, quo titulo deinceps ordinari deberent clerici illius nationis, SS^mus^ D. per Secretariam Status in eundem sensum respondit.

Recentius, cum E^mus^ Hiberniae Primas, suo et aliorum Episcoporum nomine, regulam et ipse hac in re quaesivisset, de mandato SS^mi^ rem perpendit sacra haec Congregatio : quae, requisito voto R^mi^ P. Wernz, die 27 maii 1909, in plenario conventu censuit ita rescribendum esse quod et SS^mus^ D. probavit : « Pro gratia ad quinquennium, ut omnibus in singulis dioecesibus Hiberniae, clerici, quotiens alio canonico titulo careant, ad sacros maiores Ordines promoveri queant titulo *servitii ecclesiae*, hoc est *dioecesis*. Caveant autem singuli Archiepiscopi et Episcopi ut, qui ita promoti sunt, honestae sustentationis rationibus non careant, et ut ii, qui iuxta Constitutionem *Speculatores* et decreta S. Congregationis Concilii de excardinatione et sacra ordinatione, 20 iulii 1898 et 24 novembris 1906, ad iuramentum praestandum tenentur, huic obligationi, prout ibi praescriptum est, et non ultra, satisfaciant. »

Videndum itaque est, an et quomodo haec regula, quae quasi privilegium dici debet pro quibusdam collegiis et regionibus data, extendenda sit aliis collegiis, de quibus vertit quaestio.

Quae denique formula iuramenti.

Postremo res est de iuramento. Qua in re animadvertendum est, quod clerici ordinandi titulo missionis generatim adiguntur ad certam iurisiurandi formam praevie praestandam, quae, ex decreto S. C. de Propaganda, diei 27 aprilis 1871, ita est :

« Ego, N..., filius N..., doecesis N... (vel Vicariatus N...) spondeo et iuro, quod postquam ad sacros Ordines promotus fuero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem, sine speciali Sedis Apostolicae licentia aut S. Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

« Voveo pariter et iuro, quod in hac dioecesi aut Vicariatu (vel in missione cui S. Sedi vel S. Congregationi de Propaganda Fide me destinare placuerit) perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam, sub omnimoda directione et iurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii, pro salute animarum impendam ; quod etiam praestabo, si, cum praedictae Sedis Apostolicae licentia, religionem, societatem aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero. »

Sed est et aliud iuramentum speciale pro plerisque ex collegiis superius recensitis statutum, quod ab alumnis paulo post ab ingressu in piam domum debet emitti, et in casu sacrae ordinationis supplet iuramentum commune pro locis missionis mox memoratum. Hanc formulam primum statuit Urbanus VIII pro collegio de Propaganda, quod ipse instituit ; ampliavit Alexander VII, adiciendo vetitum ingrediendi in aliquod religiosum institutum sine S. Sedis venia ; declaravit S. C. de Propaganda, pluribus resolutionibus ad rem datis.

Formula autem haec est :

« Ego N...., filius N...., dioecesis N...., plenam habens instituti huius collegii notitiam, legibus et constitutionibus ipsius, quas iuxta Superiorum explicationem amplector, me sponte subicio, easque pro posse observare promitto.

« Insuper spondeo et iuro, quod, dum in hoc collegio permanebo, et postquam ab eo, quocumque modo, sive completis sive non completis studiis, exiero, nullam religionem, societatem aut congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia vel sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam.

« Spondeo pariter et iuro, quod, volente Sacra Congregatione de Propaganda Fide, statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros, etiam presbyteratus, Ordines, cum Superioribus visum fuerit, promovebor.

« Item voveo et iuro, quod, sive religionem ingressus fuero, sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno ; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status exercitii, et loci, ubi moram traxero, sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabo.

« Voveo praeterea et iuro, quod, iussu praedictae Congregationis de Propaganda Fide, sine mora in provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam pro salute animarum impendam : quod etiam praestabo, si, cum praedictae Sedis licentia, religionem, societatem, aut congregationem regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

« Denique voveo et iuro, me praedictum iuramentum eiusque obligationem intellegere et observaturum, iuxta declarationes a sacra Congregatione de Propaganda Fide, et Brevi apostolico roboratas sub die

20 iulii 1660. Itemque iuxta novissimam declarationem eiusdem sacrae Congregationis, die 12 maii anno 1834 editam.

« Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. »

Haec formula in usu est penes plura Urbis collegia, nempe penes collegia de Propaganda, Scotiae, Hiberniae, Americae septemtrionalis, Angliae (pro alumnis dumtaxat, exclusis scilicet convictoribus) et penes collegium Iosephinum civitatis *Columbus*. In collegio Anglico Lisbonensi, in usu est formula Urbani VIII, sine additamento Alexandri VII. In collegio Anglico Vallisoletano duae speciales formulae iurisiurandi vigent, quae ceteroquin in pluribus conveniunt cum superius recensitis. In seminario vero Lovaniensi aliisque nullum speciale iuramentum exigitur. Videndum itaque est, quid etiam de hac iuramenti praestatione sit decernendum.

Haec itaque dubia enodanda S. Congregationi proposita sunt :

Enodanda **dubia.**

I. Quomodo intellegenda sit dependentia a S. Congregatione Consistoriali trium Urbis collegiorum, nempe Americae septemtrionalis, Hiberniae et Scotiae, de qua in resolutione diei 12 novembris 1908 ad IX ; et quid idcirco statuendum sit quod ad designationem et attributiones Emi Cardinalis Protectoris in iisdem collegiis.

De dependentia et regimine, I. trium collegiorum Urbis ;

II. Utrum et qua ratione, post Constitutionem *Sapienti Consilio*, collegium anglicum de Urbe annexumque collegium Beda dependeant a S. Congregatione Consistoriali.

II. Collegii anglici et Beda, in Urbe,

III. Utrum et quomodo collegium Canadense de Urbe in posterum dependeat a S. Congregatione Consistoriali.

III. Canadensis,

IV. Quae statuenda sint circa collegium Iosephinum in civitate *Columbus* Americae septentrionalis.

IV. Iosephini,

V. Utrum collegium Americanum, Lovanii, post Constitutionem *Sapienti consilio*, dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide, an a S. Congregatione Consistoriali.

V. Americani Lovaniensis,

VI. Utrum et quae iura posthac exercere valeat S. Congregatio Consistorialis quod ad collegium Anglicum S. Albani Vallisoleti.

VI. Vallisoletani,

VII. Utrum et quomodo providendum sit collegio Anglico Lisbonensi.

VII. Anglici Lisbonensis,

VIII. Utrum et quomodo collegium Omnium Sanctorum, Dublini, adhuc dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

VIII. Dublinensis,

IX. Utrum et quomodo collegium Hibernicum, Parisiis, dependeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

IX. Parisiensis,

X. Utrum collegium Ianuense *Brignole-Sale* etiam nunc dependere debeat a S. Congregatione de Propaganda Fide.

X. Ianuensis,

XI. Ad quem spectet concedere litteras dimissorias ad sacros Ordines alumnis collegiorum Americae septemtrionalis, Hiberniae atque Scotiae de Urbe, nec non aliorum collegiorum quae superius recensita sunt.

XI. De litteris dimissoriis,

XII. Utrum et quinam titulus ad sacros Ordines, post Constitutionem *Sapienti consilio*, subrogandus sit titulo *missionis* quod ad alumnos collegiorum, de quibus supra.

XII. De titulo ordinationis,

XIII. Quid statuendum sit circa iuramentum ab alumnis eorundem collegiorum in ingressu in collegium praestandum.

XIII. De iuramento,

XIV. Utrum clerici statuum foederatorum Americae septemtrionalis, qui, vi peculiaris indulti, a Summo Pontifice per Secretariam Status die 2 ianuarii 1909 concessi, promoventur ad sacros Ordines titulo *servitii ecclesiae*, teneantur emittere iuramentum sese mancipandi servitio suae ecclesiae seu dioecesis.

XIV. Praecipue in America septemtrionali.

XV. De praecepta iuramenti reformatione.

XV. Qua ratione reformandum sit iuramentum quod ad eos alumnos collegii Urbani de Propaganda Fide, de quibus in resolutione S. Congregationis Consistorialis, die 12 novembris 1908 ad Xum data.

Responsa.

Emi Patres S. Congregationis Consistorialis, in plenario conventu diei 20 iulii 1909, omnibus sedulo perpensis, responderunt :

Ad. I. Ad I. Hanc dependentiam intellegendam esse de alta directione, quam S. Congregatio Consistorialis, vi Constitutionis *Sapienti consilio*, exercet in omnia seminaria et collegia iuri communi subiecta : et supplicandum SSmo, ut in uno quoque ex his collegiis Cardinalem Protectorem qui in Urbe resideat, designet, cum attributionibus prout in eorundem constitutionibus et regulis, salvis tamen semper iis qua in memorata Constitutione *Sapienti consilio* et inferius disponuntur.

Ad II. Ad II. *Affirmative*, in iisdem omnibus terminis ac in responsione ad Ium

Ad III. Ad III. Ad tramitem iuris communis, et quatenus opus sit.

Ad IV. Ad IV. Quod ad proprietatem et administrationem bonorum nihil innovandum : quod ad collegii directionem, disciplinam, aliaque, rem spectare ad S. Congregationem Consistorialem.

Ad V. Ad V. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam, salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda Fide quod ad alumnos dioecesum, quae adhuc eidem subsunt.

Ad VI. Ad VI. *Affirmative*, et S. Congregationem Consistorialem succedere debere in iuribus, quae hucusque a S Congregatione de Propaganda Fide exercebantur.

Ad VII. Ad VII. Firma dependentia eiusdem collegii a S. Sede, providendum quoad modum iuxta mentem.

Ad VIII. Ad VIII. *Negative*, surrogata S. Congregatione Consistoriali in iuribus quae hucusque in dictum collegium exercebat S. Congregatio de Propaganda Fide, et salvis iuribus S. Congregationis de Propaganda quod ad alumnos dioecesum, quae eidem subsunt.

Ad IX. Ad IX. Dilata.

Ad X. Ad X. *Affirmative*.

Ad XI. Ad XI. Litteras dimissorias concedendas esse a Cardinali Protectore, ubi adest : ubi vero deest, ab iis qui hoc privilegium legitime obtinuerunt ; ea tamen lege ut, si non agatur de privilegio perpetuo, indulti prorogatio sacrae Congregationi Consistoriali reservata maneat. Rectores autem collegiorum (quisquis sit, qui dimissorias litteras concedat) teneri in antecessum in singulis casibus Ordinarium proprium candidati interpellare, semel pro Ordinibus minoribus, et denuo semel pro Ordinibus maioribus, nempe pro sacro subdiaconatus Ordine, an aliquid alumni ordinationi obstet.

Ad XII. Ad XII. *Affirmative*, et subrogandum esse titulum *servitii ecclesiae* titulo *missionis*, quotiens alius canonicus titulus desit, servatis de iure servandis, prout in rescripto S. H. C. pro Hiberniae, diei 27 mai 1909 ; salvo titulo *missionis* pro alumnis, qui a S. Congregatione de Propaganda dependent.

Ad XIII. Ad XIII. Conservandum esse iuramentum ab Urbano VIII praescriptum cum clausula adiecta ab Alexandro VII, in iis collegiis et pro iis alumnis qui hucusque illud praestare tenebantur, reformatum tamen iuxta annexam

formulam [1]. In collegio Anglico Lisbonensi iuramentum conservandum esse cum formula hactenus praescripta Quod ad collegium Americanum Lovaniense, ubi iuramentum non erat in usu, in posterum alumnos non dependentes a S. C. de Propaganda teneri in scriptis promittere, se fideliter inservituros esse propriae dioecesi, quae promissio in archivio collegii conservanda erit.

Ad XIV.

Ad XIV. *Negative*, nisi ad id adigantur in casibus a iure communi praescriptis ; facta tamen obligatione alumnis qui gratuito in bonum dioecesis aluntur, promissionem scriptam emittendi, sese fideliter inservituros esse propriae dioecesi.

Ad XV.

Ad XV. Iuramentum reformandum esse iuxta superius indicatam formulam in responsione ad XIII, salvo iure S. Congregationis de Propaganda Fide, emendandi, si et quatenus necessarium ducat, formulam iuramenti pro alumnis locorum suae iurisdictionis.

Confirmatio SSmi et dies (6 aug. 1909).

Facta vero de his omnibus SSmo relatione in audientia diei 6 augusti insequentis, Sanctitas Sua resolutiones et vota Emorum Patrum confirmare et approbare dignata est.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

---

1 Iurisiurandi Formula

Ego, N., e dioecesi N., plenam habens instituti huius collegii notitiam, ipsius leges et consuetudines, prout a moderatoribus explicatae sunt, libenter amplector, iisdem me sponte subicio, easque pro viribus me observaturum polliceor.

Praeterea spondeo et iuro, me, quam diu hoc in collegio commorabor, et postquam, sive studiis expletis, sive secus, quavis de causa, inde discessero, nulli religiosae familiae aut societati vel congregationi regulari nomen daturum, nec in earum ulla professionem emissurum, sine speciali Apostolicae Sedis licentia.

Item spondeo et iuro, me, Superioribus approbantibus, statum ecclesiasticum amplexurum, ad omnesque sacros Ordines, etiam presbyteratus, cum Praepositis meis visum fuerit ascensurum.

Voveo denique ac iuro, me, nulla interiecta mora, in dioecesim reversurum, ut ibi perpetuo divinis ministeriis vacem operamque meam omnem pro christiani populi salute impendam.

Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia.

SUMMA SUPPLEMENTORUM ET QUAESITORUM VARIORUM

I. Supplementa

Pagina

SUPPLEMENTUM TERTIUM DECIMUM. Ritus sacri religiosorum ab editis decretis authenticis (1900)
IX. Patronus loci, regni, provinciae, dioecesis
Annotationes (continuantur) 140
X. De ordine praecellentiae officiorum 143
Annotatio 144
XI. De officiis quae accidentaliter impedita transferri non possunt. 145
XII. De officiis concessis certae Feriae vel Dominicae affixis quod ad privilegium translationis, assignationis et mutationem . . . 145
Annotatio 146
Appendix ad n. XII. 202
XIII. De officio reponendo cum novum officium a S. Sede statuitur vel conceditur in die impedita alio officio, ac de mutationibus spectantibus ad officium festi particularis quod generale fiat. . 204
Annotationes 204

II. Quaesita varia

I. De electionibus capitularibus 129
II. De condicione sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium 130
III. De obligatione Missae conventualis pro Regularibus 137
IV. De indulgentiis Portiunculae. 138
V. De invalida Superioris electione 139
VI. De domicilio Regularium 189
A. De domicilii condicionibus 190
B. De corollariis. 192
VII. De Missarum eleemosynis 195
VIII. De bonorum religiosorum possessione et administratione . . 197
IX. De discessu religiosi, nondum invento Episcopo receptore . . 197
X. 1. De noviciatus interruptione 198
2. De professione perpetua in Instituto votorum simplicium . . 323
3. De revocata discedendi voluntate 324
4. De dissimulatione in cooptatione 325
5. De ecclesiasticis religiosorum bonis 326
6. De redituum dispositione post simplicem votorum professionem. 330
7. De C. **Sapienti Consilio**. 332
8. De competentia S. Congregationis religiosorum. 332

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

Leonis XIII

Leonis XIII Indultum 12 iun. 1899. De officii divini et Missae anticipatione. 185
Annotatio. 185

SS. D. N. Pii PP. X

Breve 14 sept. 1903. Privilegia archisodalicii a nocturna SS^mi adoratione. 70
Breve 30 iul. 1906. Indulgentia Portiunculae Congr. SS^mi Sacramenti conceditur 126
Annotationes 126
Oratio S. Pontificis ad creatos Cardinales, 17 april. 1907 . . . 38
Notae canonicae 49
Indultum 2 nov. 1906, de Coronis Viae Crucis 208
Litterae SS. D. N. Pii Pp. X, 6 maii 1907. Ad institutum cathol. Parisiense 42
Notae canonicae 49
Litterae encyclicae **Pascendi**, 8 sept. 1907. De Modernistarum doctrinis 1
Notae canonicae 49
Motu proprio, 17 sept. 1907. Reformatio coenobii Fratrum Minorum 154
Motu proprio SS. D. N. Pii Pp. X, **Praestantia**, 18 nov. 1907, de commissione biblica, et de censuris in eos qui praescripta adversus Modernistas neglegunt. 46
Notae canonicae 49
Indultum 1 dec. 1907, de Coronis Viae Crucis. 208
Litterae 3 dec. 1907, ad Primatem O. S. B. de nova editione Vulgatae. 209
Allocutio SS. D. N. Pii Pp. X in Consistorio, 19 dec. 1907 . . . 48
Notae canonicae 49
Indultum 4 ian. 1908, de receptione militum in Confratern. Scapularis B. M. V. 295
Annotationes 296
Declarationes et concessiones de sollemni celebratione mensis SS. Cordis Iesu, 26 ian. 1908 169
Annotationes. 170
Breve 1 febr. 1908, cooperatoribus operis Propagandae Fidei privilegium Crucigerorum indulgens 185
Annotationes. 186
Constitutio **Sapienti Consilio**, 29 ian. 1908 et annexae ordinationes.
A. Constitutio **Sapienti Consilio** 222
B. Annexae ordinationes. 231

I. Lex propria Sacrae Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae 231
II. Ordo servandus in S. Congr. Tribunalibus, Officiis Rom. Curiae 244
Annotationes. 253
Indultum 26 febr. 1908. De triduana supplicatione pro communione cotidiana 178
Indultum 30 mart. 1908, de receptione militum in confratern. scapularis B. M. V. 296
Annotationes 296
Indultum 15 sept. 1908 concedens Eucharistico foederi sacerdotali benedictionem coronarum Crucigerorum 288
Decretum 29 sept. 1908. Ordo servandus in Romana Curia. Pars. altera. Normae peculiares 298
Constitutio **Promulgandi** 29 sept. 1908, de promulgatione legum et evulgatione actorum S. Sedis 288
Annotationes. 290
Litterae 8 nov. 1908, de constituendo collegio ad usum FF. Praedicatorum variarum gentium. 339
Responsa 19 iul. 1909, de numismatibus quae pro scapularibus gestari possunt 348
Annotationes. 349

S. Congregationis Concilii

Decretum specialiter confirmatum 2 aug. 1907. De Sponsalibus et Matrimonio. 71
Commentarii 75
Responsa ex audientia SS^mi 9 sept. 1907. De eleemosynis missarum quae ad Orientales mittantur 152
Annotationes. 153
Declarationes 1 febr. et 28 mart. 1908. De forma sponsalium et matrimonii post decretum **Ne temere**. Romana et aliorum. 171
Annotationes 174
Indultum 28 martii 1908. De forma bannorum. 177
Resolutiones 27 iul. 1908, de nova forma sponsalium et matrimonii. 269
Annotationes. 270
Sententia 27 febr. 1909, de iure praecedentiae inter Vicarios Apostolicos 345

S. Congr. Consistorialis

Decretum pontificium 15 aug. 1907. Abbatiam Nullius erigens in Brasilia. 291
Responsum 12 nov. 1908, de competentia S. C. de Propaganda Fide 316
Annotationes. 318
Responsum 7 ian. 1909, de competentia S. C. de Propaganda Fide 317
Annotationes. 318
Responsum 28-29 ian. 1909, de modo quo causa nondum iudicata sit Sacrae Rotae committenda 299
Responsum 27 febr. 1909, de Congregatione ad quam pertineat dispensare ab irregularitate vel a titulo S. Ordinationis. . . 346
Annotationes. 346
Responsa 29 iul. 1909, de quibusdam collegiis a S. Congr. de

Propaganda Fide dependentibus ante constitutionem **Sapienti consilio** 350

S. Congr. Episcoporum et Regularium. *(Cfr. etiam C. Religiosorum)*

Iudicium 17 aprilis 1907. Pinerolien-Exemptionis 273
Annotationes. 274
Gratia 20 ian. 1908. Sanatio noviciatus ob non delatum habitum. — Congr. SS. Cordium (de Picpus). 167
Annotatio 167
Decretum 3 febr. 1908, approbans Institutum Namurcense famularum seu victimarum SS^mi Cordis Iesu 322
Decretum 3-14 febr. 1908. Approbantur Constitutiones Instituti sororum 3^i Ordinis S. Dominici a S. Catherina Senensi e Novana 322
Responsum 14 mart. 1908. De admissione ad primam communionem in Ordine religioso 180
Annotatio 181
Decretum 24 mart. 1908, quo approbatur Institutum Sororum a divino Amore. 322
Litterae 30 mart. 1908. De sacerdotibus ex Italia meridionali Neapolim migrantibus 184
Decretum 11 maii 1908. Laudatur et commendatur Institutum 3^i Ordinis Carmelitarum a S. Ioseph nuncupatum 322
Responsum, ex audientia SS^mi 21 iun. 1908, concedens usum Cappae magnae Abbati generali Cisterciensium 296
Decretum 2-8 oct. 1908. Approbantur ad septennium Constitutiones Instituti Canonicorum Regularium Immaculatae Conceptionis. 322

S. Congregationis Indicis

Litterae 29 april. 1907, de Periodico « Il Rinnovamente » . . . 40
Annotatio 49
Sententia de duobus libris e « Sex series » 18 ian. 1908 165
Annotationes. 166

S. Congreg. Indulgentiarum et SS. Reliquiarum

Decretum 18 sept. 1903. Indulgentiae Tertii Ordinis Carmel. . 261
Indultum ex audientia SS^mi 27 feb. 1907. De modo peragendi Viam Crucis in eccl. C. SS. Sacramenti 337
Annotationes 338
Decretum 31 iul. 1907. Indulgentiae (cum appendicibus) Ordinis B. V. Mariae de Monte Carmelo. 59
Rescriptum ex audientia SS^mi 26 iun. 1907. Usus binarum gratiarum conceditur ecclesiis quas Fratres Minores in Hollandia administrant 150
Indultum ex aud. SS^mi 28 aug. 1907, definiens utile tempus confitendi ad lucrandas indulgentias in fine missionis 152
Indultum 22 ian. 1908, de sacerdotali associatione reparationis . 210
Indultum ex aud. SS^mi 13 febr. 1908. De scapulari SS. Cordis et missionariis SS Cordis 177
Decretum generale ex aud. SS^mi 11 mart, 1908. Tempus utile confitendi pro indulgentiis 179
Annotatio 180
Decretum 8 aprilis 1908, concedens Episcopis facultatem statuendi tempus triduanis supplicationibus pro frequentiore communione 215

Decretum 15 maii 1908. Indulgentiae et Privilegia Congr. Presbyterorum a SS. Sacramento 277
Annotationes. 280
Decretum 15 maii 1908. Summarium indulg. et Privilegiorum assoc. sacerdotalis pro adoratione SS. Sacramenti 279
Annotationes. 280
Decretum 4 iul. 1908. Indulgentiae Confratern. Scapul. . . . 261
Indultum ex audientia SS^mi 8 iul. 1908. De recitatione rosarii per singulas decadas 285

S. Congreg. S. Officii (Rom. et Univ. Inquisitionis)

Instructio **Recentissimo**, 28 aug. 1907. 43
Declaratio, ex audientia SS^mi 26 nov. 1908. Vis Motus Proprii 1 aug. 1907, de missis in nocte natalicia D^ni. 311
Annotationes. 312
Indultum ex audientia SS^mi 14 ian. 1909, generalem concedens commutationem visitandae ecclesiae iis qui vitam communem agunt. 320
Annotatio 320

Sacrae Paenitentiariae

Responsa 20 maii 1908. Civiles usurpationes in Gallia. Censurae et paenae 219
Annotationes. 220
Responsa 5 aug. 1907. Civiles usurpationes in Gallia. Censurae et poenae 210
Annotationes. 220

S. Congreg. de Propaganda fide

Litterae 3 maii 1907. Instituto dioecesano titulum ordinationis concedentes 148
Annotationes. 148
Rescriptum 23 aug. 1907. De praecedentia Missionariorum . . 151
Litterae 29 febr. 1908, differentes pro Sinis obligationem decreti **Ne temere** 173
Annotationes. 174
Litterae 30 april. 1908. Responsa S. Officii de matrimonio infidelium et privilegio Paulino 181
Annotatio 185
Instructio 15 iul. 1908, de transmissione Missarum ad Orientales. 267
Annotationes. 268

S. Congreg. Religiosorum

Decretum **De eleemosynis** 21 nov. 1908. Normae de quaestuatione a viris religiosis exercenda 307
Annotationes. 310
Responsum ex aud. SS^mi 19 ian. 1909, de exploranda monialium voluntate ante sollemnem professionem 341
Annotationes 342

S. Congreg. Rituum

Rescriptum 26 mart. 1897 de translatione commemorationis et de usu missalis 206
Annotationes. 207
Rescriptum 15 maii 1903, de translatione commemorationis et de usu missalis 206
Annotationes. 207

Rescriptum 31 maii 1907, negans breviarii mutationem Ordini Cisterciensi 70
Decretum 7 aug. 1907, de editione typica Gradualis 215
Responsum 8 nov. 1907. De lumine coram SS^mo 160
Decretum iussu SS^mi editum 13 nov. 1907. Festum Apparitionis B. M. V. ad universam ecclesiam extenditur 124
Annotatio 125
Responsum 22 nov. 1907. De luce electrica et de cantu mulierum in ecclesia 162
Annotationes. 163
Decretum 27 nov. 1907. Additio in Breviario 125
Decretum 8 ian. 1908, super festo SS. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V. 164
Annotatio 164
Responsum 17 ian. 1908. De luce electrica et de cantu mulierum in ecclesia 162
Annotationes. 163
Responsum 24 ian. 1908. De symbolo infra octavam Patroni principalis. Ord FF. Min. Prov. German. Inferioris 167
Responsa 24 ian. 1908. De ornatu altaris, cantu « Tantum ergo », habitaculo supra SS. Eucharistiae Sacramentum 168
Annotatio 169
Decretum 11 mart. 1908, inducens variationes in martyrologio pro 11 et 12 febr. 213
Responsum 14 mart. 1908, de praeferentia in festorum translatione 212
Responsum 28 mart. 1908, de cantu pro defunctis post privatam Missam 212
Annotatio 213
Decretum 8 aprilis 1908, inducens variationes in breviario pro 11 et 12 febr. 213
Decretum 8 aprilis 1908, de editione typica Gradualis 216
Decretum 13 maii 1908, elevans festum VII Dolorum 217
Responsum 5 iun. 1908, de officiis votivis per annum 220
Annotatio 220
Responsum 5 iun. 1908, de ordine commemorationum in concursu 221
Annotationes. 221
Responsa 19 iun. 1908, de sacellis et altaribus in coemeteriis . . 282
Annotatio 282
Decretum 8 iul. 1908, de reformandis tabellis vel rubricis . . . 283
Annotatio 284
Indultum 11 iul. 1908, de usu ritus monastici pro sacerdotibus externis in ordine S. Benedicti 286
Decretum pontificium 22 iul. 1908, de mutandis lectionibus S. Bonaventurae. 286
Indultum ex audientia SS^mi 9 sept. 1908. Addenda in martyrologio 298
Responsum 6 nov. 1908, de ordine standi vel genuflectendi coram SS^mo exposito. 304
Annotatio 305
Responsa 6 nov. et 13 nov. 1908, de altare consecrando 305
Annotatio 306
Responsa 13 nov. 1908, de instrumentis in ecclesia. 306
Indultum ex audientia SS^mi, 13 nov. 1907, de missa votiva de S. Familia, in eccl. Nazarethana S. Ioseph 294
Indultum ex audientia SS^mi, 13 nov. 1908, de missa votiva de mysteriis Viae dolorosae in oratoriis Hieresolymitanis . . . 295

Responsum 27 nov. 1908, de lampade coram SS^mo 313
Annotatio 313
Instructio 27 nov. 1908, de editione cantus officiorum propriorum 314
Decretum **Instaurato** ex aud. SS^mi, 9 dec. 1908, quo Congr. peculiaris instituitur pro minoribus causis servorum Dei . . 314
Responsum 18 dec. 1908, de cantu mulierum in ecclesia. . . . 315
Annotatio 315
Responsum 22 ian. 1909, de qualitate Priorum apud Camaldulenses. 320
Responsum 22 ian. 1909, de responsoriis et evangeliis officii et missae votivae Beatae M. V. 321
Annotatio 322
Responsum 19 feb. 1909, de pyxidis purificatione 344
Annotationes. 345
Decretum 18 mart. 1909, de approbatione Litaniarum S. Ioseph. 347
Annotatio. 350

S. Congr. de Sacramentis

Indultum ex audientia SS^mi, 27 febr. 1909, de matrimoniis mixtis in Hungaria 345

S. Congreg. Studiorum

Litterae 1 iul. 1908, de utenda lingua latina in seminariis . . . 297

E Secretaria Status

Litterae 24 sept. et facultates ex aud. SS^mi 24 sept. 1907, de bonis ecclesiasticis in Gallia usurpatis 155
Litterae 2 oct. 1907, ad Episcopos Galliae, de modo quo Universitates civiles sint a clero frequentandae. 159
Epistula 10 oct. 1907, de praeferenda pro clero Universitate catholica 44
Litterae 5 nov. 1907, ad Episcopos Galliae, de modo quo Univertates Civiles sint a clero frequentandae 159
Litterae 30 sept. 1908, ad Galliae metropolitas, ne clerici Universitates civiles frequentent 338

E^mi Cardinalis Vicarii Urbis

Proscriptio 29 oct. 1907 libelli *Il programma dei Modernisti* . . . 45
Notae canonicae 53

Nuntiatura Apostolica Viennensis

Litterae 21 ian. 1909, ad Archiep. Seraien., ne regulares eligantur deputati Parlamenti Bosniae. 343
Annotatio. 343

MONUMENTORUM
INDEX CHRONOLOGICUS

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1897	26 mart.	Rescriptum	S. C. Rituum	206	**266**, A.
1899	12 iun.	Indultum	Leo Pp. XIII	185	**264**
1903	15 maii	Rescriptum	S. C. Rituum	206	**266**, B.
»	14 sept.	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	70	**233**
»	18 »	Decretum	S. C. Ind. et SS. Reliq.	261	**280**, A.
1906	30 iul.	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	126	**236**
»	2 nov.	Rescriptum	Ex Aud. SS^{mi}	208	**267**, A.
1907	27 feb.	Indultum	S. C. Ind. et SS. Rel. ex aud. SS^{mi}	337	**313**
»	17 april.	Iudicium	S. C. Episc. et Reg.	273	**283**
»	17 »	Oratio	SS. D. N. Pius Pp. X	38	**229**, A.
»	29 »	Litterae	S. C. Indicis	40	**229**, B.
»	3 maii	Litterae	S. C. de Prop. Fide	148	**237**
»	6 »	»	SS. D. N. Pius Pp. X	42	**229**, C.
»	31 »	Rescriptum	S. C. Rituum	70	**232**
»	12 iun.	»	S. C. Ind. et SS. Rel.	149	**238**
»	26 »	Indultum	» »	150	**239**
»	31 iul.	Decretum	» »	59	**231**
»	2 aug.	»	S. C. Concilii	71	**234**
»	5 »	Responsa	S. Paenitent.	218	**276**, A.
»	7 »	Decretum	S. C. Rituum	215	**274**, A.
»	15 »	»	S. C. Consistorialis	291	**292**
»	23 »	Rescriptum	S. C. de Prop. Fide	151	**240**
»	28 »	Instructio	S. C. Rom. et Un. Inq.	43	**229**, E.
»	28 »	Indultum	S. C. Ind. et SS. Reliq.	152	**241**
»	8 sept.	Litt. Encycl.	SS. D. N. Pius Pp. X	1	**228**
»	9 »	Responsa	S. C. Concilii	152	**242**
»	17 »	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	154	**243**
»	21 »	Facultates	Ex Aud. SS^{mi}	155	**244**
»	24 »	Litterae	E Secretaria Status	155	**244**
»	2 oct.	»	» »	159	**245**, I.
»	10 »	»	» »	44	**230**, A.
»	29 »	Proscriptio	Em^{i} Card. Vicarii	45	**230**, B.
»	5 nov.	Litterae	E Secretaria Status	159	**245**, 2.
»	8 »	Responsum	S. C. Rituum	160	**246**
»	13 »	Indulta	» »	294	**293**
»	13 »	Decretum	» »	124	**235**
»	18 »	Motus Proprius	SS. D. N. Pius Pp. X	46	**230**, C.
»	20 »	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	161	**247**, A.
»	22 »	Responsum	S. C. Rituum	162	**248**, A.
»	27 »	Decretum	» »	125	**235**
»	1 dec.	Indultum	Ex Aud. SS^{mi}	208	**267**, B.

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1907	3 dec.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	209	**268**
»	7 »	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	161	**247**, B.
»	16 »	Allocutio	SS. D. N. Pius Pp. X	48	**230**, D.
1908	4 ian.	Indultum	» »	295	**294**, A.
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	164	**249**
»	17 »	Responsum	» »	162	**248**, B.
»	18 »	Litterae	S. C. Indicis	165	**250**
»	20 »	Gratia	S. C. Episc. et Regul.	167	**251**
»	22 »	Indultum	S. C. Ind. et SS. Rel.	210	**269**
»	24 »	Responsum	S. C. Rituum	167	**252**
»	24 »	Responsa	» »	168	**253**
»	26 »	Declarationes	Ex aud. SSmi	169	**254**
»	28 »	Responsum	S. C. Consistorialis	299	**298**
»	1 febr.	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	185	**265**
»	1 »	Declarationes	S C. Concilii	171	**255**, A.
»	3 »	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	322	**312**
»	13 »	Indultum	S. C. Ind. et SS. Reliq.	177	**258**
»	14 »	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	322	**312**
»	26 »	Indultum	Ex aud. SSmi	178	**259**
»	29 »	Litterae	S. C. de Prop. Fide	173	**256**
»	11 mart.	Decretum	S. C. Ind. et SS. Reliq.	179	**260**
»	11 »	»	S. C. Rituum	213	**272**, A.
»	14 »	Responsum	S. C. Episc. et Regul.	180	**261**
»	14 »	»	S. C. Rituum	212	**270**
»	24 »	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	322	**312**
»	28 »	Declarationes	S. C. Concilii	172	**255**, B.
»	28 »	Responsum	S. C. Rituum	212	**271**
»	28 »	Indultum	» »	177	**257**
»	30 »	Litterae	» »	184	**263**
»	30 »	Indultum	SS. D. N. Pius Pp. X	296	**294**, B.
»	8 april.	Decretum	S. C. Rituum	213	**272**, B.
»	8 »	»	» »	216	**274**, B.
»	8 »	»	S. C. Ind. et SS. Reliq.	215	**273**
»	30 »	Litterae	S. C. de Prop. Fide	181	**262**
»	11 maii	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	322	**312**
»	13 »	»	S. C. Rituum	217	**275**
»	15 »	Decreta	S. C. Ind. et SS. Reliq.	277	**284**
»	20 »	Responsa	S. Paenit.	219	**276**, B.
»	5 iun.	Responsum	S. C. Rituum	220	**277**
»	5 »	»	» »	221	**278**
»	19 »	Responsa	» »	282	**285**
»	21 »	Responsum	S. C. Episc. et Regul.	296	**295**
»	29 »	Constitutio	SS. D. N. Pius Pp. X	222	**279**, A.
»	29 »	Ordinationes	De mandato SSmi	231	**279**, B.
»	1 iul.	Litterae	S. C. Studiorum	297	**296**
»	4 »	Decretum	S. C. Ind. et SS. Reliq.	265	**280**, B.
»	8 »	»	S. C. Rituum	283	**286**
»	8 »	Indultum	S. C. Ind. et SS. Reliq.	285	**287**
»	11 »	»	S. C. Rituum	286	**288**
»	15 »	Instructio	S. C. de Prop. Fide	267	**281**
»	22 »	Decretum	S. C. Rituum	286	**289**
»	27 »	Resolutiones	S. C. Concilii	269	**282**
»	9 sept.	Indultum	S. C. Rituum	298	**297**
»	15 »	»	SS. D. N. Pius Pp. X	288	**290**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1908	29 sept.	Constitutio	SS. D. N. Pius Pp. X	288	**291**
»	29 »	Decretum	» »	298	**298**
»	30 »	Litterae	E Secretaria Status	338	**314**
»	9 oct.	Decretum	S. C. Episc. et Regul.	322	**312**
»	6 nov.	Responsum	S. C. Rituum	304	**299**
»	6 »	»	» »	305	**300**, A.
»	8 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	339	**315**
»	12 »	Responsum	S. C. Consistorialis	316	**308**, A.
»	13 »	»	S. C. Rituum	306	**300**, B.
»	13 »	»	» »	306	**301**
»	21 »	Decretum	S. C. Religiosorum	307	**302**
»	26 »	Declaratio	S. C. Concilii	311	**303**
»	27 »	Responsum	S. C. Rituum	313	**304**
»	27 »	Instructio	» »	314	**305**
»	9 dec.	Decretum	» »	314	**306**
»	18 »	Responsum	» »	315	**307**
1909	7 ian.	»	S. C. Consistor.	317	**308**, B.
»	14 »	Indultum	S. C. Officii	320	**309**
»	16 »	Litterae	S. Paenitent.	339	**316**
»	19 »	Responsum	S. C. Religios. ex aud. SSmi	341	**317**
»	21 »	Litterae	Nunt. Apost. Viennensis	343	**318**
»	22 »	Responsum	S. C. Rituum	320	**310**
»	22 »	»	» »	321	**311**
»	19 feb.	»	» »	344	**319**
»	27 »	Sententia	S. C. Concilii	345	**320**
»	27 »	Indultum	S. C. de Sacram. ex aud. SSmi	345	**321**
»	27 »	Responsum	S. C. Consistorialis	346	**322**
»	18 mart.	Decretum	S. C. Rituum	347	**323**
»	19 iul.	Responsa	SS. D. N. Pii Pp. X	348	**324**
»	29 iul.	»	S. C. Consistorialis	350	**325**

INDEX ONOMASTICUS

Numeri indicant seriem paginarum

A. Carpo. De translatione officiorum, 203.

Acta S. Sedis, De sponsalibus clandestinis, 79. 81. 84*.

Decreti **Ne temere** praeparatio, 80. 81.

De matrimonio, 75*. 76*. 78.

De valide assistentibus, 92*. 94*. 95*. 96*.

De menstrua commoratione, 101*.

De delegatione parochi, 106*.

De revalidatione matrimonii, 120.

De indulgentiis Portiunculae, 138.

De praecellentia festorum, 144.

Adoni. De obligatione missae conventualis pro regularibus, 137.

Aichner, Ill. D. De loco matrimonii, 103*.

Albitius, Card. De inconstantia in fide, 117.

Alexander III. De sacerdote professo qui civiles consummavit nuptias, 132.

Alexander IV. C. **In eminonti**, de modo expediendi bullas « de Camera » 332.

Alexander VII. Br. *Cum circa*, 20 iul. 1660, de iure iurando imposito alumnis collegiorum Americae septemtrionalis, Scotiae et Hiberniae, 319*.

Alphonsus S. De sacerdote professo qui civiles consummavit nuptias, 131. 135. 136.

De promulgatione legum S. Sedis, 290.

Ami du Clergé, de noviciatus interruptione, 198. 199.

Analecta Ecclesiastica, De sponsalibus clandestinis, 79.

De menstrua commoratione, 101*.

De delegatione parochi, 106*.

De usu telegrammatis aut telephonii in petenda facultate, 108.

Annibale Card. **d'**. De valide assistentibus matrimoniis, 93.

De principiis multiplicationis pro excommunicatione, 130*.

De condicione sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium, 132. 133. 134. 136.

De ecclesiasticis religiosorum bonis, 327.

Anthemius (Imperator) De ecclesiasticis (religiosorum) bonis, 326.

Appeltern, Victorius **van**, F. M. C. de officiorum translatione, 202. 203.

Aubry. De testamento privato, 271.

Augustinus S. De mendacio officioso, 23.

Baesten, S. I. De Sancto Ioseph, patrono Belgii. Defendit titulum S., 141*.

Ballerini, S. I. De excusatione a forma Trid. matrimonii, 273.

Bangen, R. D. De Romana Curia, 322.

Bauduin, R. D. De obligatione missae conventualis pro regularibus, 138.

Benedictus XIV. De quasi-domicilio, 76.

Eius declaratio de matrimonio, 77. 119.
De sponsalibus, 79.
De immunitate Orientalium a lege disciplinari, 117*.
De indulgentiis Portiunculae, 138.
Const. *Impositi nobis*, 26 febr. 1747, de domicilio Regularium, 193. 194.
Const. *Quanta curarum*, 15 nov. 1751 de Congr. Reverendae Fabricae S. Petri, 230.
De indulgentiis, 302.

Besson, S. I. De clandestinis matrimoniis, 81*. 82. 83. 84. 85.
De iurisdictione pro matrimoniis, 89.
De valide assistentibus, 91. 96.
De transmissione Missarum ad Orientales Ecclesias, 268.

Bonacina, Ill. D. De principiis multiplicationis pro excommunicatione, 130*.

Bonifatius VIII. De procuratore in matrimoniis, 86. De Cancellaria Apostolica, 258.

Boudinhon, R. D. De sponsalibus, 84.
De statu libero contrahentium, 113.
De exemptione Monialium, 274.
De receptione militum in Confratern. Scapularis, 296.

Bouix, R. D. De ecclesiasticis religiosorum bonis, 327.

Canoniste Contemporain. De quasidomicilio, 76*.
De sponsalibus, 84*.
De indulgentiis Portionculae, 138.
De exemptione Monialium, 274.
De receptione militum in Confratern. Scapularis, 296.
De ecclesiasticis bonis, 327.

Caprara, Card. De modo quo patroni dioecesani sint a Religiosis colendi, 140.

Carolus IV. Eius ordinatio de sponsalibus, 75.

Cavalieri, R. D. De obligatione missae conventualis pro regularibus, 137.

Clemens VII, Const. *Ex clementi*, 12 aug. 1530, de privilegio sabbatino, 266.

Clemens VIII. De domicilio Regularium, 193.

Clemens IX. C. *In ipsis*, 6 iul. 1669. De indulgentiis, 301. 302.

Collationes Brugenses. De praesentia testium pro sponsalium valore, 83.

Collectanea Propagandae Fidei. De generali deputatione pro matrimoniis, 88.
De praesentia testium in matrimoniis, 90. De vagis, 103.
De matrimonio absque praesentia sacerdotis, 111.
Instructio, 30 iun. 1830. De matrimoniis in Tonkino Orientali, 114.
Quibus abiuratio sectae imponenda, 117*.
De declaratione Benedictina, 119.
Decretum S. C. de Prop. Fide, de iure iurando imposito alumnis collegiorum pontificiorum, 319*.

Craisson, R. D. De maioritate requisita in electionibus capitularibus, 130.

De Becker, R. D. De sponsalibus et matrimoniis, 76*. 77*. 78. 88*.
De statu libero contrahentium, 99.
De menstrua commoratione, 101*.
De matrimonio in articulo mortis, 109.
De matrimonio absque praesentia sacerdotis, 111.

Degrelle, S. I. Ritus sacri Religiosorum a collectione authenticorum decretorum, 140. 202.

De Herdt, R. D. De obligatione missae conventualis pro regularibus, 137.

De translatione officiorum, 205.
De ordine commemorationum in concursu, 221*.

De Lai, Card. adjuvat in parando decreto *Ne temere*, 80.

de Mendoza, Ferd. De sponsalibus, 79.

De Smet, R. D. De praesentia testium pro sponsalibus et matrimoniis, 83.

Ephemerides Liturgicae. De praecellentia festorum, 144.

Feije, R. D. De sponsalibus, 79.
De iurisdictione pro matrimoniis, 88*.
De procuratore pro matrimoniis, 96*.
De statu libero contrahentium, 99*.
De vagis, 103.
De matrimonio in locis ubi sacerdos nullus haberi potest, 110.
De declaratione Benedictina, 119*.

Ferreres, S. I. De sponsalibus, 86. 87.
De iis qui valide assistunt, 92*. 93.
De menstrua commoratione, 101.
De loco matrimonii, 103.
De matrimonio in navi, 110.
De matrimonio in articulo mortis, 124.

Fogazzaro dicitur modernismo imbutus, 41.

Gardellini. De translatione officiorum, 205.

Gasparri, Card. adest coetui in quo paratur nova lex de sponsalibus et matrimoniis, 80.
De matrimonio inter absentes, 86.
De procuratore, 86, 97*.
De iurisdictione pro matrimoniis, 88*. 91*. 92*.
De statu libero contrahentium, 98*. 99*.
De vagis, 102*. 104.
De bannis, 104.
De matrimonio absque praesentia sacerdotis, 110.
De libris nuptialibus, 112. 113.
De sponsalibus et matrimoniis mixtis, 118-120.
De irregularitate sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium, 130*. 132. 133. 134. 135. 136.
De missis in natali Domini, 312.

Gennari, Card. De clandestinis sponsalibus, 82. 84. 85.
De parocho in missionibus, 88.
De statu libero contrahentium, 98.
De menstrua commoratione, 102.
De vagis, 102*. 104.
De loco matrimonii, 100.
De delegatione parochi, 106.
De matrimonio in articulo mortis, 107. 108. 109. 124.
De matrimonio absque praesentia sacerdotis, 111.
De obligatione annotandi matrimonia in libro baptizatorum, 113.
De iuribus stolae, 114. 115.
De poenis contra violatores legis, 115.
De sponsalibus et matrimoniis mixtis, 119*.
De promulgatione legis, 121.

Gerdil, Card. De sponsalibus, 79.

Giraldi, Cl. R. De facultate dispensandi in irregularitatibus, 135.

Gregorius IX. De respectu philosophiae ad religionem, 10.

Gregorius XIII. De indulgentiis Portiunculae, 138.
Const. *in supremo*, 23 sept. 1724, de domicilio Regularium, 194.
Const. *Ut laudes*, 18 sept. 1577, de privilegio sabbatino, 266.

Gregorius XVI. De curiositate in quaerenda veritate extra Ecclesiam, 27.
Singulari Nos, 7 kal. iul. 1834.

De novitatum cupiditate, 8.
De modo quo patroni dioecesani sint a Religiosis colendi, 143.

Honorius III. De Cancellaria Apostolica, 258.

Hostiensis, Card. De ecclesiasticis religiosorum bonis, 326*.

« Il programma dei Modernisti » proscribitur, 45. 53. 54.

« Il Rinnovamento » condemnatur, 40. 50.

Innocentius XII. De sacra Romana Rota, 228.
De Congregatione Lauretana, 257.

Iustinianus (Imperator). De ecclesiasticis religiosorum bonis, 326.

Lacroix, S. I. De sacerdote professo qui civiles consummaverit nuptias, 136.

Langonio, R. P. **Pius a.** Votum eius de reformando capite *Tametsi*, 80*.

Laurin, R. D. De domicilio regularium, 190*.

Lehmkuhl, S. I. De matrimonio in articulo mortis, 109.
De revalidatione matrimoniorum, 120.
De condicione sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium, 131. 136.

Leo, (Imperator). De ecclesiasticis religiosorum bonis, 326.

Leo X. Bulla *Exsurgere Domine*, de auctoritate Conciliorum, 11*.

Leo XII. De statu libero contrahentium, 99*.
C. *Quod divina sapientia*, de utenda lingua latina in seminariis, 297.

Leo XIII. C. *Ut mysticam*, 14 martii 1891, de auctoritate magisterii ecclesiastici, 28.
C. *Aeterni Patris*, de re biblica, 30. 42.
C. *In magna*, 10 dec. 1889, de studio theologiae, 31.
C. *Officiorum*, de obligatione proscribendi libros et scripta noxia, 33. 34.
Litt. *Nobilissima Gallorum*, 10 febr. 1884, de auctoritate Episcoporum, 35.
Indultum 12 iun. 1899. De officii divini et Missae anticipatione, 185.
De studio novitatum, 36.
Litt. *Vigilantiae studiique memores*, 30 oct. 1902, de re biblica, 46.
De matrimonio in articulo mortis, 109.
De Romana Curia, 223.
De Cancellaria Apostolica, 250.
Litt. *Ad universas Orbis Ecclesias*, 27 apr. 1892, 299.
Litt. Encycl. *Depuis le jour*, 8 sept. 1899, de utenda lingua latina in seminariis, 297.
De ecclesiasticis religiosorum bonis, 326.

Lombardi, R. D., adiuvat in parando decreto « *Ne temere* », 80.

Luca, Card. de. De maioritate requisita in electionibus capitularibus, 129.

Manigart. De patronis dioecesanis Leodii, 142.

Martin, R. D. Docum. Conc. Vatic. collectio, 79*.

Mélanges Théologiques. De Sancto Ioseph, patrono Belgii. Impugnatur titulus, 141*.

Merry del Val, Card. Litteras scribit, 10 oct. 1907, de praeferenda pro clero Universitate Catholica, 45. — privilegia postulat pro archisodalicio a nocturna SS^mi adoratione, 70.

Monitore ecclesiastico. De obligatione missae conventualis pro regularibus, 137.

Moroni. De modis expediendi bullas, 332.

Murri, R. D. Modernismo dicitur imbutus, 41.

Nervegna, R. D. De noviciatus interruptione, 199.

Neto, Em. D. patriarcha. Eius resignatio admittitur, 49.

Nouvelle Revue Théologique. De clandestinis matrimoniis, 81*.
De iis qui valide assistunt, 91. 93*. 96*.
De ordine praecellentiae festorum, 143.
De officiis impeditis, 146.
Civiles usurpationes in Gallia, 220.
De bonis ecclesiasticis, 327.

Oietti, S. I. De nova forma sponsalium et matrimonii, 270*. 273.

Pallavicini, Card. De sponsalibus clandestinis, 79.

Pamphili, Card. De immunitate Orientalium a lege disciplinari, 177*.

Pappszilagyi, R. D. De iure Orientali matrimonii, 118.

Passerini, O. Pr. De maioritate requisita in electionibus capitularibus, 129.
De domicilio Regularium, 190. 191. 194*.

Paulus III. C. *Licet debitum*. 18 oct. 1549, de sacerdote professo qui civiles consummarit nuptias, 134.
C. *Exponi Nobis*, 12 mart. 1545, de facultate dispensandi in irregularitatibus, 135.

Paulus V. *Cum ex apostolatus*, 15 febr. 1559, de valide assistentibus matrimoniis, 93*.

Pauwels, Ios. S. I., de ordine commemorationum in concursu, 221.
De sacellis et altaribus in coemeteriis, 282.
De translatione festorum, 285*.
De habitu sacerdotis dum canitur coram SSmo exposito, 305.
De altari consecrando, 306.
De lampade coram SSmo, 313.

Pellizarius, S. I. De maioritate requisita in electionibus capitularibus, 130.

Petra, Card. De domicilio Regularium, 190. 191. 194*.
De ecclesiasticis religiosorum bonis, 327*.

Piat, F. M. C. De facultate dispensandi in irregularitatibus, 135.

Pirhing, S. I. De domicilio Regularium, 191. 193*.
De ecclesiasticis religiosorum bonis, 327*.

Pius IV. De traditionibus ecclesiasticis, 28.

Pius V. C. *Superna dispositione*, 18 febr. 1566, de privilegio sabbatino, 266.
C. *Dum ad Congregationem*, 13 iun. 1571. De sacerdote professo qui civiles consummaverit nuptias, 135.
C. *Romani Pontificis*, 21 iul. 1571. De domicilio Regularium, 193.
C. *Pontifice dignum*, de modo expediendi bullas « de Camera », 332.

Pius VI. C. *Auctorem fidei*, de relatione ecclesiae ad statum, 15.
Litt. Secretariae Status, 17 april. 1728, de Sacra Romana Rota, 228.

Pius IX. De revelatione, 18. 28.
De respectu philosophiae ad religionem, 10.
Qui pluribus, et Syllabus, de evolutione dogmatis, 18.
De indulgentiis, 14 apr. 1856, 302.
SS. D. N. **Pp. Pius X**. *(Vide etiam Indicem analyticum.)* Const. *Romanis Pontificibus*, 7 dec. 1903, de Romana Curia, 223.
Const. *Quae in Ecclesiae bonum*, 28 ian. 1904, de Romana Curia, 223.

Const. *Vacante sede Apostolica*, 25 dec. 1904, de Camera Apostolica, 229, 230, 258.

Const. *Sacrae Congregationi super negotiis* 26 maii 1906, de Romana Curia, 223.

Bulla *Ea semper*, 14 ian. 1907, de ordinando ritu Rutheno in Foederatis Statibus Americae septemtrionalis, 87.

PRÉCIS HISTORIQUES. De Sancto Ioseph patrono Belgii. Defenditur titulus, 141*.

QUESTIONS ACTUELLES, de statu libero contrahentium, 113.

Rau. De testamento privato, 271, 271*.

RAZÓN Y FE. De sponsalibus, 86. De parocho excommun., 92*.

Reiffenstuel, F. M. De menstrua commoratione, 100*.
De majoritate requisita in electionibus capitularibus, 129. 130.

REVUE DU CLERGÉ, de statu libero contrahentium, 113.

REVUE THÉOLOGIQUE FRANÇAISE. De translatione officiorum, 204.

Sanchez, S. I. De condicione sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium, 131. 132. 133.

Sannig, Bern. R. D. De maioritate requisita in electionibus capitularibus, 129.

Santi, R. D. De sacerdote professo qui civiles consummaverit nuptias. 133. 134*.

Santi-Leitner, RR. DD. de Congregationibus Romanae Curiae, 254*. 257*.

Scherer, R. D. De domicilio Regularium, 194.

Schmalzgrueber, S. I. De sponsalibus, 82*.
De domicilio Regularium, 192.
De ecclesiasticis religiosorum bonis, 327*.

Sili, Ill. D. Aug. Votum facit pro nova lege, 80.
De valide assistentibus, 94.

Sixtus IV. C. *Regiminis universalis*, 29 sept. 1474, de sacerdote professo qui civiles consummaverit nuptias, 134.

Stimart, R. D. De modo quo dioecesani patroni sint a Religiosis colendi, 140. 142.
De translatione officiorum, 205.

Suarez, S. I. De condicione sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium, 132.
De obligatione missae conventualis pro regularibus, 138.

Xystus V. Const. *Immensa*, 22 ian. 1587, de Romana Curia, 222.
De sacra Romana Rota, 228.

Tabia, Al. **A**. De forma sponsalium et matrimonii, 271.

Thomas, S. in studiis, praesertim in re metaphysica, non est deserendus, 30.
De sacerdote professo qui civiles consummaverit nuptias, 134.

Tyrrell, R. D. dicitur modernismo imbutus, 41.

Urbanus II. Const. *Apostolicam, Unicam*, 190*.

Urbanus VIII. De piis traditionibus 36.
De iure iurando imposito alumnis collegiorum Americae septemtrionalis, Hiberniae et Scotiae, 316, 317, 319*.

Vaticana Synodus. De cognitione Dei, 3.
De revelatione, 3. 6. 18. 23*.
De infallibili auctoritate, 51.
Ds evolutione dogmatis. 18.
De matrimonio, 78.
De sponsalibus clandestinis, 79.

Van der Stappen. De officiis impeditis, 147.
De ordine commemorationum in concursu, 221*.

Vives y Tuto, Card., adest coetui in

quo paratur nova lex de sponsalibus et matrimoniis, 80.

Von Hügel, dicitur modernismo imbutus, 41.

Wernz, S. I. De delegatione in matrimoniis, 76, 85. 86. 96*, 105*. 106*. 107*.

Ius tridentinum de matrimoniis, 77*.

De sponsalibus, 79. 82*. 86. 87.

De iurisdictione pro matrimoniis, 83. 88*. 91*. 92*. 95.

De praesentia testium, 90.

De statu libero contrahentium, 98.

De menstrua commoratione, 101*.

De vagis, 102*. 104.

De bannis, 104.

De causis utendi forma extraordinaria, 108. 109.

De sponsalibus et matrimoniis mixtis, 118.

De condicione sacerdotis professi qui civile consummaverit matrimonium, 131. 133. 134. 136.

De domicilio Regularium, 194.

Votum rogatur de titulo ordinationis, 353.

Zaepffel. De patronis dioecesanis Leodii, 142.

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Asteriscus annotationes significat

Lineola interducta (—) = vocabulum in principio positum

v. S. = vide Supplementorum Indicem

Abbatis ius in electionibns, 139. — privilegia, 193. 292. 296.
— *Nullius* privilegium, 292.
Abbreviatorum suppressio, 229.
Absolutio generalis, 60, 266.
— concessa reis usurpationis bonorum ecclesiasticorum in Gallia, 157. 158.
— ad cautelam, 300.
Abstinentia feriis quartis et sabbatis. Indulg. 265.
Actorum S. Sedis evulgatio, 289.
Actuum Rotae exemplaria et communicatio, 232.
Adoratio perpetua, 179. — Sanctissimi, indulg. 279.
Advocati consistoriales, 241. — Rotae, 234.
Aeterni Patris: Litter. Encycl. Leonis XIII, De studio philosophiae in Seminariis, 42.
Albanensium sponsalia inter absentes, 270.
S. Alexandri Sauli (Festum). Addenda in Martyrologio, 298.
Alienatio bonorum ecclesiasticorum, 326.
Altare ex pluribus partibus constans, 306.
Altare fixum, 306.
— papale, 305.
— portatile, 282.
— privilegiatum, 61. 278.
— in sepulcreto, 282.
— **is** ornatus, 168; consecratio, 305. 306.
Alumni collegiorum ecclesiasticorum, 316 ss.
— Instituti dioecesani. Ordinatio, 148.
— Seminarii Abbatiae Nullius, 293.
— Seminariorum Urbis, 319.
— Scholarum Piarum, ad 1am Communionem admissa, 180. 181.
« **Ambitiosae** » Extrav. quod ad alienationem bonorum ecclesiasticorum, 327.
America latina. Cuinam Congregationi subdatur post reformationem Curiae, 261. Ius de sponsalibus, 75. 82.
— **ae septemtrionalis Status foederati** ius matrimoniale pro — —, 77. mulierum cantus in ecclesiis, 315. paroeciae in — —, 87. Ritus Ruthenus in — —, 87.
Americanismus. Origo errorum modernistarum, 25.

Anglia, Paroeciae in —, 87.
Anni computatio in litteris apostolicis, 229.
Anniversarium professionis, indulg. 59.
Antiphona post Completorium in Ordine Carmelitarum. Indulg. pro assistentibus, 67.
Apologiae modernistica ratio, 22.
Apostasia a Religione, 131. 134.
Apostolicam unicam : Urbani II Constitutio, 190.
Apparitionis B. M. V. Immaculatae (Festum) ad universam Ecclesiam extenditur, 124. 125 ;
— Translatio Festi, 204.
— Additio Breviario inserenda, 125.
— Variationes in Breviario et Martyrologio, 213. 214.
Apparitores Rotae, 232.
Approbatio Constitutionum et Institutorum, 322.
— Pontificia necessaria gravioribus S. Congr. etc. actibus, 230.
Approbationes Institutorum, 161.
Archiconfraternitas *S. Agoniae Iesu.* Facultates factae zelatoribus, 208. 209.
Archisodalicium *Dominae Nostrae a SS. Corde*, 177. 178.
— *a nocturna SS^mi adoratione*, 70. 71.
Assessor Sancti Officii, 224.
Associatio sacerdotalis *pro adoratione SS. Sacramenti.* Indulgentiae et privilegia, 277-281.
— — reparationis, quid, 210-211 ; indulgentiae concessae, 211.
Auctis admodum : Decretum. Peccatum discedendi e conventu, 198.
Auditores Sacrae Rotae, 231 ss.
S^i Augustini (Festum conversionis), 143.
Baldachinum altari imponendum, 168-169.
Banna ad licitam matrimonii celebrationem requisita, 104 ; — **orum** forma, 177.
Basilica Lauretana, 257. — Principis Apostolorum. Cura rei familiaris, 230.
Beatificatio Sanctorum, 227. — **nis** taxationes, 252.
Belgii Episcopi de litteris *Pascendi*, 50.
De — paroeciis, 87.
De — succursalistis, 88.
— provinciae non fruuntur declaratione Benedictina, 119.
— Codex poenalis de celebratione religiosa matrimonii, 122*.
De modo quo dioecesani patroni sint a Religiosis colendi in Belgio, 140-147.
Benedictini, v. Monachi.
Benedictio Apostolica, 278 ; coronarum cum indulg. Crucigerorum, 279 ss.
— coronarum, scapularium, crucium et sacrorum numismatum, 69. 280.
— Papalis, indulg. 69. 69. 262.
— super populum in Ordine Carmelitarum, indulg. 65. 66.
Biblica (res). Vide *Commissio de re biblica.*
Bona ecclesiastica in Gallia usurpata, 155-159.
— Religiosorum, 326-330 ; possessio et administratio, 197.
Bonorum Ecclesiae usurpatorum acquisitio et conductio, 155-159.
S. Bonaventurae (Festum). Mutatio lectionum, 286-288.
Bosnia, ne regulares eligat deputatos, 343.
Brasilia. Erectio Abbatiae Nullius in —, 291. 294.
Breviarium *Capuccinorum*, 202. 203.
— *Cistercience*, 70.
— *Franciscanorum*, 203.
— *Romanum*, additio inserenda, 125 ; translatio officiorum, 202. 203 ; ordo praeferentiae festorum transferendorum, 212 ; variationes, 213. 214 ; rubrica reformanda, 284. 285 ; mutatio lectionum S. Bonaventurae, 286-288.

Brevium expeditio, 229 ; taxationes, 252.
Bullarum expeditio, 228-229, 332 ; taxationes, 252.
Bursa fundata pro studiis clericalibus estne bonum patrimoniale religiosorum, 329. 330.
Caerimoniae coram SS^mo exposito, 304. 305.
Calendarium Capuccinorum, 202. 203.
Camaldulenses. Privilegium priorum, 320-321.
— **ium** corona. *Vide* Corona Domini.
Camera *Apostolica*. Munus et praeses, 229. Exstincta ut Tribunal, 258. Eius partes post reformationem Curiae, 259.
— *Spoliorum*, 226.
Cancellaria Apostolica, 228. 229, 258. 259.
Cancellarius Brevium Apostolicorum, 229.
Canonicorum *Regularium Immac. Conceptionis* Constitutiones approbantur, 322.
Canonizatio Sanctorum, 227.
Canonizationis causae : taxationes, 252.
Cantorum selectio, 217.
Cantus Gregorianus, 215-217, 314.
— post Missam pro Defunctis, 212.
— mulierum in ecclesiis, 162-164. 315.
Capitula. Electiones, 129-130. — Indulg. 60. 62.
— cathedralia, collegiata, 224.
— **orum** constitutio, 224. 293.
Capitulares. Maioritas requisita in electionibus, 129. Quid, si aliquis dederit suffragium caecum seu vacuum, 129 ; — **ium** partes in electione Superioris, 139.
Cappa magna, concessa Abbati Generali Cisterciensium, 296.
Cardinalium creatio, 49 ; praecedentia, 227.
Carmelitae, vide **Ordo**.
Cena Domini (Feria V), indulgentiae, 211.
Censurae, cur ferantur, 341. — propter usurpata bona ecclesiastica, 155-159 ; 218-220, 339-341. — in eos qui legem separationis tulerunt, 209.
Christi adulterata ratio modernistarum, 5. 19.
Cisterciensium Breviarii mutatio, 70. — Abbas generalis, 296.
Clerici regulares *Scholarum Piarum* Ius admittendi alumnos ad I^am Communionem, 181.
Clericus civile matrimonium consummans, 132. — de modernismo suspectus, 31. 44. — universitatem frequentans, 44. 50. 159. 160*.
Clerus servandus immunis a Modernismo, 44. — frequentans Universitates, 159. 160. — praeferre debet Universitatem catholicam, 44.
— saecularis Congregationi Concilii committitur, 225.
Coemeteria : Sacella et altaria, 282.
Collegium Pio-Latino-Americanum in Urbe, 293.
— pontificium Fratrum praedicatorum, 399.
— Tornacense S. I. (Festum S. Ioannis Berchmans), 144. 145.
— Urbanum de Propaganda Fide, 317.
— **orum** quorundam Urbis, etc. regimen, 317, 350-357.
Commemoratio defunctorum. Translatio, 206-207.
— Defunct. Ordinis, indulg. 59. 265.
— B. M. V. de Monte Carmelo, indulg., 67. 265.
— Ordo servandus in commemorationibus, 221-222.
Commentarium officiale de Actis Apostolicae Sedis : edictum, 289. 290.
Commissio *de re Biblica* : compositio, competentia, 46-47.

Commissio *de Musica sacra*. Dubia de instrumentis in Ecclesia admittendis, 306. 307.

Communicatio facultatum, 316-318. — indulgentiarum et privilegiorum, 69-71. 178. 281.

S. Communio alumnorum prima, 181. — *cotidiana*. Triduana supplicatio, 178. 179. 215.

— coram SS^mo exposito, 71.

— distribuenda in nocte natali Domini, 311-313.

— pro indulgentiis, 68; dies, 126.

Commutatio visitationis ecclesiae, 264. 320.

Compositio de bonis ecclesiasticis in Gallia, 155-159, 339-341.

Conciliorum acta ad quamnam Congr. remittenda, 316-319 — celebratio et recognitio Congregi Concilii commissa, 225.

Conferentia spiritualis. Indulg. 262.

Confessarius Monialium : ius agendi exsequias super cadavera earundem Monialium, eaque associandi ad publicum coemeterium, 274.

Confessio pro indulgentiis, 68. 138. 179. 180.

— pro indulg. Missionum : dies, 152.

— navigantium, 190.

Confirmationis ministratio. Privilegium Abbatis Nullius, 292.

Confraternitas *B. M. V. de Monte Carmelo*. Ascriptionum sanatio, 275.

— *Scapularis*. Receptio militum, 295. 296.

— **tis** processio. Indulg. 265.

Confraternitates. Cooptatio in—, 69. — **um** coronae, 69.

S. Congregatio *(Cardinalium) caerimonialis*. Competentia, 227. 229; dies conventus, 301.

— *consistorialis*. Competentia et compositio, 223-224. 256. 298. 302; dies conventus, 301; dubium de quibusdam causis, 299-300.

— *Concilii*. Competentia, 225. 256-257. 298; dies sessionis, 301; facultates, 303.

— *de Disciplina Sacramentorum*. Competentia et compositio, 224. 225. 298; facultates, 302; dies conventus, 301.

— *Episcoporum et Regularium* suppletur a C^e Religiosorum, 225.

— *Indicis*. Competentia, 226-227. 257. 299; dies conventus, 301.

— *Indulg. et SS. Reliquiar*. Eius provincia dividitur inter S. Officium et S. Rituum Congr. 225. 227.

— *Lauretana*, C^i Concilii adiungitur, 225. 257.

— *pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis*. Competentia, 227.299; dies conventus, 301.

— *S. Officii*. Competentia et distributio rerum, 223. 256. 298, ss.; dies conventus, 301.

— *de Propaganda Fide*. Competentia, 226. 257. 299; dies sessionis, 301; iurisdictio, 303. 304; dubia de eius competentia, 316. 317.

— *Religiosorum*. Competentia, 225. 226. 257. 299. 332. 333; dies sessionis, 301; partitio negotiorum, 303.

— *Rituum*. Competentia, 227. 257. 258. 299. 304; dies conventus, 301.

— *Studiorum*. Competentia, 227. 298; dies sessionis, 301.

— *Visitationis Apostolicae Urbis* sublata, 230.

Congregatio (Institutum religiosum) *Cassinensis*. Privilegium, 135.

— *SS. Cordium et Adorationis perpetuae (de Picpus)*. Dubium de valore noviciatus, 167.

— *Missionis*. Facultates, et indulgentiae, 208-209; dirigit sacer-

dotalem reparationis associationem, 211.
— *Clericorum Regularium Sancti Pauli*. Addenda de S. Alexandro Saulo in martyrologio, 298.
— *Missionariorum SS. Cordis* approbatur 161 ; benedicit atque imponit scapulare SS. Cordis, 177. 178.
— *Oblatorum Mariae Imm.* idem habet Privilegium, 178.
— *A Passione Iesu Christo*. Privilegia, 69. 70.
— *Presbyterorum a SS. Sacramento*. Indulgentiae et privilegia, 126, 277. 281, 337.
— *SS^mi Redemptoris*. Addenda de S. Gerardo Maiella in martyrologio, 298.

Congregatio *(Sodalicium) B. M. Virginis*. Sanatio inscriptionum, 275.
— *Bonae Mortis*. Sanatio inscriptionum, 275.

Congressus S. Congregationis. Competentia, 299. 300.

Consecratio altaris, 305. 306. — in titulis cardinaliciis, 255.

Consilium pontificium de re Biblica. *Vide* Commissio de re Biblica.

Consilium vigilantiae instituendum, 35.

Constitutionum Instituti religiosi approbatio, 161, 322.

Consultores Congregationis Consistorialis, 224.
— Apostolicae Signaturae, 239.

Contionatores carmelitani, 62 ; — mensis SS. Cordis, 170.

Contiones in mense SS. Cordis, 170-171.
— inter Missiones, indulg., 70.

Contionis stipendia, 328.

SS. Cordis Iesu festi celebratio et indulg. 211 ; — mensis celebratio et privilegia, 169-171.

Corona *a Crucigeris* dicta, cum indulg. 69. 185. 186. 279. 280. 288.
— *de Immac. Conceptione*. Benedictio cum indulg. 281.
— *Viae Crucis*, 208. 209.
— **ae** Confraternitatum, 69.
— **arum** benedictio, 69.

Corporis Domini (Festum), 126.

Criticae modernistica ratio, 18-21.

Crucifixi (imago) benedictio, 69. — cum indulg. viae crucis, 281. — oscula : indulg., 211.

Crucigerorum benedictio, 69. 185. 186. 279. 280. 288.

Crucis gestatio, indulg. 62.

Crucium benedictio, 69.

Culparum accusatio, indulg. 62.

Cum circa, Breve Alexandri VII 20 iul. 1660, de alumnis Seminariorum, 319.

Cum dies, S. Rit. Congr. Decretum 8 ian. 1908, Super Festo SS. Septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V., 164.

Cum nobis, Breve SS. D. N. Pii Pp. X 1 Febr. 1908, cooperatoribus Operis Propag. Fidei privilegium Crucigerorum indulgens. 185. 186.

Cum per Decretum, S. Cong. Indulg. et SS. Reliq. Decretum 18 Sept. 1903, De indulgentiis, privilegiis, etc., tertii Ordinis Carmelitani, 264.

Curiae Romanae, *v. Romanae curiae*.

Cursores Rotae, 232.

Custodes Rotae, 232.
— Ap^ae Signaturae, 239.

Data apponenda pacto sponsalicio, 270-271.

Dataria Apostolica. Munus et praeses, 229.

Decanus Sacrae Rotae, 231.

Dedicationis Ecclesiae Cathedralis (Festum), 146.

Defensor sacri vinculi, 231 ; — convocandus, 240.

Defensionis iudicariae forma et tempestiva depositio, 236. 237 ; — impressio, 237.

Defuncti. Cantus pro — **is** post

missam, 212. — Ordinis commemorandi. Indulg. 59.

Delatae saepius: Decretum S. C. Indulgentiarum 7 martii 1678, 278 ss.

Delegati Apostolici: eorum partes quod ad transmissionem Missarum ad Orientales, 152, 153. 267.

Delegationes Apostolicae Orientales, 267. 268.

Delegatus ad assistendum matromonio, 73. 74. 271.

Denuntiatio haereticorum et suspectorum, 136.

Deputati eligi nequeunt regulares, 343.

Dioecesis patronus principalis. Ritus servandi in Festo, 140-142.

Dioecesium erectio, divisio, regimen, 224.

Discessus Religiosorum, 198. 324. 325.

Dispensatio a iuramento missionis, 317. 318.

— a condicionibus ordinationis, 353. 356.

— a iure communi, 226.

— a lege residentiae, 292.

— a praesentia parochi in matrimoniis, 273.

— a titulo, 346.

— a visitatione Ecclesiae, 264. 320.

— **nes** matrimoniales, 303. 316. 319.

Distantia praescripta pro altaribus in sepulcreto, 282.

Doctorum S. Ecclesiae festa secundaria non transferuntur, 145.

Dogmatis evolutio et ratio secundum modernistas, 6. 7. 12. 23.

Domicilium Regularium, 189-195.

Domini festa. Translatio, 146.

Dominici S. (Festum). Translatio, 204.

Dona Religioso facta, 329.

Dotes Religiosarum in Institutis votorum simplicium. Alienatio vetita, 330.

E Brasilianae, S. Congr. Consistorialis Decretum Pontificium 15 aug. 1907, Abbatiam Nullius erigens, 291. 294.

Ecclesia *visitanda* pro indulgentiis, 126. 140. 150. 263. 265; commutatio vel dispensatio, 264. 320.

— Confraternitatis, 266.

— Ordinis vel Sodalicii, 263.

— Cantus mulierum in — **a**, 315.

— Instrumenta in — **a**, 306. 307.

— **e** Orientales, 267. 269.

— Religiosorum. Privilegium celebrandi Missam in media nocte Nativitatis Dominicae, 312. 313.

Ecclesiae mens in compositionibus de bonis suis, 340; benevolentia pro scientia, 37. — ratio modernistica, 14. 16.

Ecclesiastica bona Religiosorum quaenam sint, 326-329.

Electiones capitulares, 129. 130.

Eleemosynae a viris religiosis colligendae, 307 ss.

— pro conventu receptae, 328.

— pro Missionibus exteris collectae, 309. *Vide* Stipendia Missarum.

Episcopus receptor discedentis religiosi, 198. — querelae obnoxius, ad quodnam dicasterium deferendus, 261; — referre ad S. Sedem debet de doctrinis, 37.

Eremitae *Camaldulenses*. v. *Camaldulenses*.

SS. Eucharistiae Benedictio (cantus *Tantum*), 168; custodia, 169; delatio ad infirmos dat comitantibus indulgentiam, 263; expositio, 65. 67; 304-305; expositio privilegiata, coniuncta cum via crucis, 279.

— Officium votivum, 220. — Portiuncula, 139.

Eucharisticum *foedus sacerdotale*, 178.

— Facultas benedicendi Coronas Crucigerorum, 288.

Evangelia missae votivae apud Benedictinas, 321-322.
Evolutionis modernistica ratio, 6. 7. 12. 16-18. 20.
Exaltationis S. Crucis (Festum). Indulg. 211.
Examen conscientiae, indulg. 68.
Exclusivae privilegium abrogatur. 249.
Exercitia spiritualia. Indulg. 59. 262. 277.
Fabrica R^da^. S. Petri, 230.
Familia S. Missa votiva in ecclesia Nazarethana S. Ioseph, 294.
Famularum seu Victimarum SS. Cordis Iesu Institutum Namurcense laudatur et approbatur, 322.
Festa mobilia et Domini. indulg. 64-65.
— Ordinis, indulg. 63-64.
— varia, indulg. 277-278.
— **orum** anticipatio, 285.
— eiusdem ritus concurrentia, 221.
— elevatio, 217. 218.
— translatio, 140. 212. 284-285 et passim.
— — variatio in Catalogo, 283.
Festum consecrationis Ecclesiae Cathedralis. Ritus servandi, 140.
— *S. Ioseph :* novem feriae quartae praecedentes —, indulg. 65.
— patronorum. Translatio, 140.
— particulare : mutatio in generale, 204. 205.
— principale Ordinis, indulg. 59.
— Sanctorum, *v. singula nomina.*
Fidei et scientiae separatio secundum modernistas, 9. 10.
Franciscanorum Breviarium. 203.
— Portiuncula, 139.
Francisci S. Assisiensis (Festum) 144.
Francisci de Paula (Festum). Indulgentia totiens quotiens lucranda in ecclesiis Ordinis Minimorum, 139.
Francisci Salesii S. Directorium, 273.
Fratres *Minores* quod ad breviarium, 203; indulgentias, 150; missas votivas, 294-295; reformationem coenobii, 154.
— *Minores Capuccini :* ius transferendi officia, 203. Eorum Breviarium, 203.
— *Praedicatores.* Extensio indulti de recitatione Rosarii, 285. Privilegium transferendi festum S. Francisci Assis., 144. Collegii pontificii in Urbe constitutio, 339.
Fundatorum Ordinis Festum, 164.
Fundatorum SS. Septem *Ord. Serv. B. M. V.* Festo assignatur dies, 164; translatio Festi, 204.
— Variationes in Breviario et Martyrologio, 213. 214.
Gallia. Facultates de bonis ecclesiasticis usurpatis, 155-159. Paroeciae in —, 87. Studia in —, 42. Universitatum frequentatio in —, 159-160, 338. Censurae et poenae propter legem separationis, 219; propter usurpationes bonorum ecclesiasticorum in —, 218. 219.
Gallicia. De promulgatione Decr. *Tametsi* in —, 118.
Gerardi Maiella S. (Festum). Additio Martyrologio inserenda, 298.
Germania. Ius de matrimoniis mixtis in —, 78. 119. 171. 172. 176.
Gradualis nova editio Vaticana, 215-217.
Gratia ore concessa. Vis, 300. Forma rescriptorum — **e**, 300.
Habitaculum supra SS. Eucharistiam, 168. 169.
Habitatio Religiosorum, 191. 192.
Habitus religiosi delatio, 167.
Hibernia. De matrimoniis mixtis in —, 119.
Hierosolymitana (Oratoria). Missa votiva de Mysteriis Viae Dolorosae, 295.
Hispania : De libris « *Sex Series* », 165. 166. Sponsalium ius in —, 75. 82. 86.

Hollandiae matrimonia mixta, 77. 119*. 171. 172, 176.

Homiliae Officii B. M. V. in sabbato, 322.

Horae Canonicae in Ordine Carmelitarum : indulg. pro Christifidelibus, 65. 67.
— iuxta ritum Ordinis S. Benedicti, 286.
— pro monialibus S. Benedicti, 321.

Hungaria. De matrimoniis mixtis in —, 119. 171. 172. 176. 345.

Ieiunia. Indulg. 68.

« Il Programma dei Modernisti » proscribitur in Urbe, 45. 46.

« Il Rinnovamento ». Sententia S. Congr. Indicis, 40 ss.

Imagines SS. Cordis, B. M. V. et Sanctorum. Lux electrica, 162.

Immac. Conceptionis B. M. V. (Festum), 124. 125. 164 211.
— Officium votivum, 220.

Immanentiae modernistica ratio, 3. 11. 12. 24.

Immensa : Xysti V Ap^ae Litterae 22 ian. 1587, Romanam Curiam ordinantes, 222.

Impositi nobis : Benedicti XIV Constitutio 26 Feb. 1747, de Ordinationibus, 193. 194.

Impressionis Stigmatum S^i Francisci (Festum), 143.

Indulgentiae Apostolicae, 280.
— *Archisodalitatis a nocturna SS^mi adoratione*, 71.
— *Associationis sacerdotalis pro adoratione SS^mi Sacramenti*, 277-281.
— *Associationis sacerdotalis reparationis*, 211.
— *Confraternitatis Scapularis Carmeli*, 265. 266.
— *Congr. Presbyterorum a SS. Sacramento*, 126. 138. 277-280.
— *Fratrum Minorum S. Francisci*, 138. 150. 152. 180.
— *Ordinis de Monte Carmelo*, 59-70.
— *Ordinis SS. Trinitatis*, 138.
— *Ordinis Servorum B. M. V.*, 138.
— *Sodalitatis Eucharisticae Unionis Sacerdotum Adoratorum*, 281.
— *Tertiariorum Ordinis Carmelitani*, 261-264.
— pro Cena Domini, 211.
— pro coronis a S. Birgitta, 280. pro coronis Viae Crucis, 208-209. pro festo SS. Cordis Iesu, 211.
— pro invocatione Nominis Iesu, 69. 211. 279.
— pro mense SS Cordis Iesu, 169-179.
— pro missionibus, 60. 152.
— pro oratione mentali, 62.
— pro professione religiosa, 59.
— pro professione Tertiariorum, 262
— pro recitatione Rosarii, 149.
— pro renovatione professionis, 59. 277.
— pro renovatione votorum, 262.
— pro variis precibus, 59, 68. 69. 265.
— pro visitationibus ecclesiae. Vide *Ecclesia visitanda*.
— *Portiunculae*. Vide *Portiuncula*.
— *Scapularis SS. Cordis*, 177-178.
— *stationales*, 61. 278. 279.
— **arum** communicatio, 69-71. 178. 281 ; condicio confessionis, 152. 179 ; expeditio, 302.

Infirmorum privilegia, 63, 69.

Ingressus in Associationem, ind. 211.
— in Confraternitatem, ind. 265.
— Religionem, ind. 59. 277.
— in Sodalitatem, ind. 271.
— in Tertium Ordinem, ind. 262.

Inscriptionum invalidarum sanatio, 275.

Inspirationis adulterata ratio modernistica, 13.

Instaurato. S. Rituum Congr. (9 Dec. 1908). Decretum ex Audientia Sanctissimi Congregationem peculiarem instituens pro minoribus causis Servorum Dei, 314.

Instituta (religiosa) quod ad vota perpetua. 323. 324.
— iuris dioecesani, 148. 149. 309.
— iuris pontificii, 309.
— **orum** approbatio vel laus, 161. 322.
— (studiorum) catholica : eorum patroni, 42 ; necessitas, 43 ; removendi magistri infecti vel suspecti, 44 ; praeferenda pro clero, 45.
Institutum *dioecesanum* titulum ordinationis obtinens, 148. 149.
— *Scholarum Piarum*, 181.
In supremo : Gregorii XIII Litterae 23 sept. 1724, de Ordinationibus, 194.
Inter pastoralis officii, Motus proprius SS. D. N. Pii Pp. X 22 nov. 1903, De musica sacra, 162.
Inventionis S. Crucis (Festum), ind. 211.
Ioannis Berchmans S. (Festum), 144-145.
Ioannis Damasceni S. (Festum), 204-205.
Ioseph S. Patronus Belgii, 141.
— Litaniae, 347 ; Patrocinium, 143. 144.
Irregularitas sacerdotum a S. C. Concilii dispensatur 346. Quid si ordinandi vel regulares, 346.
Italia. paroeciae in —, 87. — meridionalis. Iussio facta episcopis, 184.
Iuramenti formulae, 148. 149. 245. 354. 357.
Iuramentum alumnorum collegiorum clericalium, 316 ss. ; — Seminariorum Urbis, 319, 351-357 ; — missionis, 317. 318.
— non ingrediendi in religionem, 148. 354. 357.
— Rotae auditorum et adiutorum, 232. Officialium Curiae, 239. 245. 316. 419.
Iurisdictio in navi, 195.
Lamentabili sane exitu : S. C. R. et U. Inquisitionis Decretum 3-4 iul. 1907, De erroribus Modernismi, 43 ss. ; vis decreti, 51-53.
Lampades coram SS^mo, 162. 163. 313. *Vide* Lumen coram SS^mo.
Lapurdense Festum. *Vide* Apparitionis B. M. V. Festum.
Laudes. Anticipatio, 281.
Legata pia, 155 ; — **orum** redemptio, 158. — religiosis facta, 328. 329,
Legatorum (Apostolicorum) praecedentia, 227.
Leges a Romano Pontifice latae. Promulgatio, 288. 289.
Liber baptizatorum, 74.
— matrimoniorum, 74.
— Rerum notabilium Curiae, 244.
Libera me Domine : Cantus post Missam privatam, 212.
Lingua latina in Seminariis, 297.
Liquidatores bonorum Ecclesiae usurpatorum. Censurae, 219.
Litaniae *Lauretanae* inter *Tantum ergo* et *Genitori*, 168. — *Sanctorum*, Indulg. 60. S. Ioseph, 347. 348.
Litterae apostolicae : computatio anni, 229.
— (Bullae) *sub plumbo*, expeditio, 228. 259.
— *dimissoriae*, 193. 194. 198. 317. 319. 352, 356.
Lourdes. Extensio Festi Apparitionis ad universam Ecclesiam, 124. 125.
Lumen coram SS^mo, 160.
Lux electrica, 162. 163.
Magistri noviciorum absentia quaenam permissa, 199-201.
B. Mariae Virginis *de Lourdes* Festum, 124. 125. 164.
Beatae Mariae Virginis de Monte-Serrato. Abbatia Nullius, 291. 294.
Magnificat (cantus) coram SS^mo exposito, 304. 305.
B. M. V. Officia propria. Translatio vetita, 145.
— Officium et missa votiva, 321. 322.
Martyrologium. Variationes, 213-214. — Addenda, 298.
Matrimonii celebratio ex iure ante-

riore, Tridentino, 75-78 ; ex iure novo decreti *Ne temere*, 71-74, 78-124. — mixti ius, 117. 171. 172. 176, 345.

Matutini anticipatio, 281.

Melitensis insula, dispensatur a forma Tridentina pro matrimoniis haereticorum inter se, 77.

Michael S. Archangelus, patronus associationis sacerdotalis reparationis, 211.

— **is** Festum, indulg. 211.

Milites recepti in Confraternitatem Scapularis, 295. 296.

Minister generalis Fratrum Minorum. Eius potestas, 154.

Miserere (Psalmus) : recitatio cotidiana, 211.

Missa conventualis, 137-138. 207.

— *de Requie*, 207. 213.

— privata quam sequatur cantus pro defunctis, 212.

— privilegiata, 263. 266. 278. 280.

— prima Religiosorum (indulg.) 59. 277.

— pro defunctis (indulg.) 68.

— cum expositione SS^mi, 71.

— in nocte natalicia Domini, 311-313.

— in sacellis Coemeteriorum, 282.

— *de Nomine B. M. V.*, 285.

— *Apparitionis B. M. V.*, 125.

— *votiva B. M. V.*, 321-322.

— *votiva de Via Dolorosa in Oratoriis Hierosolymitanis*, 295.

— **ae** anticipatio, 185.

— **ae** stipendia. *Vide* Stipendia. Facultates S. C. de Propaganda Fide quod ad missam, 316.

Missale Romanum. Rubricae reformandae, 284-285.

Missalis non Romani usus, 206. 207.

Missarum transmissio ad Orientales, 267-269.

Missionarii competentes pro matrimonio, 272.

— post reformationem Romanae Curiae, 260.

— **orum** praecedentia, 151.

— **orum** Congregationes, 316.

— *apostolici*. Titulus, 316 ; facultates, 318.

— *SS. Cordis*. v. *Congregatio*.

Missiones. Benedictio Papalis, 69 ; indulg. pro Christifidelibus, 69-70.

Indulgentiae lucrandae in fine missionum, 152.

— *exterae*, indulg. 60.

Missionis titulus, 148. 157.

Modernismus : explicatur, reprobatur. Litterae encyclicae, decreta varia, notae canonicae, 1-58.

Modernistae, ut philosophi, 3-8 ; — ut credentes, 8-11 ; — ut theologi, 11-18 ; — ut historici et critici, 18-22 ; — ut apologetae, 22-24 ; — ut reformatores, 24-25.

Monachi *S. Benedicti*. Abbatum Nullius privilegia, 296, IV. — in Brasilia abbatia Nullius, 291-294. — munus parandi editionem Vulgatae, 209. — privilegia, 286. 296.

— Vallisoletani Privilegium, 135.

— *Cistercienses*. Cappae magnae privilegium, 296. Usus missalis proprii, 206. 207.

Moniales *Benedictinae*, quod ad Officii votivi B. M. V. ritum seu rubricas, 321. 322.

— *Carmelitanae*. Indulg. scapularis caerulei, 70.

— *a Visitatione* Civitatis Pineroliensis. Exemptio, 273. 274.

— **ium** professio, 323-324 ; sepultura, 273. 274 ; voluntatis exploratio, 341.

— velatio, indulg. 60. v. *Soror*.

Mortificatio, indulg. 59.

Mortis articulus. Indulg. 60. 69. 263. 265. 279.

— benedictio crucis, 69.

— pro matrimonio, 73. 107-109.

Musica sacra, 162. 163 ; — instrumenta, 306. 307. Cantores et Praefectus probe seligendi, 216. 217. Vide *Cantus*.

Natale Domini. Missa et Communio in nocte, 311-313.
Navis. Iurisdictio in — i, 194.
Nazareth. Missa votiva de S. Familia in ecclesia S. Ioseph, 294.
Neapolitana residentia pro Sacerdotibus et Religiosis, 184.
Neapolitani Fratrum Minorum Coenobii reformatio, 154.
Ne temere: S. C. Concilii Decretum, specialiter confirmatum, 2 aug. 1907, De Sponsalibus et Matrimonio, 71-74. 269-271.
Decreti applicationes variae, praesertim ad catholicos ritus Orientales, 171-173; obligatio Decreti pro Sinis dilata, 173.
Decreti interpretatio, 75-124; 174-176.
Nicaena synodus II. De traditionibus ecclesiasticis, 28.
Nominis Iesu SS. invocatio. Indulg., 211. 265.
— invocatio in articulo mortis, indulg. 69. 279.
Nominis SS. B. M. V. Festum et Officium, 205.
Anticipatio Festi, 284. 285.
Notarii Rotae, 232.
— Apae Signaturae, 239.
Noviciatus continuitas, quomodo interpretanda, 199-200.
— sanatio, 167.
— valor post invalidam Superioris electionem, 139.
Nuntius Apostolicus, deputatus ad exsequendum Decretum pontificium, 294.
Oblati Mariae Immaculatae. Privilegium, benedicendi et imponendi scapulare SS. Cordis, 178.
Obligationes Missarum, 195-197. *Vide* Stipendia Missarum.
Observantiae regularis obligatio, 154.
Officia. Ordo praecellentiae, 143-145.
— quae privilegio translationis non gaudent, 145.
— *concessa* transferri non possunt absque speciali privilegio, 145-147.
— **orum** translatio, 202-205.
— propria : cantus gregorianus, 314.
— votiva, 220.
Officia *Romanae Curiae*. Ordo servandus, 244; provisio, 244. 245; iusiurandum administratorum, 245; horae et disciplina, 246. 247; feriae, 247; stipendia, 248; advocati, 249; ministri expeditionum, 249; procuratores, 249. 250; ratio adeundi Officia, 251; taxationes et procurationes, 251-252; dispositiones temporariae, 252-253.
— **orum** reformatio, 258. 259.
Officiorum et munerum: Leonis XIII Constitutio 25 ian. 1897, de prohibitione et censura librorum, 227. 255.
Officium divinum. Anticipatio, 185; commemorationes, 221-222; commutatio, 69; facultates S. Congregationis de Propaganda Fide, 316.
— in choro, obligatio, 154.
— *B. M. V.*, 321-322.
— *parvum B. M. V.*, 69.
— *Apparitionis*, additio, 125.
— *Septem Dolorum B. M. V.*, 284.
— reponendum propter novum officium, 203-205.
Olysipponensis Patriarchae resignatio, 49.
Opus pium. indulg. 263. Privilegium, 185. 186.
Oratio mentalis, indulg. 62.
Oratoria. Missa et Communio in nocte natalicia Domini, 311-313. v. *Missa*.
Orchestra religiosa. Instrumenta, 307.
Ordinarii *loci* assistentes matrimonio, 73; quaestuationem moderantes, 309.
— *extranei* facultates quaestuantium recognoscentes, 309.

Ordinariorum privilegium quod ad missarum stipendia, 196.
Ordinatio Regularium, a quonam Episcopo facienda, 193.
— differenda vel deneganda, 32. 44.
— **nis** titulus, 148. 149. 316. 317. 319. Quisnam dispenset a titulo, 351. 353. 356.
Ordines religiosi. Noviciatus interruptio, 195-200.
Ordo *B. M. V. de Monte Carmelo* (Antiquae Observantiae). Indulgentiae, 59-70. Novum Summarium indulgentiarum Tertiariorum, 261-264.
— *S. Ioannis de Deo*. Privilegium, 185.
— *Scholarum Piarum*. Privilegium admittendi ad primam communionem, 180. 181.
— *Servorum B. M. V.* Festum SS. Septem Fundatorum, 164 ; translatio festi, 204. Elevatio festi Septem Dolorum, 217. 218. *v.* Fratres, Monachi, Moniales.
Orientales et decretum *Ne temere*, 117. 172. 173. 174. Stipendia Missarum ad — missa, 152-153 ; 267-269.
Paenitentia pro indulgentiis, 68. 211.
Paenitentiariae S. iurisdictio post reformationem Curiae, 228 ; competentia, 304.
Parisiensis civitatis indultum de quasi-domicilio, 76 ; de bannorum forma, 177 ; de generali deputatione primi vicarii pro matrimoniis, 88. Eius Instituti catholici necessitas, 43.
Parochus personalis, territorialis, 272.
— assistens matrimoniis, 91 ss., 271 ss.
— ministerium suum detrectans, 272. 273.
— loci, ius sepeliendi Moniales, 273. 274.
Pascendi Dominici gregis : SS. D. N. Pii Pp. X Litterae Encyclicae 8 sept. 1907. De Modernistarum doctrinis, 1-37. 159.
Passionis D. N. I. C. Festa, indulg. 211. Mysteriorum atque instrumentorum officia, 146.
Pater et Ave (quinquies), indulg. 61. 62.
— (ter), indulg. 69.
Pater, Ave et Gloria (sexies), indulg. 278. 279.
— (vicies), ind. 208.
Patrocinium B. M. V., 146-147 ; — S. Ioseph, 143. 144.
Patroni institutorum catholicorum, 42.
— a Religiosis colendi, 140-143.
— **principalis** (Festum). Symbolum infra Octavam, 167. 168.
Peculii suppressio, 154.
Pecuniae religiosorum a saeculari administratae : casus, 197. 198.
Perpensis : Decretum 3 maii 1902. De simplici monialium professione, 323.
Pium opus. Privilegium cooperatoribus concessum, 185-186. Indulgentiae, 273.
Polonia. Ius de matrimoniis mixtis in —, 118. 171. 172. 176.
Ponens causae : eius partes, 235-236.
Portiuncula *Franciscana*. Privilegium, 180.
Portiunculae variae, 59. 126. 138. 139. 169. 170.
Postulans defectum reticens, 325-326.
Praecedentia Cardinalium, 227 ; Missionariorum, 151 ; Vicariorum apostolicorum, 345.
Praelati Regularis facultas absolvendi a censuris Episcopis reservatis, 134 ss. — privilegium dum celebrat, 321.
Praestantia Scripturae Sacrae : Motus proprius SS. D. N. Pii Pp. X 18 nov. 1907, De sententiis pontificalis consilii rei biblicae provehendae praepositi ac de censuris

et poenis in eos qui praescripta adversus modernistarum errores neglexerint, 46-47.
Preces ad mentem Summi Pontificis, indulg., 265.
— pro infidelibus, ind. 59.
— pro indulgentiis, 68. 69.
Privilegium *Benedictinum*, 286.
— *Crucigerorum*, 185. 186.
— exclusivae abrogatur, 249.
— moderatorum et directorum dioecesanorum, 280; priorum, 320. 321.
— *Paulinum*, 181-184, 223.
— *Sabbatinum*, 266.
— Cappae magnae, 296.
— commutandi visitationem ecclesiae, 320.
— pro Via Crucis, 279.
Vide Altare privilegiatum.
Privilegia a S. Sede concessa vel confirmata quod ad litteras dimissorias, 194.
— quod ad indulgentias, 62, 63, 66.
— *Confratrum Scapularis Carmeli*, 266.
— *Congregis a Passione Iesu Christi*, 69. 70.
— *Congregis Presbyterorum a SS. Sacramento*, 278-281.
— *Associationis sacerdotalis pro adoratione SSmi Sacramenti*, 278-281.
— *Eucharistici Foederis sacerdotalis*, 288.
— *Tertiariorum Ordinis Carmelitani*, 263.
Processio Confraternitatis. Indulg., 255.
Processus forma, 240.
Procuratores Romanae Curiae: privati, publici, dioecesani, 249. 250.
Professio religiosa, 323-324; indulg. 59. 277.
— perpetua, 323. 324.
— simplex, post discessum, 324. 325. Num permittat redituum dispositionem, 330. 331.
— sollemnis monialium exigit voluntatis explorationem, 341. 342.
— Tertiariorum, indulg. 262.
— **nis** anniversariam, 59. 277; renovatio, 59. 277; valor post interruptum Noviciatum, 199-200; valor post invalidam Superioris electionem, 139.
Promotor iustitiae, 231; convocatio, 240.
— **es** mensis SS. Cordis, 170.
Promulgatio Legum Pontific. 288-291. Sententiarum S. Rotae, 238.
Promulgandi: SS. D. N. Pii Pp. X Constitutio 29 sept. 1908, De promulgatione legum et evulgatione Actorum S. Sedis, 288-291.
Propagandae Fidei *Congregatio*, v. *Congregatio*.
— pium opus, privilegium, 185-186.
Protonotarii Apostolici, 229.
Provida: Decretum 18 ian. 1906 S. D. N. Pii Pp. X, de matrimoniis Germaniae, 78. 171-172.
Providentissimus Deus: Litterae encylicae XIV cal. dec. 1893, De Sacrorum Bibliorum studiis, 46.
Quaestuatio Religiosorum, 307-311.
Quanta curarum: Benedicti XIV Const. 15 nov. 1751, 230.
Quasi-Domicilium Regularium, 191-192.
Querelae contra Episcopos: ad quamnam Congregationem vel ad quodnam Tribunal deferendae, 261.
Quo Christifideles: S. C. Indulg. et SS. Reliqu. Decretum generale ex aud. SS. 11 mart. 1908, de tempore confitendi pro indulgentiis, 179. 180.
Recenti: S. Cong. Concilii Decretum 22 maii 1907, de Missarum stipendiis, 153, 267-269.
Recentissimo: S. C. R. et U. Inquisitionis instructio 28 aug. 1907 ad Ordinarios Locorum et Mo-

deratores Familiarum religiosarum, 43.
Recursus. Tempus utile et vis, 240.
Redemptoris SS. (Festum), 143.
Reformatio Romanae Curiae : eius decreta, 222-253. 298-304 ; eius causa, subiectum et dies, 253-254 ; potissima capita, 254-259.
Reformismus modernisticus, 24-25.
Regina caeli (cantus) coram SSmo exposito, 304-305.
Regni patronus. Ritus servandi in Festo, 141.
Regulares in loco domicilii iudicialiter conveniendi, 189. Eorum domicilium, 189-195.
— ne fiant deputati, 343.
— a proprio Episcopo ordinandi, 189. 192-193.
— Obligatio Missae Conventualis, 137-138.
Vide Clerici, Fratres, Monachi, Moniales.
Relationes S. Pontifici faciendae, 301.
— de Statu dioecesum, 302.
Relator causae, 235.
Relicturus Ecclesiam : Allocutio SS. D. N. Pii Pp. X in Consistorio 16 decembris 1907, de Modernistarum erroribus, 48.
Religiosi post reformationem Romanae Curiae, 259, 260.
— quatenus Missionarii, 226.
Vide Congregatio, Missionarii, Societas, Soror.
Religiosorum bona : possessio, administratio, 197.
— dimissio et expulsio, 332-333.
— discessus, 197, 324-325.
— Domicilium, *Vide* Domicilium.
— ius disponendi de bonis ecclesiasticis, 326-330 ; de reditibus, 330-331.
— ritus sacri ab editis decretis 1900, 140-147. 202-205. *Vide Supplementum XIII.*
Reliquiae sacrae, 227.
Renovatio professionis, indulg. 59.
— votorum, indulg. 262.
Reparationis exercitium. Indulg. 211.
Res familiaris, 230.
— iudicata, 238.
Rescripta. Ratio ea redigendi, 301.
Responsoria Officii apud Benedictinas, 321-322.
Rio Branco, Brasiliana regio in Abbatiam Nullius erecta, 291-294.
Ritualis *Cisterciensis* usus, 207.
Ritus sacri Ecclesiae Latinae, 227.
— Ordinis S. Benedicti. Extensio privilegii, 286.
— Religiosorum, a Collectione 1900, 202-205. *Vide Supplementum XIII.*
Roma. *Vide* Urbis.
Romanae Curiae Reformatio, 222-230 ; annexae ordinationes, 231-253 ; annotationes, 253-261 ; normae peculiares, 298-304.
Romanae Rotae. S. Competentia post reformationem Curiae, 228 ss. ; constitutio, 231-233 ; modus iudicandi, 234-239 ; provincia, ut est tribunal appellationis, 299.
Rosarii recitatio pro triumpho Sanctae Ecclesiae. Indulgentia plenaria, 149.
— recitatio per partes, 285.
Rosarii SS. Portiuncula, 139.
Rotae S. restitutio, novum regimen, 228, 331-339.
Rubricae reformandae in Breviario et Missali, 284. 285.
Russia. Ius de matrimoniis mixtis in —, 119.
Sacella in coemeteriis, 282.
Sacerdos professus qui civiles nuptias consummavit, 130-136.
Sacrae Familiae (Festum), 146.
Sacramentum. SS. *v*. Eucharistia.
Sacramentorum disciplina cuinam Congregationi commissa, 224.225.
Sacrosancta : Innoc. XII Constitutio 9 aug. 1698, de Basilica Lauretana, 257.
Salve Regina in Ecclesiis Ordinis

Carmelitani. Indulg. concessae Tertiariis, 263.
Sanctimoniales. *V.* Moniales.
Sapienti Consilio : SS. D. N, Pii Pp. X. Const. 29 iun. 1908, de Romana Curia, 222-230. 332 et passim ; annexae ordinationes, 230-253. 298-304.
Scapulare caeruleum Imm. Conc., indulg. 70.
— SS. Cordis Iesu, indulg. 177. 178.
— dictum a S. Ioseph, benedictio et impositio, 281.
— de Monte Carmelo, 265. 266.
— impositum militibus, 295. 296.
— Osculum, indulg. 62.
— cui numisma substituitur, 348-350.
Scapularis (Confraternitas). Receptio militum, 295. 296.
Scholarum piarum alumni ad primam Communionem admissi, 180-181.
Secretaria Brevium ad Principes et Secretaria epistolarum Latinarum. Earum partes post reform. Curiae, 259.
Secretariae Brevium ad Principes et epistolarum Latinarum munus confirmatur, 229.
Secretaria Status : eius partes post reform. Curiae, 229. 259.
Secretarii Status Litterae 24 sept. 1907, de bonis ecclesiasticis in Gallia usurpatis, 155-159 ; 2 oct. et 5 nov. 1907, de modo quo Universitates sint a Clero frequentandae. 159. 160.
Secretarius pro nogotiis extraordinariis, 229.
— Signaturae Apostolicae, 239.
— Status, 224.
Sedis S. Officia. Competentia, 298. 300 ; dies conventus, 301.
Seminaria. Lingua latina in — **iis**, 296. 297. Studium philosophiae in — **iis**, 43. Removendi magistri haeretici vel suspecti, 43.
— *Urbis*, 319.
— **orum** alumni, 43. 44. 297.
— — regimen, 224.
Seminarium Abbatiae Nullius : alumni, 293.
Septem Dolorum (Festum) ad ritum 2ae classis elevatum, 217. 218 ; indulgentiae, 211.
— (Sollemnitas). Translatio, 284.
Sepultura Monialium, 273-274.
— **ae** ecclesiasticae privatio, 219.
Servi B. M. V. *V.* Ordo.
Servorum Dei causae minores Congregationi peculiari committuntur, 314.
Sex Series : Libri hispanici a manibus adulescentulorum removendi, 166.
Signatura Apostolica restituta, 228 ; constitutio et competentia, 239 ; modus iudicandi, 240. 241.
Sinenses. Dubia de Sponsalibus, 272. — Obligatio Decreti *Ne temere* dilata, 173.
Singulari quidem : S. Congr. Episc. et Regularium Decretum 27 martii 1896, de eleemosynis colligendis, 307.
Societatis Missionariorum SS. Cordis Iesu. Constitutiones definitive approbantur, 161. — facultas benedicendi et imponendi scapulare SS. Cordis Iesu, 177. 178.
Sodalitas Eucharisticae Unionis Sacerdotum Adoratorum, 281.
Sollemnitas Corporis Christi. Triduana supplicatio infra Octavam, 178.
Soror, revocata discedendi voluntate, ad professionem simplicem admittitur, 324-325.
Sororum 3i *Ordinis S. Dominici, a S. Catharina Senensi, e Novana* Constitutiones approbantur, 322.
Sponsalia : Definitio, 75 ; sollemnitas ad valorem requisita, 72. 81-87 ; parochus assistens, 73. 87-89; dubia de forma, 269-270,
Stationum indulgentiae, 61. 278. 279. Communicatio, 281.
Stipendia Contionis, 328.

— Missarum, 152. 153. 195-197.
— Officiorum Romanae Curiae, 248.
Studiorum moderatio, 227 ; — superiorum prudens ordinatio contra modernistas, 30. 31. 32.
Studium linguae latinae in Seminariis, 297.
Subdelegandi facultas, 158.
Summarium indulgentiarum Carmelitarum, 59-67 ; — indulgentiarum et privilegiorum Tertii Ordinis Carmelitani, 261-264 ; — Confraternitatis Scapularis Carmeli, 265. 266 ; — Congreg. Presbyterorum a SS^mo^ Sacramento, 277-279 ; — Associationis sacerdotalis pro adoratione SS^mi^ Sacramenti, 279-281.
Superior Religiosus. Privilegium quod ad ordinationem subditorum, 193 ; — abutens privilegio, 194 ; eius iurisdictio in novicios, 201 ; valor eius electionis, 139.
— mittens stipendia Missarum in Orientem, 152. 153.
— refert ad S. Sedem de doctrinis, 37.
Symbolismi theologici ratio modernistica, 11. 26.
Symbolum infra Octavam Patroni principalis 167. 168.
Syria. De promulgatione C. *Tametsi* in —, 118.
Tabellae (rubricarum). Variatio in — **is**, 283, 285.
Tabernaculum. Electricae lampades circa —, 162.
Tabulae nuptiales, 112.
Tantum ergo (Cantus), 168
Taxae expensarum iudicialium, 241. 243 ; Romanae Curiae, 251. 300,5.
Teresiae S. (Festum). Indulg. pro novendiali praecedenti, 65. 67.
Terrae Sanctae Sanctuaria. Missae votivae, 294,
Tertiariorum professio, indulg. 262.
Tertii Ordinis *Carmelitani* Summarium indulgentiarum, privilegiorum, etc., 261. 264.
— *Carmelitarum Institutum a S. Ioseph nuncupatum* laudatur et commendatur, 332.
Titularis patronus. Festi translatio, 140.
Tituli (pecuniae) quod ad administrationem et commutationem, 197. 198.
Titulus coloratus, 139.
— ordinationis, 148. 149. 316. 317. 319. Quis dispensat in titulo, 346. 351. 356.
— i mutatio, 317. 319.
Translatio festorum 143. 147. 164 et passim, 212 ; — officiorum, 202-205.
Transverberationis Cordis S. Teresiae (Festum), 144.
Tribunalium Romanae Curiae Reformatio, 228-243 ; ordo servandus, 244-253 ; competentia, 299. 304.
— ium reformatio, 258.
Tridentina censura propter usurpata bona ecclesiastica, 218.
Tridentina synodus. De sacramentis, 13.
Ius de sponsalibus et matrimoniis, 71. 72. 75. 76*. 77. 78. 79. 81*. 83. 84. 85*. 87. 117.
De vagis, 102. 104.
De bannis, 104.
De libris nuptialibus, 112.
De poenis contra violatores legis, 115.
De Orientalibus, 118.
De valida electione superiorum, 139.
Triduana Supplicatio pro Communione cotidiana, 178-179.
Trinitatis SS. Portiuncula, 138.
Universitates. Quo modo frequentandae a Clero, 45. 50. 159. 160*. Universitatis catholicae magistri ne sint suspecti modernismi, 44.
Urbis Collegium Pio-Latino- Americanum, 293.
— Collegium de Propaganda Fide, 317.

— Institutum Scheutensis Congregationis, 183.
— Seminaria, 319.
— Stationum Indulgentiae, 263. 278-279.
Ursulinarum *S. Caroli* (Mediolani) Constitutiones approbantur, 161.
Vacante Sede Apostolica : Constitutio 25 dec. 1904, 229-230.
Vacationes in Curia, in S. Rota, 233.
Via Crucis, dum adoratur Sanctissimum, Privilegium, 279*.
Viae Crucis Corona, 208. 209.
Via dolorosa. Missa votiva in Oratoriis Hierosolymitanis, 295.
Vianney B. (Festum), 204.
Vicariatus apostolici, 226. 316 ss.
Vicarii *apostolici*. Ordo praecedentiae, 345 ; — *capitulares*, quomodo agant negotia cum S. Sede, 251.
S. Vincentii a Paulo (Festum), indulg. 221.
Visitatio canonica, indulg. 60.
— ecclesiae, indulg. 63 ; commutatio, 320. *Vide* Ecclesia visitanda.
— generalis, indulg. 60.
— Sanctissimi, ind. 279. 280.
— Stationum Viae Crucis, 208.
Vitae communis obligatio, 154.
Votorum professio perpetua, 323-324.
— dispensatio, 324.
— renovatio, indulg. 262.
— valor, 326.
Vulgatae nova editio Benedictinis commissa, 209. 210.

v.4 CBPac

v.4 10223

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709